BIBLIOTECA COMUNALE DI TRENTO
UNIVERSAL SHORT-TITLE CATALOGUE
UNIVERSITÀ DEGLI STUDI DI TRENTO
Dipartimento di Lettere e Filosofia
FONDAZIONE CARITRO
CASSA DI RISPARMIO DI TRENTO E ROVERETO

TRENTO, *Bernardus Dei gratia episcopus Tridentinus etc.*, Trento, Giovanni Battista Gelmini, 1614.

Esemplare digitalizzato:
Trento, Biblioteca comunale, T I c 81

LINK: https://bdt.bibcom.trento.it/99

BDT – BIBLIOTECA DIGITALE TRENTINA
progetto STABAT – *Stampe antiche Biblioteca comunale di Trento*

COMUNE DI TRENTO

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* è un progetto concluso, cofinanziato dalla Fondazione Caritro ("Bando Archivi 2014"), dalla Biblioteca comunale di Trento e dal Dipartimento di Lettere e Filosofia dell'Università di Trento; gli altri partner del progetto sono la Soprintendenza per i beni storico-artistici, librari e archivistici della Provincia Autonoma di Trento e l'University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All'interno di Stabat sono state digitalizzate e descritte tutte le edizioni stampate in Trentino nei secoli XV-XVII che si conservano presso la Biblioteca e l'Archivio storico del Comune di Trento. Ogni digitalizzazione è accompagnata da una descrizione della stampa; tutto il materiale è liberamente consultabile sulla *Biblioteca Digitale Trentina* (http://bdt.bibcom.trento.it/).

In questo file le immagini hanno avuto in trattamento OCR e pertanto si possono fare ricerche testuali; le immagini presenti sul sito, dove si può trovare una descrizione completa dell'edizione, hanno invece una qualità maggiore.

Le immagini presenti nella *Biblioteca Digitale Trentina* sono rilasciate con licenza di Pubblico dominio, il presente PDF è distribuito con licenza Creative Commons Attribuzione – Non commerciale – Non opere derivate 3.0.

STABAT – *Stampe antiche della Biblioteca comunale di Trento* is a project that was successfully concluded thanks to the support of a group of partners, namely the Caritro Foundation ("Bando Archivi 2014"), Trent Civic Library, the Department of Humanities of the University of Trento, as well as the Superintendence for Architectural, Landscape, Historical, Artistic and Ethno-anthropological Heritage for the Province of Trento and the University of St Andrews, School of History, USTC – Universal Short Title Catalogue. All the editions belonging to the Library and the Civic Historical Archive that were printed in Trentino during the XV-XVII centuries have been digitised and described. As a result, each digital copy is accompanied by a record with specific data regarding the printed book, and is freely available to be consulted on *Biblioteca Digitale Trentina* (http://bdt.bibcom.trento.it/).

The images belonging to this file are OCR-converted, hence the text of this edition can be electronically searched. The images available on the website, on the contrary, have a higher resolution and are accompanied by a complete description of the edition.

The images available on the *Biblioteca Digitale Trentina* are public domain files; this PDF is available under the Creative Commons Attribution – Non-commercial – No Derivative Works 3.0 License.

BERNARDVS
DEI GRATIA
EPISCOPVS TRIDEN-
TINVS ETC.

TRIDENTI.

Per Ioan. Baptistam Gelminum nouiter impressum. Anno M DC. X I V.
SVPERIORVM PERMISSV.

BIBLIOTECA
FRATI MINORI
VILLAZZANO (TRENTO)
34910

INCIPIVNT RVBRICAE
PRIMI LIBRI STATVTORVM CIVILIVM CIVITATIS TRIDENTI.

A

Alienationibꝰ factis per minores vigintiquinq; annis, vel per eorum Tutores, aut Curatores. cap. 5.
Aſcendentibus, vel collateralibus perſonis legitimandis in officio. ca. 17.
Authoritas, & decreta, ac precepta fieri poſſint etiã diebus feriatis. ca. 41.
Ab executione nõ appelletur, nec à ſententijs inter conſitẽtes latis. c. 48.
Annuo legato vxori. cap. 86.
Appellatione maſculi contineantur, & fœminæ. cap. 87.
Actionibus infra viginti annos intentandis. cap. 90.
Amiſſione Inſtrumentorum ſuarum poſſeſſionum. cap. 93.
Alteri per alterum acquiri poſſit. cap. 117.
Alimentis præſtandis patri, vel matri præcisè. cap. 121.

B

Bonis emptis per vxorem præſumendis de bonis mariti. cap. 77.

C

Citationibus quarumlibet perſonarum qualiter fieri debeant. cap. 7.
Citatis, & non requiſitis occaſione citationis. cap. 8.
Curatoribus conſtituendis muto, ſurdo, prodigo, certæ rei, certæ cauſæ, & ad certum tempus, ſine confectione inuentarij. cap. 11.
Capitulis admittendis. cap. 21.
Commiſſionibus cauſarum fiendis, & ſalarijs Iudicum. cap. 42.
Committi non poſſit aliqua quæſtio alicui Iuriſperito, niſi fuerit de collegio Ciuitatis Tridenti. cap. 43.
Cognoſcendis cauſis appellationum. cap. 54.
Creditoribus pignora extra Ciuitatem, & diſtrictum non debentibus exportare. cap. 62.
Creditoribus abſq; Iudiciali authoritate fideiuſſorum pignora capere non debentibus. cap. 72.
Creditores poſſint ſoluere dotes mulieris. cap. 79.
Contradote non lucranda per vxorem ſtantibus filijs cõmunibus. ca. 81.
Conductores ad perpetuum teneantur dare Inſtrumentum locationis locatori ſuis ſumptibus. cap. 99.
Chriſtianus non poſſit detineri ad inſtantiam non Chriſtiani. ca. 108.
Ciuibus, & Diſtrictualibus Tridẽ. volentibus teſtari. cap. 113.
Clerici, & Religioſi pro ſuo proprio æſtimentur. cap. 125.
Capitaneo conſtituendo ad contrabanna. cap. 135.

Compromiſſis extra Ciuitatem non fiendis. cap. 145.
Copijs ſcripturarum. cap. 149.

D

Diebus datis ad probandum pro vtilibus habendis. cap. 26.
Debitis ſolutis non petendis. cap. 67.
Debitis vſurarijs non petendis. cap. 68.
Decimis non ſolutis à quadraginta annis citra, quòd amplius non reddatur aliqua ratio. cap. 95.
Decimani ter vocentur per Dominos, vel laboratores ad recipiendum decimas. cap. 138.
Domini præferantur in bonis mezadriæ vxoribus, & creditoribus mezadrorum. cap. 139.
Damnis domorum denuntiandis Domino per habitantes. cap. 140.

E

Electione Poteſtatis nominatione, iuramento, & ipſius officio. cap. 1.
Executione tenutarum ſuper quibuſcunq; rebus. cap. 61.
Emolumentis, vel inter vſurijs, aut intereſſe dotalibus. cap. 83.
Emphiteutę etiam Laicorum teneantur, & debeant recipere renouationem prioris locationis in capite cuiuſlibet vigeſimi noni anni. ca. 102.
Eo qui in poſſeſſione rei donatæ permanſerit, & qualiter ipſe donationes debeant publicari. cap. 119.
Emancipationibus ad ſcalas palatij, & loca conſueta publicandis. c. 120.
Examine teſtium. cap. 151.

F

Ferijs, & diebus feriatis. cap. 40.
Fideiuſſoribus extrahendis de fideiuſſionibus per ſuos principales, c. 69.
Fideiuſſoribus habentibus ius ceſſum indemnibus conſeruandis. ca. 70.
Fœmina nubente ex arbitrio ſuo, priuanda hæreditate. cap. 82.
Filio vel filiæ morienti relictis fratribus, vel ſororibus, & ſola matre, quis ſuccedere debeat eiſdem ab inteſtato. cap. 110.
Fauore præſtando mercatoribus mercantibus in Ciuitate. cap. 137.

H

Habendo conſilio in qualibet quæſtione cum fuerit à partibus requiſitum, & de modo committendi quæſtiones, & conſilio ſequendo. c. 44.
Hominibus capiendis, & incarcerandis. cap. 105.
Hominibus diſtrictualibus non capiendis pro debito minoris ſummæ decem librarum. cap. 106.
Hęres vniuerſalis teneatur ad petitionem legatariorum edere teſtamentum. cap. 114.

I

Interrogatorijs productis legitimandis. cap. 22.
Iudex, ſiue Poteſtas teneatur dare Aduocatum, & Procuratorẽ in cauſa Epi-

Episcopali, & Communitatis Tridenti. cap. 35.
Iudex siue Potestas similiter in causis aliarum quarũcunq; personarum teneatur dare Procuratorem, & Aduocatum. cap. 36.
Iudex teneatur in eodem consilio consulere de expensis. cap. 47.
In Instrumento dotis per Notarium inseratur, & nominetur specificè valor rerum mobilium datarum in dotem. cap. 58.
Iuribus, & actionibus non cedendis. cap. 91.
In quibus diebus, & locis quis pro debito ciuili capi non possit. ca.107.
Immunitate forensium volentium venire ad habitandũ in Tridenſ.c.129.
Immunitate habentium duodecim filios. cap.131.

L

Litis contestatione. cap.19.
Libellis non dandis, nec petendis in Iudicio. cap.33.
Lucrando medietatem dotis si vxor decesserit sine filijs. cap. 80.
Locatoribus præferendis in fructibus possessionum suarum datarum ad laborandum. cap. 96.
Locatores, & conductores teneantur se adinuicem certiorare, quod sibi prouideant de alio, super re conducta. cap. 97.
Locationibus, & conductionibus prætextu non solutorũ afflictuũ.c.100.

M

Modo procedendi in causis non excedentibus summã librarum quinq;, vel xxv. vel & quinquaginta, & de earum causarum instantijs. cap.32.
Modo syndicañ. Potestatem, eiusq; familiam. cap. 2.
Modo procedendi contra debitores, & pignoribus faciendis. cap.56.
Modo, & forma iuris reddendi de debitis non vsurarijs, & de dotibus, & donationibus, & legatis mere tamen lucratiuis. cap. 57.
Modo procedendi contra debitorem quando de debito apparet Instrumentum publicum, cap.59.
Modo, & ordine tenendis per fideiussiorem contra principales, & eius hæredes, & bona. cap. 74.
Morientibus ab intestato, qui succedere debeant eisdem. cap. 109.
Mezadris laboratoribus, & afflictalinis Clericorum, & aliorum non subditorum Iurisdictioni Domini Potestatis, vel Reuerendissimi, pro eis conuenientis occasionibus infrascriptis. cap. 126.
Mercedibus, & solutionibus faciendis viatoribus, & familiæ Curię Tridenti. cap. 143.

N

Nominando Dominum in Iudicio. cap. 16.
Non possit appellari ab interlocutoria. cap. 52.
Nulla mulier constante matrimonio possit alienare sine trium agnatorum, vel cognatorum præsentia. cap. 85.
Ne quis probet se filium patris nisi per vocem, & famam. cap. 88.

Nul-

Nullus Ciuis possit trahi ad iudiciũ extra iurisdictionẽ Triden. ca. 89.
Nulla prescriptio currat contra propietatium. cap. 92.
Ne quis turbet possessorem super aliqua re pendente lite. cap. 116.
Nulla persona possit spoliari, vel remoueri de possessione quam habet. nisi ea prius conuicta in iudicio ordinario. cap. 122.
Nundinis infra annum in ciuitate seruandis. cap. 136.
Notarijs deputandis ad scribendum acta in Palatio. cap. 142.
Notarijs. cap. 147.

O

Omnes fundi, & proprietates ciuium laicorum, vel etiam clericorum ꝓprie. & non prębendarię, vel Ecclesiasticę perpetuò sint, & esse debeant obligatę, ad factiones cum Ciuitate. cap. 127.
Oneribꝰ, & functionibꝰ per ciues indifferenter subeundis. cap. 130.
Obligationes factę occasione ludi, vel bischiarię nõ valeant. cap. 141.

P

Pręceptis ordinatis ꝑ Dominũ Potestatẽ, quod fiant in scriptis. cap. 9.
Procuratoribꝰ, Actoribꝰ, Syndicis, & Curatoribꝰ sufficiẽtibꝰ. cap. 12.
Personis pro alijs interuenientibꝰ in iudicio legitimandis. cap. 13.
Procuratoribꝰ debentibꝰ ꝓducere mandata sua. cap. 14.
Procuratoribus per comparitionem principalis, sine reuocatione non reuocatis. cap. 15.
Producentibꝰ capitula, positiones, exceptiones &c. tenentibꝰ dare copiam parti aduersæ. cap. 23.
Pœna testium citatorum, & non comparentium. cap. 27.
Probationibꝰ fiendis intra terminum statutum. cap. 29.
Pręceptis, & condemnationibꝰ factis in confessos. cap. 37.
Prohibentibꝰ intrare domos ne apprehendatur tenuta. cap. 60.
Pignoribꝰ Prętorijs iudicialibꝰ, vel conuentionalibꝰ restituẽdis. cap. 64.
Prescriptio anni, & diei non currat puberibus super inuestitura petenda. cap. 94.
Paleis, & straminibꝰ debentibꝰ remanere possessionibꝰ. cap. 101.
Possessionibꝰ, quę tenentur ad liuellum, seu affictum per non habentes filios, vel nepotes ex proximiorẽ deueniant attinentẽ. cap. 104.
Pręcepto faciendo partibus, ne accedant ad possessionẽm de qua est quęstio. cap. 115.
Pendente lite realis, vel mixta non liceat rem in iudicio deductam in alium transferre, vel deuastare. cap. 123.
Possessio quam defunctus habebat tempore mortis coiunctim in hæredes transeat. cap. 124.
Publicis factionibus soluendis. cap. 132.
Pręceptis. cap. 150.
Possessionibus dandis. cap. 152.

Que-

Q

Queſtionib⁹ emergẽtib⁹ inter coniunctas ſponas terminandis. cap. 6.
Quomodo ad tribunal iuris coram Iudicente comparentes ſe habere debeant in dicendo, & petendo ius. cap 18.
Qualiter, & quomodo teſtes debeant examinari in cauſis ordinarijs ciuilibus. cad. 28.
Quibus cauſis poſſit cognoſci ſummariè. cap. 30.
Quibus cauſis poſſit cognoſci diebus feriatis. cap. 31.
Quæſtionibus omnibus ventilandis, cognoſcendis, & finiendis in Palatio Tridenti. cap. 38.
Quod emphiteutæ etiam laicorum, teneantnr reciperere nouationem prioris locationis, in capite cuiuſlibet decimi noni anni, cap. 102.
Quod Poteſtas incontinẽti quum iurauit, debeat fieri facere proclamationes, quod omnes banniti recedant. cap. 3.
Quod nullus corrũpat Poteſtatẽ, vel eius Iudicem, vel familiã. cap. 4.
Quo tempore Iudicum ſalaria debeantur. cap. 46.
Quilibet poſſit proteſtari coram Poteſtate, & quibuscunque Iudicibus, vel Officialibu. cap. 49.
Quę appellatio pręualeat, an facta viua voce, vel poſtea facta in ſcriptis. cap. 55.
Qualiter venditiones de bonis ſtabilib⁹ debitorũ fieri debeãt. cap. 65.
Qualiter ſatisfieri debeat his, qui ſe pro alijs obligarunt occaſione bonorum. cap. 71.
Qualiter fieri debeant excuſſiones, contra principales debitores, & eorum bona. cap. 74.
Qualiter creditores, quib⁹ non eſt ſolutum per debitorem, ſeu debitores, poſſint procedere contra illos, qui accepiſſent in ſolutum de bonis debitoris quoquo modo. cap. 75.
Qualiter conueniantur, & obligentur filij familias. cap. 76.
Qualiter vxor debeat accipere tenutam de bonis mariti. cap. 78.
Quando, & qualiter quarta per vxores poſſit peti. cap. 84.
Quo tempore ſoluantur, & debeantur penſiones domorum, & ſtationum. cap. 98.

R

Reſciẽdis expẽſis p victũ victori, licet de calumnia iuratũ ſit. cap. 39.
Ruſticis, & alijs ſponis confugiẽtib⁹ ad Ciuitatẽ tẽpore guerrę. ca. 134.
Reddendis rationibus. cap. 128.

S

Syndicis villarũ tenẽtib⁹ denũciare Pupillos carẽtes Tutorib⁹. cap. 10.
Summaria cognitione fienda ſuper bonis Epiſcopalibus, & bonis Communis Tridenti. cap. 34.
Si quis fuerit citatus ad audiendam ſententiam pro certa hora, & non fuerit la-

fuerit lata sententia, possit Iudex ferre alia hora. cap. 50.
Si Procurator personaliter citatus ad audiendam sententiam non appellauerit, principalis possit appellare. cap. 51.
Sententijs latis de vigintiquinq; libris infra nō possit appellari. cap. 53.
Salarijs siue sportulis Iudicibus dandis. cap. 45.
Si quis accepit in tenutam, vel in solutum de bonis alicuius, & non ineniat laboratorē assessores cōpellāt syndicos, & vicios villę. cap. 66.
Succession lineę transuersalis. cap. 111.
Successionibus ex testamento. cap. 112
Sententia lata contra fratres Doctorum qui soluere debeant custodias pro rata bonorum suorum. cap. 133.
Statutis Tridenti seruandis per diœcesim Tridenti. cap. 144.
Statuta Collegij Notariorum Tridenti. cap. 146.
Sententia super custodijs portarum. cap. 152.

T

Termino dato ad probandum loco litis contestatæ habendo. cap. 20.
Tabellionibus facere debentibus Instrumenta infra tempus. cap. 24.
Termino cadente in diem feriatam. cap. 25.
Termino statuto ad exigendum pignora conuentionalia, & voluntaria. cap. 63.
Terris domino demonstrandis per laboratores earum, vel earum emphiteutas. cap. 103.
Taxatio mercedum Notariorum. cap. 148.

V

Vir habens feudum pro vxore fidelitatem domino iuret, cap. 118.

Explicit tabula Ciuilium.

BERNARDVS
DEI GRATIA
EPISCOPVS TRIDEN.

SVM ſtatutorum certum eſt ipſa rerum neceſſitate introductum fuiſſe, quippè quod nullam iuris ſanctionem, quamlibet maturo conſilio decoctam ad humanæ naturæ varietatem, ciusque inopinabiles machinationes vnquam ſufficere potuiſſe cõpertum eſt: quin, ſicut natura nouas ſemper formas edere properat, ita etiam auctoritas ſuperioris neceſſaria fuerit, vt per prouidi cultoris ſarculũ vitia extirpẽtur, virtutes inducãtur, exceſſus corrigãtur, vitiaq; reformentur. Hoc ſanè honorabiles, & Egregij ſincerè nobis dilecti Cõſules, ciuesq; huius noſtræ Ciuitatis Tridẽ. prudẽter attendẽtes, & prouidere cupientes, deformatorum reformationẽ proſpicere, ſtatutaq;, & plebiſcita pro ſtatus noſtri, & ciuitatis conſeruatione, morumque emendationibus conſona promulgare, hæc ſequentia ſtatuta cum vtilia, tum etiam ſalubria ediderunt, nobisq; illa exhibuere, vt auctoritate noſtra ordinaria eadem approbare, & confirmare dignaremur. Nos autem qui in concernentibus ſubditorum noſtrorum commoda, in quorum proſperitate pariter proſperamur, continuò (quantùm nobis ex alto conceſſum eſt) ſolicitudinis ſtudio ſemper intendimus, diligenti ac matura deliberatione vnà cum Conſiliarijs noſtris, alijsq; plerisq; doctis viris prehabita, ſæpiusq; huiuſmodi ſtatutis viſis, & reuiſis, eadem veluti honeſtati conſentanea auctoritate noſtra ordinaria approbanda duximus, præſentiumq; noſtrarum impreſſione approbamus, & confirmamus. Quæ volumus, & mandamus ab omnibus noſtris ſubditis prompto affectu ſuſcipi, & eadem omnibus cognita, & manifeſtata alacri ſtudio fitmiter obſeruari, & adimpleri ſub pœnis in eiſdem contentis (Iure noſtro, ac ſucceſſorum noſtrorum ſuperioritate ſemper ſalua) cæteris omnibus, quæ in præſenti volumine non continentur, penitus abrogatis, & ſublatis. Ad laudem, & gloriam omnipotentis Dei. Amen.

Anto. Quetta Doct.



Acratiſſimum Iuſtinum Imperatorem accepimus nunquam diua ſuarum rerum æditione, neque illos qui eum, aut alios forent imitati legiſtas exquiſita ſatis adhuc conſultandi ratione tot Codices legum conſcripſiſſe, vt cunctis mortalibus ad plenum conſulere potuerint. Nam etſi genus quoddam iuris Ciuilis in medium teneant, ad ſpeciales tamen, & vt ita dicam minutos caſus toti humano generi, ac ſuorum decretorum induſtria minimè ſuffragari potuiſſe in dies magis, ac magis ciuitates experiuntur; tùm propter multifarias diſſimilitudinum circunſtantias, tùm propter inhabitantium ſitus: quamobrem qui in ciuitatibus, vel natura, vel litteris cæteris hominibus præſtarent, poſſe ſibi conficere, atque alijs ſtatuta conſuetudinaria (plebe tamen conſentiente) quò ſanius, utiusque gubernarentur, & in ſuis ſtatibus cum fœlicitate peruiuerent, ſanctè à veteribus ſtatutum eſt. Verùm quia temporum mutatio alios mores, aut aliam vitam ſibi ſæpenumero efficit, nec eorundem prudentia in ea iuſtitiæ, & æquitatis claritate eſſe nunquam valuerit ita accuratiſſima, quin nonnulla huiuſmodi plebiſcita, vel defectum nonnunquam, vel quandoque ſuperabundantiam alicubi terrarum paterentur; quo fit, vt nos Ciuitatis Trideñ. Prouiſores, & Conſiliarij, quod aure percepimus, noſtra Ciuitas reipſa experta ſit, in nonnullis enim noſtris legibus municipalibus, ſiue ſtatutis illa duo extrema aduertimus, quæ nobis nequaquam, ſed diuina gratia conſiſi auſi ſumus abrogare: neq; velim lector arbitreris ſic ſimpliciter à nobis noſtræ Ciuitati eſſe conſultum voluiſſe, vt manus à præſumptione quadã impetita ante cucurrerit ad hanc emendationem, quàm animus intra conſcientiæ diſtrictum loqueretur, non annua, ſed multorum annorum fuit in hac re præmeditatio, longa fuit iam ſpeculatio, longa fuit ſcrutinij deliberatio, longaq; huius materiæ deliberationis conſideratio, nec ſolum noſtrates prudentiores, atq; litteratos viros conſuluimus, verùm etiam alienigenos præcipuos, & legum inſtructiſſimos; vt igitur noſtræ patriæ qua nihil in rebus humanis charius eſſe debet, ſufficientius ſuccurreremus, vt quæ dominorum noſtrorum ſtatũ, (quorum obedire mandantis ingens quippe religio eſt) laudabilius excoleremus, quintuplici via ea à nobis facta ſunt. Quędã etenim ſtatuta, quia nullus vſus cũ rerũ experientia conueniret in totum ſubtraximus. Nonnulla ẽt, quia non paruæ forent vtilitatis ab honeſto non aberrantis in totũ ſubiunximus: in aliquibus additionẽ fecimus, quia talis lex tale augmentũ ſuapte natura deſiderare videbatur: aliquorũ ammouimus ſuperfluitatẽ, qa correctio vrbanitati magis inſeruiret: à quibuſdã vero alijs nõ parũ implicitis, quia fatis vaſta eſsẽt, quaſi q̃dam labirynthi inextricabilitas introitu luminis, & filo claritatis obſcuritas ꝓpulſa eſt, vt aut huius caliginis cõfuſio intelligẽdi ſere nitate lucretur, aut infrugalis verborũ dicacitas à modeſta dictionis parcitate abeũdi licẽtiã pedetentim ſumeret, aut vt nimis ieiuna oratio idoneę alicuius sẽtẽtię cibo faturaretur, aut nouitas adiũctorũ ſerie vtilioris operis inte gritatem ſuper inducere, aut vt tandem à quorundam totali refectione, quæ nihil nobis vnquam proficerent, damno quoq; nobis eſſe non poſſent: ſicq;

ipſa

ipſa ſtatuta in tres partes, compoſita ſunt, quarum prima de ciuilibus diſceptationibus, quæ plerumque fori pallatini ad iuriſdictionem dominorum ab antiquo pertinuiſſe noſcuntur, primo libro ædita ſunt. Secundo vero libro poſita ſunt ſtatuta, & prouiſiones Ciuitatis Tridenti ciuibus eum diſtrictualibus antiquiſſimè pertinentes ad felicem, & vtile regimen, & ſtatum dictæ Ciuitatis, vt ipſa ciuitas cum diſtrictualibus fœliciter opulentiſſimè, & fertiliter gubernetur, quę quidem ſtatuta, ordinationes, & prouiſiones ſpectare, & pertinere dignoſcuntur ab antiquiſſimis temporibus citra felicis gubernationis dictæ Ciuitatis Reuerendiſſimorum patrum, & dominorum Bartholomei Endrici, Nicolai Alberti de Orttẽbur: Ge. Liechenſtainer de Auſtria Epiſcoporum, & dominorum Tridenti, & iuriſdictionum ſuarum, & multorum aliorũ prędeceſſorum dominorum Epiſcopotum ad officium ſindicorum Communis Tridenti, & eorum regimen, & cognitionem, & pronuntiationem ad executionem dicti ſuorum officij. Tertiò vero volumine tantum punitiones mero, & mixto imperio pertinentes pro correctione, & punitione malorum conſcripta ſunt. Nec autem correctio, ſuppletio, & compilatio, ipſorumque noua ſtatutorum ęditio prodijt in lucem nouiſſimè ſub Reuerendiſs. in Chriſto Patre, & domino, ac Principe Illuſtriſſimo D. Bernardo de Cleſio, Dei gratia Epiſcopo Tridẽ. & Sereniſſimi, ac potentiſſimi Ferdinañ. Vngariæ, & Bohemiæ Regis, eiuſdemque Archiducis Auſtriæ, &c. Conſilij ſecreti præſidente, & eiuſdem ſupremo Cancellario, anno Natiuitatis domini noſtri Ieſu Chriſti. Milleſimo quingenteſimo vigeſimo ſeptimo, Regnantibus Sanctiſſimo in Chriſto patre, & domino domino Clemente diuina Prouidentia Papa ſeptimo, & inuictiſſimo, ac Sacratiſſimo Carolo Hiſpaniarum Rege, eodemq; Romanorum Imperatore electo ſemper Auguſto; cuius quidem Reuerendiſſimi domini Epiſcopi Bernardi antedicti auctoritate, & aſſenſu eodem anno vigeſimo ſeptimo, qui fuit ab electione ſua annus tertius decimus, huiuſmodi ſtatuta, & plebiſcita emendata, & quæ correctione non indigebant ſimul cum reliquis, omnibus confirmata fuerunt, pręſtante Deo, qui eſt benedictus, & benedicẽ. per infinita ſæcula ſæculorum. Amen.

¶DE ELECTIONE POTESTATIS, nominatione iuramento, & ipsius officio. Cap. 1.

QVONIAM ex antiqua, & approbata consuetudine compertum est, denominationem duorum, vel plurium doctorum pro potestate ad ministrandam iustitiam in Ciuitate, & districtu Tridenti ad Consules, & ad Reuerendissimum dominum Episcopum Trideñ. vel eius Locumtenentes confirmationem, & delectionem spectare. Ideo statuimus, & ordinamus, quod omni anno domini Consules, & prouisores istius Alme Ciuitatis Trideñ. qui pro tempore fuerint, debeãt eligere, seu nominare duos, aut tres, aut quattuor, aut plures, qui sint doctores legum, & extra diocesim Trideñ. nati, qui non habeant attinentes, nec affines in Ciuitate Trideñ. & illos sic electos, & nominatos per cedulã præsentare Reuerendissimo domino Episcopo Trideñ. vel eius Locumtenentibus, qui ex dictis nominatis vnum quem maluerit, habeat eligere, & confirmare cum salario ab Episcopatu sibi dando librarum octingentarum, & vigintiquinq; bonæ monetæ, videlicet ad grossos charentanos duodecim pro vna quaq; libra in anno, & cum onere tenendi ad minus vnum famulũ, & vnum regatium suis sumptibus, ac etiam conducendi, & tenendi vnum Caualerium idoneum extra districtum, seu, & diocesim natum, sine tamen ipsius domini Potestatis impensa, Qui dominus potestas cum pulsu campane turris Communitatis Tridenti intrare debeat ad magistratum ipsum honorificè, cum vexillis, & insignijs suis, & intrando Ciuitatem circum ire per Ciuitatem, & loca consueta, deinde veniendo versus palatium visitare Ecclesiam Cathedralem Sancti Vigilij patroni nostri cum oblatione ad altare magnum que sibi videbitur infra triduum, & per prius ius non reddat. Deinde legat, & discurrat statuta Ciuitatis, & ad libitum Reuerendissimi domini Episcopi, vel eius Locumtenentium Consules ipsi eum præsentent, & exhibeant prælibato Reuerendissimo domino Episcopo, vel eius Locumtenentibus, & à sua Reuerendissima paternitate potestas ipse sceptrum præture suæ, seu potestariæ, tàm in criminalibus, quàm ciuilibus recipiat, ac in manibus prælibati Reuerendissimi domini Episcopi, vel sui Capitanei, aut eius Locumtenẽtium iuret tactis sacrosanctis scripturis ad Sancta Dei Euãgelia per Deum omnipotentem, & eius filium dominum nostrum Iesum Christum, & Spiritum sanctum, & per sancta quattuor Euãgelia quod bona fide sine fraude regimen, & potestariam Ciuitatis Tridenti, & eius iurisdictionem reget, faciet, & gubernabit Commune Tridenti, & eius districtum, & personas in Ciuitate, & districtu habitantes. Et quod bona fide, & sine fraude manutenebit iura, bona, possessiones, honores, iurisdictiones, & structuras ipsius Reuerendissimi domini Episcopi, & Episcopatus, & Ecclesiæ, ac Ciuitatis Trideñ. & eius districtus, nec in aliquo diminui permittet, & q; faciet iustitiã cuilibet petenti secundũ leges, & iura ac statuta Trideñ. & bonum, & approbatum vsum, & bonas consuetudines Ciuitatis Trideñ. Item quod guerras, discordias, maliuolentias, & odia, quæ sciuerit, concordabit, & se-

& ſedabit iuxta poſſe ſuum, & quod de falſitate homicidio, & furto, & de quolibet maleficio inquiret, & inquiri faciet, diligenter, & toto poſſe, qui dominus Poteſtas ſtare debeat in officio poteſtarie per annum duntaxat, & officio expirato, ad illud reſumi, & admitti non poſſit infra annos ſeptem, & in fine dicti ſui officij ſindicetur per duos eligendos, & deputandos per dominos Cõſules, & tertium per Reuerendiſſimum dominum, vel eius Locumtenentes iuxta antiquam conſuetudinem.

¶ Capitulum ſecundum.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod dictus dominus poteſtas teneatur, & debeat ſingulis diebus feriatis, & non feriatis præterquàm in honorem Dei reddere ius petentibus in cauſis ſummarijs, & ſingulis horis iuxta exigentiam cauſarum omnibus ad ſe pro iuſtitia habenda confugientibus liberum aditum admittendo, apertaq; hoſtia palatij ſeruando, ſaltem vſq; ad ſecundam ſcalam ſuperiorem incluſiuę. In ordinarijs vero teneatur, & debeat ſedere ad banchum iuris conſuetum tribus diebus ſingula hebdomada; videlicet, diebus lunę, mercurij, & veneris, pulſata ſemper campana maiori turris Trideñ. vt moris eſt in ortu ſolis, & demum campanella palatij tribus vicibus, cum aliquali interuallo antequàm accedat ad banchum iuris, prout etiam moris ſemper fuit, quibus tribus diebus ſemper ſedere debeat (vt ſupra) & plus, & minus iuxta cauſarum exigentiam, diebus vero Martis, & Iouis intendere debeat criminalibus, & ceſſantibus criminalibus: teneatur, & debeat in ciuilibus audientiam præſtare, vt ſupra. Et ſi dictis tribus diebus in dictis ad ſedendum ordinarię, Capitaneus, vel officia lis turris communis Trideñ. de mane in ortu ſolis, vel paulò poſt pulſare campanam omiſerit, ipſo facto incidat in pœnam vnius libre bonæ monetæ, videlicet groſſorum duodecim, niſi aliqua iuſta cauſa fuerit excuſatus. Cuius pœnæ medietas applicetur Cameræ Epiſcopali, alia medietas Communitati, prout etiam diſponitur infrà in ſtatuto ſub rubrica de Capitaneo, & eius officio ad turrim communis Tridenti. Et quo ad ordinem procedendi in cauſis, ſeruentur ſtatuta Ciuitatis Tridenti ad vnguem. Nec dominus Poteſtas poſſit illis contrauenire aliqua conſuetudine, tàm præterita, quàm futura non obſtante, ſub pœna Reneñ. quattuor pro qualibet vice, qua contrauenerit, quàm pœnam ipſo iure incurrat ſibi de ſuis ſalarijs retinenda, & Cameræ Epiſcopali applicanda, & nihilominus talis actus ſit ipſo iure nullus, & ſi quis aliquod ſtatutum allegauerit illud etiam oſtendat eſſe inſertum in hoc volumine ſtatutorum, aliter non credatur, & ſufficiat illud allegare, ſaltem per rubricam: eo abſque quod teneatur illud producere manualiter, dummodo ſit de inſertis in iſto volumine, quod volumen teneatur ipſe dominus poteſtas ſecum ſemper habere, ad banchum dum ſederit, & teneatur & debeat ſedere quibuſcunq; diebus à ſtatuto ſupra prefixis, niſi feriæ, vel aliquod impedimentum legitimum obſtiterit, vt ſupra. Et ſi ſteterit per ipſum, quod non ſederit, & ius non reddiderit, pro qualibet vice pœnam Reneñ, quattuor ipſo facto incurrat Cameræ

Episcopali applican. vt supra: nisi iusta causa: vt supra. Qui etiam dominus Potestas constituat: vt ex officialibus curie sue: quos habeat ad numerum octo: duo ad minus singulo die: etiam feriato continuè in palatio: vel in circumfinibus astent. Ita quod ad pulsum campanelle ipsius palatij pro necessitate aliqua: vel casu occurrente ibidem coram domino potestate presto sint: sub pena eisdem indicenda de grossis sex pro quaq; vice applican. Episcopali Camere. Nec possit nec debeat idem dominus Potestas aliquem officialem recipere: nisi ad presentationem dominorum Consulum, & prouisorum ciuitatis: neq; cum illis conuenire quoquomodo de aliquo lucro ab illis extorquendo propter officium ipsum: & quod non liceat domino Pretori in fine officij sui deponere sceptrum suum: & se subijcere sindicatui: donec & quousq; nouus electus aduentauerit: & se coram Reuerendissimo domino: vel eius Locumtenentibus presentauerit iurisdictionis sceptrum susceptурus, & iuraturus: sed nouum Prætorem expectet: & vna cum nouo coram Reuerendissimo: vt supra se presentet: & deponat sceptrum ipsum dicto nouo Prætori per Reuerendissimum dominum assignandum.

¶ De modo sindicandi potestatem eiusq; familiam & quoscunq; alios officiales communis. Cap. 2.

CVm iustum sit: vt quilibet, qui administrationem: maximè publicam: gessit, & ius dixit: reddat rationem de gestis, neglectis, & omissis. Volentesq; indemnitatibus, & extorsionibus ciuium comitatensium, & omnium incolarum ciuitatis, & districtus Tridenti: & quorumcunq; aliorum etiam forensium salubri remedio prouidere, & obuiare: statuimus & ordinamus, quod Potestas Tridenti finito eius officio cum officialibus suis, & tota eius familia per decem dies continuos incipiendos à die formatę inquisitionis contra eum, teneatur residentiam facere in Ciuitate Tridenti soluturus omnibus, quibus deberet ipse, aut aliquis de eius familia, & redditurus rationem de omni eo, quod apparuerit ipsum, ac eius officiales, quos secum habuerit: durante officio contra iustitiam commisisse: litemque suam pecunia, precibus, aut alia forde fecisse, & qualitercunque corruptum fuisse: ciuibus districtualibus comitatensibus, ac quibuscunq; alijs ius sibi fieri petentibus iustitiam denegasse, aut præter, & contra iura communia, & statuta iudicasse, condemnandum absoluisse, vel absoluendum condemnasse, aut aliquod omisisse in officio per negligentiam captos pro debitis, vel delictis iniuste relaxasse, & conniuentibus oculis dolo vel simulatè non comprehendisse, quos pro maleficijs capere, & capi facere per eius officiales, & familiam potuit, omisisseq;, aut neglexisse ea, quæ à iure municipali, & ciuili, vel aliter, ac iuramenti vinculo sibi & officialibus suis facienda incumbebant: baratarias commisisse, extorsiones perpetrasse, aut vi, aut minis à limine iudicij aliquem repulisse, & concussisse, aut vi tormentorum aliquem ad confitendum iniuste compulisse: contra quem potestatem eiusq; officiales, & familiam finito eius officio: sindicatores electi teneantur de prædictis

&

& alijs per eum, & eos officiales durante officio, omiſſis, commiſſis, & neglectis formare inquiſitionem, cui reſpondere teneantur dictus poteſtas, eiuſq; officiales cum eorum iuramento corporaliter preſtando. Et facta reſponſione teneatur idem poteſtas ad ſatisfandum pro ſe, & familia ſua, & eius officialibus cum cautionibus fideiuſſorijs vel nudis, prout dominis Sindicatoribus, & eorum arbitrio viſum fuerit cauſa cognita faciendum: qua reſponſione, & cautionibus factis, & præſtitis vt ſupra per dictos Sindicatores fiat publicum proclama cum aſſignatione termini quibuſcunque volentibus querelam, aut petitionem aliquam proponere contra poteſtatem, vel aliquem de eius familia, videlicet habitantibus in ciuitate, & burgis dierum trium continuorum, & habitantibus in diſtrictu, & Epiſcopatu quinq; dierum continuorum: infra quos poſſint coram dictis ſindicatoribus petitionem, aut querelam proponere de omnibus commiſſis, omiſſis, perpetratis, ac neglectis per ipſum, aut eius familiam, vel aliquem ex ipſa, præter, & contra iuſtitiam, vel aliter quomodocunque. Et vltra ipſo iure non audiantur amplius ad querelandum, teneaturque dictus poteſtas durante dicto Sindicatu ſingulo die venire, & ſe præſentare cum eius familia, & officialibus ſuis bis in die ad locum deputatum coram dictis ſindicatoribus, vbi ſindicari contigerit, & perſonaliter, ſiue habeat Procuratorem vel aduocatum præſentem, ſiue non, debeat reſpondere, quibuſcunque petitionibus, & querelis contra eum factis, & litem conteſtari ea die, vel ſequenti: alioquin pro conteſtata habeatur, & vlterius procedatur, & procedi debeat. Et quod dicti ſindicatores infra decem dies continuos à die formatæ inquiſitionis, teneantur vinculo ſacramenti terminare querelas, & petitiones, vnam, vel plures porrectas aduerſus ipſum dominum Poteſtatem, eiusque familiam, vel aliquem de familia ſua, vna cum inquiſitione contra ipſos formata ſententialiter condemnando, vel abſoluendo, niſi vna cauſa, vel plures altiorem requirerent indaginem, quo caſu ſententia lata poſt ipſos decem dies valeat, & teneat, dummodo differre non poſſint, vltra alios tres dies: quibus elapſis ſi non fuerit lata ſententia, intelligantur abſoluti, declarantes, quod quicquid per duos ex dictis ſindicatoribus concorditer factum fuerit, tàm in procedendo, quàm in iudicando, etiam tertio abſente, vel contradicente, & etiam aliter eo non requiſito valeat & teneat. Adijcientes quod poteſtas teneatur de omnibus, & ſingulis commiſſis, perpetratis, iudicatis, factis, & neglectis, aut omiſſis per aliquem de eius familia in officio ei, vel eis commiſſo, & inſolidum ad omne id, & totum, quod in ſententia condemnatoria ſindicatorum continebitur, ſi ſciens fuerit, vel cum eo participauerit, alioquin ſi ſciens non fuerit, vel non participans, teneatur ipſos vnum vel plures exhibere, quo vel quibus exhibitis, ipſum poteſtatem liberatum eſſe volumus; alias inſolidum teneri eum decernimus. Et quod dictus poteſtas non poſſit habere, nec conſtituere in dicto ſindicatu, niſi vnum procuratorem, & vnum aduocatum, quos teneatur nominare tempore reſponſionis inquiſitionis, & ex poſt nullum conſtituere, vel nominare, & præter prædictos nominatos, & conſtitutos nullus alius procu-

rator

rator vel aduocatus habitans in Ciuitate Tridenti, possit esse procurator, vel aduocatus, vel aliquod patrocinium præstare in dicto sindicatu ipsi potestati, vel alicui de eius familia: sub pœna librarum centum bonę monetæ communi Tridenti applicandarum pro quolibet contrafaciente. Statuentes etiam, quod dictus potestas non possit petere nec recipere duas vltimas pagas mensuales salarij sui, nisi finito sindicatu, & ab eo absolutus fuerit.

¶ Quod potestas incontinenti cum iurauit, debeat fieri facere proclamationes, quod omnes banniti recedant à Ciuitate Tridenti rurum, & hoc amplius. Cap. 3.

DIffidamus omnes, & singulos homicidas, veneficos, maleficos, hæreticos, siccarios, viarum aggressores, effractores, carcerum, incendiarios, adulteros, incestuosos, sodomitas, raptores virginum, & aliarum mulierum solicitatores, lenones, stupratores, inuasores, falsarios, quoscunque fures diurnos, & nocturnos, cæterosq; delinquentes, ac cuiusuis male, & perdite vitę homines in Ciuitate Tridenti, ac eius districtu commorantes. Et de hoc volumus fieri proclama generale per Potestatem Tridenti prima die, & incontinenti postquam iurauit de reddendo ius, & iustitiam, & de seruando statuta Ciuitatis, & officium assumpserit: sub pœna librarum quinquaginta bonæ monetæ; applicandarum Camere Fiscali, quàm pœnã Massarius: qui fuerit eo tempore, teneatur suis salarijs compensari, & scribi facere; sub pœna librarum decem eidem Camere Fiscali applicanda: quàm ipso facto incurrat Massarius, qui pro tempore illo erit.

¶ Quod nullus corrumpat Potestatem vel eius iudices vel familiam. Cap. 4.

STatuimus, & ordinamus, quod si quis corruperit Potestatem Tridenti, Iudices vel aliquem de familia ipsius, aut aliquem officialem communis Tridenti in quocunque officio existentem, videlicet inducendo eum ad faciendum vel omittendum aliquid cõtra statutorum communis Tridenti, vel iuris ciuilis formam, licitum sit corruptori absque aliqua pœna, grauamine; vel metu quandocunq; deferre, & denuntiare corruptum coram Potestate, vel Iudice competenti, vel Sindicis eligendis super examinatione Potestatis, & suæ familiæ, & aliorum officialium communis Tridenti, qua corruptela reperta; quicquid ex prædicta causa extortum fuerit repertus fuerit per se, vel interpositam personam applicetur pro dimidia fisco, & pro altera dimidia accusatori, & nihilominus pœnis legalibus, & statutorum communis Tridenti corruptus, & corrumpens puniantur, nisi corrumpens primus ipse fuerit qui corruptionem denunciauerit, quo casu ipse vt præmissum est impune euadat. Et iudices qui de prædictis cognouerint, teneantur præcise, & debeant prædicta omnia, & singula executioni mandare, & mandari facere.

¶ De

¶ De alienationibus factis per minores vigintiquinque annis, vel per eorum tutores, aut curatores. Cap. 5.

ITem statuimus, & ordinamus, quod omnes alienationes quæ debent fieri per minores vigintiquinque annis, vel per tutores, aut curatores, eorum de bonis immobilibus, in quibus intelligantur etiam iura, & actiones, fieri debeant coram potestate, siue iudice loci, vbi talis venditio fieri contigerit, ordinario, in præsentia quattuor de proximioribus masculis, & maioribus vigintiquinque annis. Citatis etiam, & requisitis alijs, qui essent successuri ipsi minori volenti alienare palam, & non occultè, & de voluntate ipsorum proximiorum asserentium super eorum conscientia pro vtilitate minoris alienationem huiusmodi fieri. Et si proximiores non habuerint, adhibeantur quattuor de bonis hominibus amicis ipsius minoris, vel alijs. Si amicos non habuerint in electione prædicti Iudicis, vel Potestatis, masculis, & maioribus, vt supra. Ita quod dominus Potestas vel Iudex auctoritatem, & decretum interponat, & pro tali decreto dominus Prætor pro salario suo habeat solum grossos charentanos duodecim soluendos de suo per contrahentes cum minore. Ita quod minor consetuetur indemnis à dictis grossis duodecim in tali contractu. Et si aliter facta fuerit, etiam si iuramentum interuenerit, talis alienatio non valeat, & sit nulla ipso iure, & præsumatur ipsa alienatio fraudulenta, & in damnum minoris facta, & ipsum minorem dolose, & fraudulenter esse inductum ad alienandum, & iurandum super ipsa alienatione, & quod finis, & remissio per minorem facta, tutori, vel curatori suo ante vigintiquinque annos, sine solemnitatibus præmissis, præsumatur esse dolose, & in fraudem facta, & ipsum minorem inductum ad ipsam finem faciendam fraudulenter, & dolose, ac etiam iuramentum ipsum si præstitum fuerit eodem modo intelligatur metu, & dolosæ extortum, & non valeat ipso iure, nisi facta fuerit per ipsum minorem cum auctoritate curatoris specialiter sibi dandi. Expirata tutela vel post expirationem tutele, quandocunque tutor, vel eius fideiussor voluerit, & petierit liberari, & absolui ab obligatione tutele, vel fideiussione, ad uidendum, & audiendum rationem administrate tutele, & ad liberandum ipsum tutorem, uel tutores, & eius fideiussores, & præmissa non uendicent sibi locum in muliere, quæ fuerit dotata à patre, uel à fratribus; vel ab alijs qui eam tenebantur dotare quantumcunq; ipsa mulier fuerit minor annis uigintiquinque quæ possit facere finem sine dictis solemnitatibus in dote, & donatione propter nuptias his, qui de iure coguntur dotare, & pro dicto consensu parentum, uel amicorum, aut uicinorum electorum, nec propter præsentiam eorum, uel iudicis aliquid possit peti, nec recipi, per aliquem prædictorum attinentium, uel amicorum sic vt præmittitur consentientium. Et ille, qui aliquid acceperit, teneatur ad quadruplum applicandum domino: sed si casus contingeret quod ipse curator recusaret consentire, uel auctoritatem interponere, uel etiam ipsi attinentes recusarent uelle consentire forte malitia, uel causa molestandi tutorem, uel eius fideiussores; tunc dominus potestas, uel iudex si sue-

si fuerit visum per bonos homines ipsum tutorem bene administrasse, vel alienationem fiendam esse necessariam fieri, compellere possit, tàm curatorem, quàm & ipsos attinentes consentire ipsi alienationi, & fini, & remissioni capus pignoribus, & mulcta indicta. Et prædicta vendicent sibi locum non obstantibus quibuscunque solemnitatibus de iure communi in contrarium disponentibus.

¶ De quæstionibus emergentibus inter coniunctas personas terminandis. Cap. 6.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si qua quæstio oriatur de cætero porrecto libello inter aliquas personas de infrascriptis personis coniunctis in Ciuitate, & districtu Tridenti, videlicet inter ascendentem, & descendentem, vt puta inter patrem & filium, Auum & nepotem, & sic de cæteris inter collaterales ex linea paterna, vel materna coniunctos, quod intelligatur vsque ad duos consanguineos inclusiuè, videlicet natos ex primis consobrinis, vel inter patruum, seu amitam, vel nepotes, vel inter auunculum, & materteram, & nepotes, & inter maritum & vxorem, vel inter affines infrascriptos, videlicet, inter socerum & generum vel nurum, vel inter cognatos & cognatas, etiam persona mortua propter quam erat affinitas; tàm qui sunt, quàm qui fuerunt. Et hoc intelligatur solum ex causis, & quæstionibus, quæ processissent, vel principium habuissent tempore quo viuebat persona propter quam contracta erat affinitas, & intelligendo semper masculinum genus concipere fœmininum. Teneatur potestas qui, nunc, vel pro tempore erit compellere dictos litigatores cuiuscunque condictionis, & qualitatis extiterint, qui coram ipso agere ceperint realiter, & personaliter eligere duos communes amicos, qui summariè, & de plano absq; strepitu, & figura iudicij quolibet loco, & tempore feriato, & non feriato in vtilitatem hominum introducto infra tres menses continuos à die acceptationis compromissi, sub pœna quinquaginta librarum denariorum bonæ monetæ, pro quolibet arbitratore contraueniente ab eo auferenda, & Camerę Episcopali applicanda cognoscere, & diffinire, & determinare debeant quæstionem, seu causam prædictam, nisi fuerint iusta, & legitima causa impediti, pœnam apponentes in sua diffinitione, in quam pœnam pars non adimplens quod diffinitum fuerit per ipsos electos, vel altera earum non obediens dictis electis, seu diffinitioni eorum; toties cadat, quoties contrafecerit & nihilominus dicta diffinitio in sua firmitate perduret, & quicquid dicti electi in dicta quæstione diffiniendo dixerint, aut statuerint, teneatur, & valeat dictus Potestas, aut alius officialis super hoc requisitus totum illud cum iuris remedijs executioni mandare, & cogere ea partes adimplere perpetuò obseruare, nulla appellatione, nec vlla contradictione obstante, ac si per dictas partes in dictos electos tanquam in arbitros, & arbitratores, & communes compositores fuisse plenissimè compromissum: saluo nisi ipsi communes amici grauassent aliquam partium enormiter, vel alias dolosè. Quo casu possit

peti,

peti, vt reducatur ad arbitrium boni viri, ideſt Iudicis ordinarij, & eo caſu quo ſententia ſuper reductione proferenda erit cum priore laudo, vel ſententia conformis, quod tunc ab eadem ſic conformi non poſſit, vlterius reduci, nec appellari, nec de nullitate dici. Et ſi duo prædicti electi non conuenirent inter ſe in diffiniendo, dictæ partes poſſint, & debeant eligere tertium intra quartum diem, computando diem, à quo prędicti electi de dicta diſcordia notificauerint nobis, vel ſucceſſoribus noſtris, ſeù noſtro Poteſtati, aut Officiali; & ſi non potuerint dictæ partes conuenire de tertio intra dictum terminum quattuor dierum, tunc per nos, vel ſucceſſores noſtros, ſeù noſtrum Poteſtatem, aut Officialem eligatur tertius ea forma, qua eliguntur ſapientes, quibus quæſtiones ad conſulendum committuntur, & quicquid maior pars dictorum ſic electorum, vt ſupra dixerint, aut diffiniuerint, illud totum executioni mandetur, & à partibus obſeruetur, vt ſupra dictum eſt. Et inſuper nos, & ſucceſſores noſtri, ſeù noſter poteſtas, aut alius officialis compellemus realiter, & perſonaliter prædictos electos ad cognoſcendum, & diffiniendum inter partes de quæſtione prædicta, & hoc intelligatur de præſentibus pendentibus, & futuris.

¶ De eodem.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod facto dicto compromiſſo, & producta petitione coram arbitris infra terminum trium menſium continuorum, dicta cauſa debeat finiri, & terminari, quæ ſi finita, & terminata non fuerit, quod tunc, & eo caſu intelligatur, & ſit in vltima die termini dictorum trium menſium concluſum, & aſſumptum in cauſa, abſq; eo quod aliter fuerit per ipſos arbitros, vel partes concluſum: qua concluſione ſic, vt ſupra facta, tunc ipſi arbitri expedire, finire, & terminare debeant dictam cauſam infra vnum menſem immediatè ſequentem ad inſtantiam partium, vel alterius ex partibus: & ſi infra dictum menſem à dicta die concluſionis in cauſa non fuerit lata ſententia defectu actoris non inſtantis, quod tunc inſtantia ſit, & eſſe intelligatur peremptа. Et ſi partibus inſtantibus cauſa non fuerit finita defectu arbitrorum, quod tunc ipſi arbitri, & arbitratores, & amicabiles compoſitores incurrant in pœnam librarum quinquaginta bonæ monetæ, à quolibet arbitratore exigendarum, & Cameræ Epiſcopali applicandarum.

¶ De citationibus quarumlibet perſonarum, qualiter fieri debeant. Cap. 7.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod quilibet habitator Ciuitatis Tridenti burgorum, & ſub burgorum, videlicet molendinorum, & aliorum facientium cum burgis Sãcte Crucis, Pedecaſtelli, & Sancti Martini citari debeat, ſeu poſſit ad poſtulationem conquerentis, ſeù conqueri volentis de ipſo ſemel tantum perſonaliter, vel bis ad habitationem, diebus tamen diuerſis intel-

intelligendo,& declarando in diuersis diebus, videlicet per duos dies diuersos ante diem termini, & non aliter. Et quilibet habitator districtus Tridenti citari debeat, seu possit personaliter, vel ad habitationem semel tantùm ad petitionem conquerentis, seu conqueri volentis de ipso. Si vero persona citanda, vel sua familia non inueniatur habitare, stare, vel morari in Ciuitate, vel districtu Tridenti, eo casu sufficiat eum citari ad domum suam, seu ad locum suæ vltimę solitę habitationis, vel suæ familiæ in dicta Ciuitate, vel in districtu, dummodo dicti citati habeant bona in Ciuitate, vel iurisdictione: & tunc citatio fiat alta voce præsentibus duobus vicinis domus, seu loci solitæ habitationis prædictę, de quibus omnibus prædictis, & infrascriptis eredatur nuncio publico, cui facta est commissio ita factam fuisse referenti. Et quilibet vagabundus, seu non habitans in Ciuitate Tridenti, burgis, seu districtu Tridenti debeat, & possit personaliter citari si inueniatur, alias citari possit alta voce præconis super scalas Palatij Tridenti, & ad contratam macelli, & ad contratam cantoni loca consueta, vt compareat coram Iudice, seu quolibet nostro seu successorum nostrorum Officiali competente bis diebus diuersis citatione affixa in albo prætoris, quibus citatis statuatur terminus trium dierum ad minus ad comparendum per ipsum Iudicem, seu Officialem constituendum ad postulationem cuiuslibet conquerentis, seu conqueri volentis de eodem, & hæc talis citatio in quolibet prædictorum casuum pro sufficienti, & legitima habeatur, intelligendo tamen semper, quod masculinum fœmininum genus comprehendat, & hoc addito quod officialis in relatione, quàm faciet de citatione à se alta voce facta, exprimere teneatur nomina eorum, qui præsentes fuere, & prædicta locum habeant in quolibet casu, & in qualibet causa, in quo, vel qua ad petitionem alicuius personæ ex parte alicuius iudicis, seu officialis nostri, vel successorum nostrorum citari reperitur. Ita quod contra ipsam aliquid opponi non possit, seu excipi, sed tanquàm pro sufficienti, & legitima in qualibet prædictorum in omnibus casibus, & causis sufficiens, & legitima censeatur iure communi, & statuto aliquo non obstante. Saluo quod quilibet præco intelligatur habere mandatum à Potestate, & Officiali, seu quod præco possit sinè requisitione aliqua Potestatis, vel Iudicis, vel alterius Officialis citare quàlibet personam ad instantiam cuiuslibet personæ ad comparendũ, & respondendum in iure; & prædicta vendicent sibi locum, quando causa agitatur coram nobis, vel nostris Vicarijs in Spiritualibus, & Potestate in temporalibus, & quibuscunq; alijs iudicibus, statuentes quod quælibet citatio, executio, relatio, & præsentatio litterarum quocunque die fiat etiam feriata in honorem Dei, vt quis pro die non feriata compareat, valeat, & teneat aliqua lege, vel consuetudine non obstante.

¶ De citatis, & non requisitis occasione citationis. Cap. 8.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si aliqua persona querelam deposuerit de aliquo, seu aliquem citari fecerit, & faciat eum morari coram Iudice, & nihil ei dixerit, nec ab eo aliquid petierit, immo fecerit eum iterum

rum citari ad aliam diem, quod tunc ille, qui citauit, & nihil dixit, & seu fecerit in illo primo termino, quod in illis expensis debeat condemnari, & si in secunda die citationis nihil ei dixerit, quod tunc Iudex, coram quo vocatus fuerit, vocantem condemnet in duodecim carentanis applicandis Cameræ Episcopali, Et nihilominus cogat ipsum, qui eum fecerit citari, ad reficiendum omnes expensas, ac interesse citati, quas & quod vocatus ad Iudicium fecerit, & passus fuerit veniendo ad Iudicium stando, & redeundo, arbitrio Iudicis taxandũ, & taxandas, nisi ipse Iudex cognouerit quod iusto impedimento cessauerit contra vocatũ procedere.

¶ Quod præcepta ordinata per D. Potestatem fieri debeant in scriptis. Cap. 9.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si Dominus Potestas iniunxerit aliquod præceptum, ambasiatam, vel mandatum alicui Viatori, quod faciat alicui personæ, vel ad domum eius, ad postulationem alicuius, siue sub sequestro fiendo, vel saluo habendo, vel ex alia quacunq; causa, quod dictus Viator debeat in scriptis portare tenorem dictorum præcepti, ambasiatæ, vel mandati, vel sequestri, aliàs præceptum factum non valeat, nisi fiat pro citationibus ad comparendum & respondendum in iure.

¶ De Syndicis villarum tenentibus denunciare Pupillos carentes Tutoribus. Cap. 10.

ITem statuimus, & ordinamus, quod Syndici cuiuslibet plebis, qui pro tempore fuerint, teneantur & debeant infra dies quindecim perpetuis temporibus, à morte patris, vel matris, vel à tempore, quo aliter pupilli reperiantur sine Tutoribus esse, denunciare Iudicibus tutelarum etiam, qui pro tempore fuerint, mortem cuiuslibet patris familiàs, vel matris familiàs, qui, vel quæ reliquerit aliquè pupillum, vel pupillam, aut pupillos aliter carere Tutoribus, pœna librarũ duarũ, pro medietate Episcopatui, & pro alia medietate Cõmunitati applicanda, & hanc denunciationẽ facere teneantur Syndici, quando facultates pupillorum excedunt summam Rhen. florenorum centum, & facturi denunciationem pro euitandis expensis itineris, debeant secum ferre notulam bonorum, ad pupillos pertinentium, exhibendam Notario, & cum eisdem Syndicis veniant duo de proximioribus pupillorum, vel vicinis, qui alia bona nescire, quod extẽt, quam descripta, iuramento suo affirment, & nihilominus pœnæ de Iure Communi contra illos, quibus incumbit petere dari Tutores suum robur & effectum fortiantur.

Item statuimus, & ordinamus, quod prædicti Iudices tutelarum infra terminum dierum octo, à die prædictæ denunciationis cum effectu prouidisse debeant præfatis pupillis de vno tutore, seu & pluribus idoneis, sub

pœna librarum trium applicañ. vt ſupra, & ſalarium Iudicum tutelarum in totum ſit de vna libra monetę Maranen. pro quolibet centenario Rhenen. vsq; ad mille rhenen. ab inde ſuprà nihil recipi poſſit, niſi tantummodo rhenen. duo, quantacunque fuerit ſumma.

¶ De Curatoribus conſtituendis Muto, Surdo, Prodigo, certæ rei, certæ cauſæ, & ad certum tempus, ſine confectione Inuentarij. Cap. 11.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod maiori vigintiquinq; annis poſſit dari, & conſtitui Curator, ſcilicet Muto, Surdo, Furioſo, Prodigo, & reliquis ſimilibus perſonis carentibus intellectu certæ rei, certæ cauſæ, & ad certum tempus ſine confectione Inuentarij, qualibet iuris ſolemnitate prętermiſſa, & eodem modo quilibet maior vigintiquinque annis poſſit dari, & conſtitui Tutor certæ rei, & certæ cauſæ, & ad certum tempus ſine alicuius Inuentarij confectione, & quod de dicta authoritate interpoſita nihil accipiatur, & ſi aliquid acceperit condemnetur in triplo eius, quod acceperit, applicando Domino, & intelligatur commiſiſſe fraudem in ſuo Officio.

¶ De Procuratoribus, Actoribus, Syndicis, & Curatoribus ſuffi. cientibus. Cap. 12.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod quilibet intelligatur, & ſit ſufficiens Tutor, vel Curator, à Iudice conſtitutus, & Actor, & Syndicus ab vniuerſitate conſtituti, & Procurator conſtitutus à Maiore vigintiquinque annis ſine iuramento, vel à pubere cum iuramento ſolenni ad lites, & cauſas ad agendum, & defendendum, alia iuris ſolemnitate prætermiſſa, exceptis caſibus, in quibus mandatum exigitur ſpeciale: in quibus quilibet Procurator, Actor, Syndicus, vel Curator intelligatur, & ſit ſufficiens, ſi conſtitutus ſit ad lites, & cauſas, ad agendum, & defendendum cum ſpeciali mandato in caſu, in quo mandatum exigitur ſpeciale; ita, quod contra prędicta aliquid opponi non poſſit ſeu excipi, & legitimi cenſeantur, iure communi, vel ſtatuto aliquo non obſtante.

¶ De Perſonis pro alijs interuenientibus in Iudicio legitimandis. Cap. 13.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi aliquis comparuerit coram Iudice, & dixerit ſe eſſe Procuratorem, Actorem, Syndicum, & Curatorem, & Tutorem, quod ſi pars aduerſa oppoſuerit, quod non ſit Procurator,

tor, Actor, Syndicus, Tutor, & Curator, quod tunc, & eo casu ipse Iudex teneatur, & obligatus sit parte petente assignare terminum dicto Procuratori, Actori, Curatori, Tutori, & Syndico trium dierum, vel plus, secundum distantiam loci, in arbitrio domini Iudicis, ad ostendendum, quod sit Procurator, Actor, Tutor, Curator, & Syndicus, & si in dicto termino non ostenderit, quod tunc, & eo casu reficere teneatur interesse, damna, & expensas passas per partem aduersam.

¶ De Procuratoribus debentibus producere mandata sua. Cap. 14.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si quis vti procurator comparuerit coram Iudice, & contra eum oppositum fuerit, quod non sit Procurator, & si sit Procurator, quod ostendat mandatum sue procuræ, & petat copiam dicti mandati cum termino competenti ad opponendum dicto mandato, quod tunc, & eo casu, si talis summa, in qua sit constitutus Procurator, non excedat summam vigintiquinq; librarum bonæ monetę de Marano, quod tunc, & eo casu sufficiat facere fidem per Notarium tantum. Si autem summa excedat summam vigintiquinque librarum, quod tunc, & eo casu etiam ille talis Procurator teneatur producere mandatum suum parte petente, & si pars aduersa petat copiam, quod tunc ille, qui petit copiam, teneatur illam accipere sumptibus suis.

¶ De Procuratoribus per comparitionem principalis sine reuocatione non reuocatis. Cap. 15.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si Dominus fuerit in Iudicio per Procuratorem, siue ante litem contestatam, siue post, & comparuerit in Iudicio etiam procedendo, non videatur reuocare mandatum Procuratoris sui per dictam comparitionem semel, vel pluries factam, nisi eundem Procuratorem suum reuocauerit expresse.

¶ De nominando Dominum in Iudicio. Cap. 16.

ITem statuimus, & ordinamus, quod quilibet, qui conuentus fuerit ab alio, vel conuenietur occasione alicuius quæstionis realiter, vel quasi, teneatur ante litem contestatam, vel habitam pro contestata, vel saltem tempore contestationis nominare Dominum: Aliàs si postea nominaret nihilominus procedatur contra ipsum, quemadmodum si verè possideret rem, de qua verteretur quæstio, & teneatur agenti ad damna data, & interesse: si autem aliquo casu nominauerit aliquem potentiorem, ratione dignitatis, vel officij, vel alio modo, aut non subiectum iurisdictioni Trident. pleno iure, & ille talis nominans, vel nominatus non probauerit

legitimè infra sex dies vtiles, computandos à die nominationis prædictæ, ipsum nominatum talem rem verè possediſſe saltem per tres menſes retro à die dictæ nominationis, quod illa talis nominatio præsumatur, & intelligatur esse ficticia, & in fraudem petentis facta, & ea non obstante procedatur in causa.

¶ De ascendentibus, vel collateralibus personis legitimandis in Officio, Cap. 17.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si aliqua persona agat, vel defendat, vel ascendens, vel descendens, vel collateralis alicuius personæ viuæ, vel defunctæ, vsque ad quartum gradum credatur quod sit ascendens, vel descendens, vel collateralis illius personæ, si hoc fecerit in animo iudicantis; ita, quod probationes aliquæ non requirantur: si verò non fecerit in animo iudicantis; ita, quod probationes aliquæ requirantur, fiant coram Iudice, coram quo quæstio ventilatur, summariè sine capitulis, & positionibus, & de prædictis sufficiant probationes solum per vocem, & famam, saluo quod si contentio esset inter aliquas personas contendentes hæreditatem alicuius ad se spectare iure propinquitatis, tunc liquidè fiant probationes secundum iuris formam, & statutorum nostræ Ciuitatis Tridēn.

¶ Quomodo ad tribunal iuris coram ius dicente comparentes se habere debeant in dicendo, & petendo ius. Cap. 18.

ITem statuimus, & ordinamus, quod Procuratores, & quicunque alij, qui comparuerint coram aliquo ius dicente, sedente ad tribunal iuris, causa dicendi, petendi, vel defendendi factum, & ius suum, seu principalium suorum, teneantur & debeant dictum factum, & ius suum, seu principalium suorum dicere, petere, & defendere, honestè, ordinatè, & voce submissa; ita, quod intelligatur, & scribi valeat substantialiter per Notarium semel, & nemo ipsorum comparentium audeat exclamare, nec interrumpere primum dicentem, sed illum expectare debeat, donec dixerit factum, & ius suum, & primo expedito procedatur de vno in vnū, donec omnes fuerint expediti pro illa vice, & hora, & ius dicens teneatur stare ad tribunal iuris, vsq; quo fuerint expediti, & si aliquis in prædictis, vel aliquo prædictorum contrafecerit, cadat ipso facto in pœnam vnius libræ bonæ monetæ, pro medietate Cameræ Episcopali, & pro alia medietate Collegio Tridenti applicandæ pro qualibet vice, in quam pœnā teneatur ius dicens illico dictos contrauenientes mulctare, & eos non soluentes statim mittere pignoratum.

¶ De-

¶ Delitis conteſtatione. Cap. 19.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod producta petitione, ſeu libello in qualibet actione ſeu officio Iudicis coram quolibet Iudice, ſeu Officiali noſtro, vel Succeſſorum noſtrorum, in caſibus, in quibus produci debet citatione præmiſſa, ſi non comparet perſona citata ad terminum citationis, & ea ſcripta in actis per Notarium apud Iudicem, ſeu Officialem, ſub quo, vel coram quo producta fuerit, in electione ſit petitorum, vel accipiendi tenutam, vel faciendi pronunciari litem pro conteſtata, & intelligatur eſſe reſponſum ipſi petitioni negando, & procedatur, & procedi poſſit, ac ſi lis eſſet inter partes legitimè conteſtata, quæ lis auctoritate præſentis legis municipalis intelligatur, & ſit inter partes legitimè conteſtata: & ſi aduerſarius ſiue reus comparuerit in termino ſibi ſtatuto, reſpondeat dictæ petitioni, litem legitimè conteſtando, exceptione aliqua, non obſtante: quæ reſponſio habeatur pro litis conteſtatione, & procedi poſſit, vt ſupra, ac ſi lis eſſet legitimè conteſtata; & ſi reſpondere recuſauerit, & litem legitimè non fuerit conteſtatus reputetur pro abſente, & procedatur, vt ſupra.

¶ De termino dato ad probandum loco litis conteſtatæ habendo. Cap. 20.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quilibet terminus datus partibus ad probandum, habeatur loco litis conteſtatæ, & litis conteſtationem inducat, vbi litis conteſtatio non præceſſit.

¶ De capitulis admittendis. Cap. 21.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod omnia capitula tam in cauſa principali, quàm in cauſa appellationis admittantur, niſi fuerint duplicia, ſaluo iure impertinentium, & non admittendorum tempore diſputationis ſententię diffinitiuę, ſtatuto aliquo non obſtante, & idem in poſitionibus obſeruetur.

¶ De interrogatorijs productis legitimandis. Cap. 22.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod interrogatoria, quæ producuntur, per Iudicem legitimentur, qui debeat cancellare ea, quæ non legitima ſibi videbuntur, antequàm ad examen teſtium procedatur.

¶ De producentibus capitula, positiones, exceptiones, &c. tenentibus dare copiam parti aduersæ. Cap. 23.

ITem statuimus, & ordinamus, quod quilibet producens libellum petitionem, positiones, capitula, exceptiones, replicationes, & similia, rescriptum, siue supplicationes, vel alias scripturas, quæ loco petitionis producentur, teneatur, & debeat eas, & ea producere duplicatas, & duplicata, vnum quorum remaneat penes tabellionem causæ, & aliud penes aduersam partem: & si produxerit simplicia, detur copia de ipsis parti aduersę, expensis producentis: de quibuslibet vero alijs instrumentis, vel scripturis producēdis in iudicio, etiam de mandatis procuræ, tutelæ, curę, syndicatus, similiter, & in executiuis copia sententiæ, vel laudi, & in causis à vigintiquinq; libris infra, detur semper copia petitionis, & aliorum quorumcunq;, expensis petentis copiam.

¶ De tabellionibus facere debentibus instrumenta infra tempus. Cap. 24.

ITem statuimus, & ordinamus, quod tabelliones infra tres dies, postea quam fuerint requisiti, nisi infirmitate, vel iusta absentia, vel alia legitima causa fuerint excusati, debeant facere, & edere copias actorum iudicij, de quibus sunt rogati: alia vero instrumenta seu contractus, in publicam formam extrahere, & dare, habita cōdigna mercede, infra octo dies, postquā fuerint requisiti, nisi iusta causa fuerint impediti: & qui contrafecerit, soluat libras quinq; monetę Tridēti Cameræ Episcopali pro dimidia, & p alia dimidia cōmunitati Ciuitatis Tridēti applicādas: & hoc primo termino transacto, si tursum per alios octo dies neglexerit copias petitas edere, & instrumenta extrahere, tunc incidat in pœnam librarum vigintiquinq; applicandam vt proximè, saluo quod Iudex possit dictos terminos cum cognitione causæ, vel prorogare, vel etiam abbreuiare.

¶ De termino cadente in diem feriatam. Cap. 25.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si terminus citationis, vel præcepti, seu monitionis, vel aliquis alius terminus cuiuslibet Iudicis, etiam si dies fuerit expressa, ineiderit in diem feriatam, vel in quā Iudex non sederit, vel perseuerauerit ad banchum, sequens dies non feriata, in qua sederit pro iure reddendo, habeatur pro termino, si perseuerauerit ad banchum Iudex.

Item statuimus, & ordinamus, quod in causis summarijs, in quibus citatur, vel monetur, vel præceptum sit alicui, quod debeat in tertijs coram

ram Iudice comparere, & Iudex non præstiterit audientiam, quod sine alia citatione intelligatur citatus in vesperis, & si Iudex non præstiterit audientiam in vesperis, quod in die sequenti idem intelligatur sine alia citatione, monitione, & præcepto, videlicet, quod teneatur comparere hora vesperorum, ac si esset citatus pro ea hora.

¶ De diebus datis ad probandum pro vtilibus habendis. Cap. 26.

ITem statuimus, & ordinamus, quod omnes dies cuiuslibet termini dati ad probandum sint, & intelligantur esse dies vtiles in omnibus suprascriptis capitulis loquentibus de diebus vtilibus, vt infra, in statuto ab hinc tertio quod incipit.

Item statuimus, & ordinamus, quod facta litis contestatione, &c. Exceptis causis summarijs, in quibus terminus ad probañ. censeatur esse continuus, & omnibus diebus currat, in quibus ius dici potest.

¶ De pœna testium citatorum, & non comparentium. Cap. 27.

ITem statuimus, & ordinamus, quod quilibet testis citatus tam in causa ciuili, quàm etiam in criminali, ex parte alicuius Iudicis, vel Vicarij seu Officialis nostri, aut successorum nostrorum teneatur, & debeat venire ad terminum sibi assignatum, & præceptum per Præconem, coram ipso Iudice, vel Vicario, seu Officiali, ad iurandum, & perhibendum testimonium veritatis sub pœna carentanorum. xxiij. pro prima citatione, & pro alijs indupletur, cuius pœnę siue pœnarum medietas applicetur illis, vel illi, ad petitionem cuius, vel quorum citatus fuerit; alia vero medietas Cameræ Fiscali Tridenñ. ad quàm pœnam persoluendam realiter, & personaliter compellatur ipse testis, nisi iusta causa impeditus venire cessauerit, siue venire non potuerit, in arbitrio domini Potestatis.

¶ Qualiter, & quomodo testes debeant examinari in causis ordinarijs ciuilibus. Cap. 28.

ITem statuimus, & ordinamus, quod ipse Iudex causę teneatur, & obligatus sit examinare bene, & diligenter testes producendos per partes in causa, per seipsum simul cum Notario causæ, super capitulis, & interrogatorijs partium, & casu quo ipse Iudex recusaret examinare, vel non posset, quod tunc ipse Iudex deputet vnum examinatorem, vel plures de consensu partium, qui habeat, vel habeant examinare dictos testes, & mercedem dicti examinis habeant, & non Iudex. Et si Iudex committeret examen testium soli Notario causæ, quod tale examen sit nullius momenti,

menti, & ipse Iudex pariter, & Notarius incurrant ipso iure in pœnam librarum decem pro quolibet, & qualibet vice, pro medietate Cameræ Episcopali, pro alia medietate Cõmunitati applicandã, & etiam teneantur ad interesse partis, & examinato teste ei legatur dictum suum. Item quod dicti examinatores teneantur, & debeant tenere in secreto dicta, & attestationes ipsorum testium, & non possint propalare, vel manifestare directè, vel indirectè, verbo, motu, scriptura, vel ostensione dicta testium alicui partium, vel alteri personæ, sed tenebunt secreta, donec publicata fuerint, sub pœna librarum decem applicandarum, vt supra, vltra alias pœnas à iure limitatas.

¶ De probationibus fiendis intra terminum statutum. Cap. 29.

ITem statuimus, & ordinamus, quod facta litis contestatione, vt supra, verè vel fictè inter quaslibet personas, quælibet partium possit, & debeat suas probationes facere intra dies quindecim vtiles post litem contestatam; ita, quod testes iurent, & deponant in dicto termino, saluo quod Iudex siue Prætor, uel Officialis, coram quo quæstio ventilabitur, possit minorem terminum statuere cum causæ cognitione, habito respectu ad qualitatem causæ, qui terminus semper utrique parti sit communis. Et si Iudex abbreuiauerit dictum terminum ex se, quod nihilominus intelligatur abbreuiatus utrique parti, & in quo termino abbreuiato, nihilominus seruetur forma præsentis statuti, quoad probationes faciendas, intelligendo etiam, quod unus terminus detur probatorius tantummodo, & non plures, & intelligantur dies utiles omnes dies, in quibus de iure municipali ius reddi debet, & in quibus Iudex seu Potestas, uel Officialis, coram quo quæstio agitabitur, ad tribunal uenerit, & perseueraverit ad banchum sui officij horis iuridicis ordinariè, & in ordinarijs, quos dies Notarius ipse Iudicis siue Prætoris, uel Officialis, siue aliquis aliorum Notariorum, in quibus. s. diebus ipse Prætor, siue Iudex, uel Officialis uenerit siue perseueraverit ad banchum, scribere in actis eorum debeant, ita quod de prædictis veritas quocunq; tẽpore valeat apparere, sub pœna carentanorum triginta pro quolibet, & qualibet vice, infra quos quindecim dies, in primis quatuor diebus actor teneatur, & debeat producere quaslibet positiones, & capitula, quibus vti voluerit in causa prædicta, ad fundandam suam intentionem realiter, & actualiter, & reus infra octo dies vtiles à die litis contestatę teneatur, & debeat producere omnes suas exceptiones dilatorias, & peremptorias, positiones, & capitula, quibus vti voluerit in ea causa, ad elidẽdam intentionem actoris, & fundandam suam defensionem: vltra quæ tempora tam actor, quàm reus producere non possit aliquid de præmissis occasionibus antedictis in principali instan-

ſtantia, exceptis inſtrumentis, quæ producere poſſit vſque ad concluſionem cauſæ excluſiuè: ſi verò altera partium offert ſe velle reprobare teſtes per aduerſam partem productos, tunc ſi tales teſtes, ad quos ſe refert ſint infra Diœceſim noſtram, habeat decem dies continuos, & intelligantur continui omnes dies, currentes niſi ſint feriæ ad honorem Dei, & Sanctorum, vel ad vtilitatem hominum introductæ, vt latius patet in ſtatutis, maximè ſub rubrica de cognoſcendis cauſis appellationum. Si vero huiuſmodi teſtes ſint extra Diœceſim noſtram Tridentinam, tunc dabitur dies legalis, videlicet quatuor miliaria Germanica, aut viginti Italica pro die, qui dies etiam debent eſſe continui, & de pluri non dentur, aut dilatio committatur arbitrio Poteſtatis, & hoc locum ſibi vendicet in omnibus probationibus neceſſarijs: quibus diebus, & dilationibus elapſis, vt præfertur, dabuntur quatuor dies vtiles ad publicandum proceſſum, deinde alij quatuor dies vtiles ad concludendum in cauſa: qua cõcluſione facta, Poteſtas ſtabeat menſem ad ferendam ſententiam, qui menſis computetur à tempore præſentationis proceſſus, & præſentatio fieri debeat parte citata. Præſentatione autem facta, ſi ſteterit per ipſum Poteſtatem, vel alium Iudicem, quo minus ſententia ſit lata infra tempus præfixum, tunc niſi Poteſtas, ſeu Iudex iuſta cauſa, puta infirmitatis, vel alia, per nos, vel Succeſſores noſtros arbitranda, excuſetur, pœnam librarum quindecim, irremiſſibiliter exigendarum, & Cameræ Epiſcopali applicandarum, incurrat ipſo iure, per cuius pœnæ ſolutionem non intelligatur liberatus a ſolutione damnorum, & intereſſe erga partes, in caſibus, in quibus ad id de iure communi teneretur, & nihilominus ipſe Poteſtas tenea tur ferre ſententiam requiſitus, ſub eadem pœna, toties quoties negligens repertus fuerit: quo verò ad cauſas appellationum, ſeruetur ſtatutum ſub rubrica, De cognoſcendis cauſis Appellationum.

¶ De quibus cauſis poſſit cognoſci ſummariè. Cap. 30.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod de infraſcriptis cauſis reddatur ius ſummariè, & de plano, & ſine ſtrepitu, & figura Iudicij tempore feriato, & non feriato, & ſine alicuius libelli oblatione expediri, & terminari debeant ſummariè, & de plano, vt infrà continetur, videlicet, in cauſa mercenarij petentis mercedem ſui laboris, & operis, & in cauſa, in qua Dominus petit penſionem ſeu partē à ſuo Inquilino, ſeu Affictalino volo, vel colono, & in cauſa cibi, & potus, & in cauſa emptionũ, & venditionum factarum, & initarum, occaſione alicuius mercimonij animaliũ vſque ad ſummam quinquaginta librarum bonæ monetæ. Et in cauſis viduarum, pupillorum, & aliarum miſerabilium perſonarum, & forenſium agentium vſque ad ſummam quinquaginta librarum bonę monetę,

Et

Et in ōmnibus alijs casibus, & causis quę sint ad summam vigintiquinq; librarum bonæ monetæ: & quicquid fecerit Iudex siue Potestas, vel Officialis circa prædicta, in procedendo, absoluendo, vel condemnando, intelligatur, quod sit bene, rectè, & rite factum, & declaratum, & quod à sententijs latis de libris vigintiquinq; bonæ monetæ, & infrà, appellatio interponi non possit, nec de nullitate dici, possit tùm pars, quæ grauamen prætendit, infra decem continuos dies, à die sententiæ latæ coram superiore summatim, & sine processu, ac sine scriptis, sed oretenus deducere, vel ex nouis probationibus ostendere notoriam iniquitatem talis sententiæ, à qua appellatio est prohibita, vel eiusdem nullitatem, & aliàs quod sententia intelligatur transiuisse in rem iudicatam, & eius executio fiat, & à vigintiquinque libris supra, pars debeat probare de intentione sua legitimè. Volumus etiam, ac statuimus, & ordinamus, quod causæ appellationum à dictis libris vigintiquinque supra vsq; ad quinquaginta, in casibus præmissis admissæ finiantur, & terminentur, ac finiri, & terminari debeant infra sex menses continuos, à die interpositæ appellationis, vsque ad conclusionem in causa incluiuè, alias intelligatur ipsa appellatio esse deserta, & sententia mittatur executioni, nec querelari, nec arbitrium boni viri, nec restitutio in integrum peti possit, intelligendo illas esse miserabiles personas, quas dominus Potestas, vel Iudex declauerit siue determinauerit esse miserabiles, & intelligendo forenses etiam esse forenses in arbitrio domini Potestatis Tridenti.

ITem statuimus, & ordinamus, quōd inter dictos casus, intelligatur, & sit causa dotis, & incarceratorum, vt in illa, & super ea procedi possit quibuscunque diebus, & summariè, vt in ipso statuto supra continetur, etiam quantæcunq; summæ fuerint vltra dictas libras quinquaginta, & in omnibus illis casibus etiam possit Potestas instantiam causę, & probationem abbreuiare, prout sibi æquum, & expediens videbitur, consideratis personis, tempore, & locis, dummodo celere sit iudicium in dictis casibus, quibuscunque alijs statutis nostris non obstantibus.

¶ De quibus causis possit cognosci diebus feriatis. Cap. 31.

ITem statuimus, & ordinamus, quod omnes dies illi, qui continentur in statuto posito sub rubrica De cognoscendis causis appellationum, sint feriati, & pro feriatis haberi debeant, præterquam in maleficijs, & in criminalibus causis, & in ipsis diebus ius non reddatur, nisi in casibus illis, in quibus licet de iure Communi, & nisi in casibus, & causis miserabilium personarum, & pupillorum, & pauperculorum personarum agentium, quæ miserabiles, & pauperes personæ intelligantur arbitrio domini

Pote-

Poteſtatis,& niſi in ſequeſtris,& niſi in cauſis noſtris,& Eccleſiæ noſtræ Tridentinæ,& niſi in collectis noſtris,& quæſtionibus, quæ occaſione dictarum collectarum oriuntur inter ruſticos, & Communitates noſtras, ſiue noſtros diſtrictuales. In omnibus autem alijs diebus quam in illis, de quibus in dicto ſtatuto fit mentio, ius reddatur.

¶ De modo procedendi in cauſis non excedentibus ſummam librarum quinque,vel vigintiquinq; ,vel,& quinquaginta,& de earum cauſarum Inſtantijs. Cap. 32.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod cauſæ, in quibus procedi poſſit ſummariè, de quibus in ſupraſcriptis proximis ſtatutis fit mentio,terminentur, & terminari debeant iuxta diſtinctionem infraſcriptam,videlicet,cauſæ de libris quinque bonæ monetæ, & infrà, vel æſtimationem earum verè, vel veriſimiliter non excedentes, quodcunque, & qualitercunq; ſit id,quod petitur, Dominus Poteſtas habeat merum, & liberum arbitrium in citando, procedendo, & decidendo ſummariè, vt ſuprà,ſola facti veritate inſpecta, & ſine aliqua ſcriptura, etiam ſemoto Procuratorum,& Aduocatorum ſtrepitu,& per præſumptiones,indicia,& per iuramentum petenti, vel reo conuento prout ſibi videbitur, deferendum, deficientibus tamen hinc inde probationibus, & hoc infra dies tres continuos à die primæ comparitionis partium computandos, infrà quos tres dies continuos partes ipſæ probaſſe,& produxiſſe debeant quicquid prætendunt; ita tamen, quod teſtes non aliter examinentur,nec interrogentur,quam palam, & viua voce, & ſine ſcriptura,& ipſa tertia die,ſiue probauerint,ſiue non,Dominus Poteſtas, & ius dicens cauſam ipſam terminet condemnando, vel abſoluendo per ſuam ſententiam certam, & claram altera parte inſtante per iuramentum, vt ſuprà, probatione aliqua deficiente, vt ſuprà. Et ſi per actorem ſteterit, quo minus dicta terminatio ſolicitetur, vlterius non audiatur, ſed habeatur,ac ſi inſtantia fuiſſet ſpirata,& quicquid terminatum fuerit quoquomodo,ſit validum,nec per Appellationem, vel nullitatem, aut alio modo, ſiue Iudicis officio ſiue alijs infringi poſſit,& hoc ne contingat partes in litigijs diù protrahi, & tandem obtinendo ſuccumbere,quia maiores ſint impenſæ,ac damna, quam victoriæ emolumentum. A libris verò quinq; bonæ monetæ,vsq; ad quinquaginta incluſiuè, Inſtantia ipſius cauſæ ſit, & eſſe intelligatur triginta dierum continuorum tantum, vsque ad concluſionem in cauſa incluſiuè à die contradictionis, ſeu reſponſionis factæ: qua die contradictionis dominus Poteſtas, vel ius dicens immediatè ſtatuat vtriq; parti terminum infraſcriptum;& nihilominus eo ſtatuente,vel non ſtatuente,ipſo iure immediatè ſtatutus ſit & eſſe intelligatur,in cauſis à quinque

libus

libris vsque ad xxv. inclusiuè, intelligatur statutus dierum decem continuorum, & à libris. xxv. vsque ad quinquaginta inclusiuè, terminus ipse probatorius, & vt supra sit, & esse intelligatur dierum viginti continuorum, vtriq; parti ad probandum & excipiendum per omne genus probationum, & ad producendum in causa quicquid producere velit; quo termino transacto, omnia sint ipso iure, & esse intelligantur publicata, & fiat copia petenti, & nihilominus statutus sit ipso iure, & esse intelligatur vtriq; parti terminus trium dierum continuorum; exceptis tamen feriatis in honorem Dei vt suprà, in causis à vigintiquinq; libris infrà; in causis verò à vigintiquinq; libris suprà, vsq; ad quinquaginta, terminus ipse sit dierum quinq; continuorum, vt suprà, ab habita, vel oblata copia computandorum ad opponendum & reprobandum quicquid velit; quo termino elapso, ius dicens infrà dies tres continuos, in causis à vigintiquinq; libris, & infrà bonæ monetæ, & in causis à vigintiquinq; libris suprà, vsq; ad quinquaginta inclusiuè, infra dies sex continuos enumerandos, altera parte instante, & processum, & acta sibi exhibente, per suam sententiam terminare teneatur; si verò pars actrix negligens fuerit infrà decem dies continuos in causis vsque ad vigintiquinque libras, supra verò vsque ad quinquaginta libras, infrà viginti dies, & qui incipiant currere à die finiti termini statuti Notario, sub rubrica De tabellionibus facere debentibus instrumenta sibi Domino ius dicenti exhibere processum, & iura ipsius causæ, transactis dictis diebus post conclusionē in causa, tunc instantia ipsius causæ ipso iure sit perempta, & pro perempta habeatur, & pars actrix in expensis condemnetur, & vlterius non audiatur agere volens, nisi ipsis expensis refusis. Si verò per Notarium causæ aliqua partium fuerit prorogata in ei exhibendo acta, & processum causæ infra terminum prædictum, tunc Notarius subiaceat ad omne interesse dictæ partis, damnificatę ex sua culpa. Addentes quod in causis, & casibus præmissis partes intelligantur ipso iure monitæ, vt singulis diebus, & horis durante termino probatorio, debeant se præsentare & interesse coram Iudice causę, ad videndum produci capitula, scripturas, instrumenta, & iura, & ad videndum iurare testes, & ad alia audienda, & facienda, quæ in prædictis, & circa prędicta fuerint necessaria, & sic nulla specialis citatio, vel monitio specialis sit necessaria, & ad hoc, vt altera partium semper certiorari possit de omnibus, & singulis actis, quæ medio tempore alteram partem facere contingeret. Volumus & decernimus, quod Notarius à principio assumptus pro Notario in causa semper scribat ipse, & requiratur scribere, & non alius, nisi ordinario forte absente, quo casu per totam diem sequentem huiusmodi terminus & actus factus per alteram partem referatur, & reducatur ad acta Notarij ordinarij ipsius causæ; quod si secus factum fuerit, actus ipse & productio sit ipso iure nullus & nulla, & parti

alteri

alteri minimè noceat: Declarantes, & id attendendum esse in premissis, quod principaliter petitur ratione sortis, & non expensarum, quę non veniant in considerationē quantitatum suprascriptarum, per quòd statutū ex nunc decernimus præiudicari nolle, aut derogari in casibus, in quibus reus conuentus se contumacem exhibet, contra quem procedi debere intendimus secundum statuta, aliàs de reo contumace loquentia; Consulentes partibus seù parti, cui incumbit onus procedendi, pro euitando omni periculo suæ indemnitatis, quod in tempore protestetur de habenda copia actorum, & processus, vt de sua diligentia appareat, & in exhibitione processus debenti sententiare describi faciat per Notarium causæ exhibitionem illius, & diem, & mensem.

¶ De libellis non dandis nec petendis in Iudicio. Cap. 33.

ITem statuimus, & ordinamus, quod de omnibus querimonijs per libellum datis per homines Ciuitatis, & districtus Tridēti. per dominū Potestatem, vel Iudicem, seù alios Officiales nostros, vel Successorum nostrorum iustitia fiat, & fieri debeat secundum statuta, & illis deficientibus secundum bonum, & approbatum vsum Ciuitatis Tridēti. eo saluo, quod aliquis non teneatur dare libellum, nec petitionem de debito, nec de aliquo alio debito, de quo sit publicum Instrumentum, quod Instrumentum si productum fuerit, habeatur pro libello, & copia de ipso Instrumento detur parti, sumptibus producentis, si loco petitionis productū fuerit; idem etiā dicimus de scripto, & seu chyrographo illius, qui manu propria scripsit, vel qui scribi fecit manu alterius, & cōtra quem producitur tale scriptum, & seù chyrographum, nec de vigintiquinq; libris bonę monetæ, & abindè infrà, nec pensionibus, siue fictis, & decimis, etiam de partibus frugum non detur libellus, nec petitio, & similiter de Instrumētis debitorum tam præsentium, quam futurorum, in quibus renunciatum sit petitioni libelli, vel alicuius petitionis; sed vt omnes sunt, vel erunt obligati, ita teneantur, & reddatur ius creditoribus de suis Instrumentis contra obligatos, & quemlibet eorum, iuxta formam suorum instrumentorum, & etiam contra bona obligata.

¶ De summaria cognitione fienda super bonis Episcopalibus, & bonis Communis Tridenti. Cap. 34.

ITē statuimus, & ordinamus, q; in causis Episcopalibus, & maximè de recuperatione bonorū Episcopatus, & in causis bonorū, & iurium Ciuitatis Tridenti, sūmariè, & de plano sine strepitu, & figura Iudicij procedi possit, & per modum denunciationis, & inquisitionis. Et si contingeret, q; ipsa bona recuperarētur in Episcopatu Tridēti. forma prædicta, quod etiā eadem forma seruetur, in procedendo contra datores possessionum, & cęteros alios auctores, & eorum bonorum possessores pro euictione.

¶ Quod Iudex siuè Potestas teneatur dare Aduocatum, & Procuratorem in causa Episcopali, & Communitatis Tridenti. Cap. 35.

ITem statuimus, & ordinamus, quod in prædictis causis, siue procedatur per Procuratores Communitatis Ciuitatis Tridenti, siue nō, quod Iudex, coram quo procedetur, teneatur dare, contra quem proceditur, vnum bonum, & idoneum Aduocatum, & Procuratorem, expensis possessoris, si hoc voluerit ipse possessor, per quos possit de suo iure ostendere, & docere, & nisi dederit Aduocatum, & Procuratorem, non possit, nec debeat in causa vlterius procedere, & si processum fuerit, non valeat ipso iure processus, nec teneat.

¶ Quod Iudex siue Potestas similiter in causis aliarum quarumcunque personarum teneatur dare Procuratorem, & Aduocatum. Ca. 36.

ITem statuimus, & ordinamus, quod Potestas possit, & debeat in quācunque causa, etiam non Episcopali per quamcunque, contra quamlibet personam mota, vel mouenda, ad instantiam alterius partis, vel vtriusque, cogere Procuratorem, aut vnum ex Procuratoribus, qui sibi videbitur, vt Procurationis Officium assumat pro aliquo, qui Procuratorem habere, vel inuenire non posset, & fiat talis coactio cum pœna arbitrio Iudicis, secundum qualitatem causæ imponenda toties, quoties sine iusta causa recusauerit, quæ causa an sit iusta, vel iniusta, stetur arbitrio Potestatis, cum iuramento recusantis nulla appellatione interposita.

¶ De præceptis, & condemnationibus factis in confessos. Cap. 37.

ITem statuimus, & ordinamus, quod de præceptis, & condemnationibus factis in confessos in Iudicio, dari debeat terminus ad soluendum decem dierum dicto confessō, & seu condemnato: Et hoc intelligatur à decem libris suprà: & à decem libris infrà dari debeat terminus trium dierum, nisi debitor voluerit iurare de calumnia, quòd possit probare solutionem, & tunc assignetur ei terminus octo dierum cōtinuorum, modo, quo suprà, ad probandum solutionem allegatam; quibus octo diebus elapsis condemnatus vlterius non audiatur, si contradicere voluerit; & elapsis dictis octo diebus, quod tunc, & eo casu intelligatur, & sit à Iudice data tenuta contra dictum debitorem, qui in dicto termino octo dierum non probauerit, seu legitimam defensionem non fecerit, & nihilominus quartum dictę condemnationis creditori petenti soluat, Et si probata fuerit legitimè solutio, similiter cōdemnetur petens, in eo, ad quartum eius, quod petierit, & intelligatur de præceptis, & condemnationibus factis, & fiendis, & prædicta locum non habeant in hæredibus, & successoribus principalium debitorum, vel creditorum, sed solum in principalibus debitoribus, & creditoribus.

¶ De

¶ De quæstionibus omnibus ventilandis, cognoscendis, & finiendis in Palatio Tridenti. Cap. 38.

ITem statuimus, & ordinamus, quod omnes causæ, lites, quæstiones, & processus Ciuitatis, & districtus Tridenti, debeant ventilari, cognosci per sententiam finiri, & terminari in Palatio Tridenti, & non alibi, nisi fuerit de licentia nostra, vel successorum nostrorum: Quod si in alio loco ventilatæ fuerint, ipse processus sit nullus, exceptis causis leuioribus, vsq; ad quinquaginta libras, & ab indè infrà, & in Sequestris committendis, & exceptis causis delegationum, & arbitrorum.

¶ De restituendis expensis per victum victori, licet de calumnia iuratum sit. Cap. 39.

ITem statuimus, & ordinamus, quod licet iuretur de calumnia in aliqua causa, victus victori nihilominus condemnetur in expensis, nisi fuerit iusta causa litigandi, quam Iudex exprimere debeat in sua sententia: quo casu possit ab expensis absolui, ac iuretur secundum quòd iura iurare præcipiunt: & si Iudex expresè non absoluerit, partem victam ab expensis, intelligatur ipso iure condemnata, & à sententia expensarum non appelletur, nisi semel à. xxv. libræ monetæ Marasi. supra, quarum instantia determinetur, & terminari debeat infrà dies decem continuos, à die porrecti libelli appellatorij, coram Iudice Appellationis.

¶ De ferijs, & diebus feriatis. Cap. 40.

DIVINO præcepto, sabbata Sanctifices, & Sanctorum Patrum monitis, inhærentes, Statuimus, & ordinamus, cum omni veneratione custodiri, ac celebrari in honorem Diuinæ Maiestatis, ab omni litigio, & strepitu Iudiciorum, omnes, & singulos dies infrascriptos, videlicet, omnes, & singulos dies Dominicos totius Anni.

¶ De mense Ianuarij.

Diem Circuncisionis, Domini Nostri Iesu Christi, vsq; ad tertium diem post Epiphaniam inclusiuè.
Sancti Antonij de Vienna Abbatis, die decimaseptima.
Sancti Fabiani, & Sebastiani, die vigesimo.

¶ De mense Februarij.

Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, die secundo.
Sancti Blasij, die tertio.

Sancti Mathiæ Apostoli, die vigesimoquarto

¶ De mense Martij.

Sancti Gregorij Doctoris Ecclesiæ, die duodecimo.
Sancti Iosephi Confessoris, & Sponsi Beatæ Mariæ Virginis die. XIX.
Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis, die vigesimoquinto.
Omnes dies Veneris ipsius mensis Martij.

¶ De mense Aprilis.

Sancti Georgij, die vigesimoquarto.
Sancti Marci Euangelistæ, die vigesimoquinto.
Sanctæ Maxentiæ Matris Sancti Vigilij Patroni nostri Tridenti. die trigesimo.

¶ De mense Maij.

Sanctorum Iacobi, & Philippi, die primo.
Inuentionis Sanctæ Crucis, die tertio.
Sanctorum Sisinij Martyris, & Alexandri, die vigesimonono.

¶ De mense Iunij.

Natiuitatis Sancti Ioannis Baptistæ, die vigesimoquarto.
Sancti Vigilij Episcopi, & Patroni nostri Tridenti, die. XXVI.
Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, die vigesimonono.

¶ De mense Iulij.

Visitationis Beatæ Mariæ Virginis, die secundo.
Sanctæ Mariæ Magdalenæ, die vigesimosecundo.
Sanctorum Iacobi, & Christophori, die vigesimoquinto.
Sanctæ Annæ Matris Beatæ Mariæ Virginis, die. XXVI.

¶ De mense Augusti.

Sancti Petri ad uincula, die primo.
Sancti Laurentij Martyris, die decimo.
Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, die decimoquinto.
Sancti Rochi, die decimosexto.
Sancti Bartholomæi Apostoli, die vigesimoquarto.
Sancti Augustini Episcopi, & Doctoris, die vigesimooctauo.

¶ De mense Septembris.

Natiuitatis Sanctæ Mariæ Virginis, die octauo.
Sancti Matthæi Apostoli, & Euangelistæ, die vigesimoprimo.
Dedicationis Sancti Michaelis Archangeli, die vigesimonono.
Sancti Hieronymi Doctoris Ecclesiæ, die trigesimo.

¶ De mense Octobris.

Sancti Francisci Confessoris, die quarto.
Sancti Lucę Euangelistæ, die decimooctauo.
Sancti Simonis, & Iudæ, die vigesimooctauo.

¶ De mense Nouembris.

Festiuitatis Omnium Sanctorum, die primo.

Com-

Commemorationis omnium Animarum, die secundo.
Sancti Martini Episcopi, & Confessoris, die vndecima.
Consecrationum, quæ incipiunt à die decimatertia intrante Nouembri, & durante per totum diem vigesimam.
Præsentationis Beatæ Mariæ Virginis, die vigesimo primo.
Sanctæ Catherinæ Virginis, die vigesimoquinto.
Sancti Andreæ Apostoli, die trigesimo.

¶ De mense Decembris.

Sancti Nicolai Episcopi, die sexto.
Sancti Ambrosij Episcopi, & Doctoris, die septimo.
Conceptionis Beatæ Mariæ Virginis, die octauo.
Sancti Thomæ Apostoli, die vigesimo primo.
Natiuitatis Domini Nostri Iesu Christi, die vigesimo quinto.
Sancti Stephani Prothomartyris, die vigesimosexto.
Sancti Ioannis Apostoli, & Euangelistæ, die vigesimoseptimo.
Sanctorum Innocentium, die vigesimooctauo.
Sancti Thomæ Martyris, die vigesimonono.
Sancti Syluestri, die trigesimo.

ITem volumus fieri vacationes modo infrascripto, in diebus infrascriptis, à die Dominico proximo antè diem Carnispriuij, vsque ad & per totum diem Mercurij post Dominicam Casolariæ inclusiuè, & omnibus diebus Veneris Martij, vt suprà: a die Palmarum vsque ad Octauam Paschæ Resurrectionis Domini Nostri Iesu Christi, & tribus diebus Rogationum, seu Litaniarum, die Ascensionis Domini Nostri Iesu Christi, & die Paschæ Pentecostes, cum duobus diebus proximè sequentibus, & die Festiuitatis Corporis Christi pariter, & die Octaua eiusdem: Item in ferijs messium, quæ incipiunt, die Sancti Barnabæ, vndecima mensis Iunij, & durant usque ad tertiam mensis Iulij inclusiuè: Item ferijs Vindemiarum, quæ incipiunt, & intrant à Vigilia Sanctæ Mariæ de mense Septembris, & durant usque ad Octauam Sancti Michaelis inclusiuè: Item ferijs Consecrationum, quæ incipiunt decimaquinta die intrante Nouembri, & durant usque ad vigesimam dicti mensis, per totam diem.

Item omnibus diebus ad honorem Dei introductis, propter reuerentiã Diuini Nominis, qui celebrantur, & cõsueti sunt celebrari in Ciuitate Tridenti, & alijs repentinis, qui inducti fuerint per nos uel Successores nostros, seù nostrũ Vicariũ: In quibus diebus, & solemnitatibus uolumus tamen posse procedi in criminalibus ad Iudicia, capturam, & torturam.

Et ita volumus seruari, vt etiam partibus volentibus quoad dies feriatos in honorem Dei, nihil possit peti, aut fieri, quod ad causam Iudiciorum quoquomodo pertineat, & spectet, & quæcunq; agitata suprascriptis diebus, vel aliquo ipsorum, ipso iure sint nulla, & nullius efficaciæ, vel momenti, saluo quòd citationes obtentæ die non feriato possint exequi etiã dictis diebus feriatis, ad dies non feriatas, saluo etiam, quòd tempore carnispriuij, messium, vindemiarum possit procedi in criminalibus, mercedibus, & damnis datis, & vt suprà; declarantes quod in ferijs propter messes, & propter vindemias, ac carnispriuij procedi possit in Iudicijs, & causis de communi consensu partium, tacito, vel expresso; aut si renunciatum esset eisdem proximis in vtilitatem hominum introductis ferijs, in infrascriptis, & in omnibus causis sui natura de iure communi, vel de iure statutorum summarijs, aut priuilegiatis.

¶ Quod auctoritas, & decreta, ac præcepta fieri possint etiam diebus feriatis. Cap. 41.

OMnia præcepta, authoritates, & decreta possint fieri, & interponi, quibuscunque diebus etiam feriatis, exceptis in honorem Dei, & in quolibet loco Ciuitatis, Episcopatus, & districtus Tridenti, stando, & sedendo, & sic facta, seu interposita roboris firmitatem obtineant.

¶ De commissionibus causarum fiendis, & salarijs Iudicum. Cap. 42.

ITem statuimus, & ordinamus, quod quælibet commissio causarum de cætero fienda aliquibus Iurisperitis Collegij Ciuitatis Tridẽ. fieri debeat per Potestatem, vel Iudicem, coram quo quæstio ventilatur, de voluntate partium, datis per partes Confidentibus ipsarum partium, ponendo qualibet ipsarum partiũ tot Confidentes ex ipsis Iurisperitis dicti Collegij, vel alijs, si in Collegio Confidentes reperiri non potuerint, quod saltem de vno concordent, & aliter commissio non valeat, nec teneat de iure, nisi partibus, vel altera ipsarum partium negligentibus, infrà terminum à Iudice statuendum, videlicet, à tertia vsq; ad vesperas; vel à vesperis, vsque ad tertiam sequentis diei, quod tunc Iudex recipiat vnum de Confidentibus alterius partis, si dederit, & illi committat causam: & si fuerint omnes partes negligentes, tunc Dominus Potestas arbitrio suo committat, qui Iudex cui commissa fuerit quæstio, siuè solus siuè sociatus teneatur, & debeat suum consilium super causa, super qua assumptus fuerit ad consulendum, dedisse in scriptis, ad banchum officij Potestatis, seu Iudicis, vel Officialis, coram quo quæstio ventilatur, intra quin-

decim

decim dies ab habito processu: Alioquin cadat ab assumptione, & commissione prædicta, nisi iusta causa impedimenti interuenerit, ad quam causam vlterius assumi non possit, & quod salarium ipsius, & sociorum, si sociatus fuerit, taxari debeat, prout in statutis de salarijs Iudicum decernentibus, ac deponi debeat in sequestrum, & remaneat penes Notarium causæ, seu causarum, donec ipse Iudex dederit suum consilium in scriptis clausum, & sigillatum, infrà terminum antedictum, ad banchum ipsius Potestatis, seu Iudicis, vel Officialis, & quod Potestas, seu Iudex teneatur ferre sententias iuxta formam, & tenorem Consilij, infrà tertiam diem iuridicam proximam sequentem, post datum consilium.

¶ Quod committi non possit aliqua quæstio alicui Iurisperito, nisi fuerit de Collegio Ciuitatis Tridenti. Cap. 43.

ITem statuimus, & ordinamus, quod nulla quęstio seu consilium dandum super aliqua quæstione, nec ad taxandum expensas, committi possit, nisi commissio fiat in personis Doctorum, vel Iurisperitorum habitantiũ in Ciuitate, & sustinętium onera Ciuitatis; inter quos etiam inclusi intelligantur Domini Consiliarij Reuerendissimi Domini nostri, & Prætores Ciuitatis, qui pro tempore fuerint, quibus causarum cõmissiones fieri possint: & si aliter factum fuerit, ipso iure non valeat, & quod nullus Iurisperitus Ciuitatis Triden. possit eligi in Iudicem ad aliquod Tribunal, vel Officium Communis Tridenti, nisi scriptus fuerit in matricula Collegij Aduocatorum, & Procuratorum ipsius Ciuitatis; & si eligeretur, electio non valeat, & quod aliquibus Iudicibus ad iura redden da deputatis, non possint nec debeant committi aliqua consilia, etiam si in matricula Iurisconsultorum scripti forent, quod si contrà factum fuerit committens, & recipiens in vigintiquinq; libris bonæ monetæ condemnetur, & quicquid exinde secutum fuerit, ipso iure non valeat.

¶ De habendo consilio in qualibet quæstione, cùm fuerit à partibus requisitum, & de modo committendi quæstiones, & consilio sequendo. Cap. 44.

ITem statuimus, & ordinamus, quod omnes causæ seu quæstiones ciuiles à decem libris bonæ monetæ supra, in quibus ferenda sit diffinitiua sententia, vel vim diffinitiuæ habens, cum fuerit à partibus requisitum consilium sapiętis, vel altera earum, debeant committi per Iudices, Syndicos, uel Consules Communis Tridenti, qui Iudices ita demùm teneantur, nisi fuerint ipsi Doctores, uel Iurisperiti, uel eorum alter sit Doctor, uel Iurisperitus, consilio Iurisperiti de Collegio Aduocatorum Triden, in

In quibus quidem committendis nullum possint partes dare suspectum, sed dare teneantur suos Consfidentes, cum fuerint per Iudices, vel partes requisiti, notandos in continenti per Notarium causæ in actis suis, & tot Cosidentes dare teneantur, quod in vnum cõcurrant, cui causa committi debeat, vel saltem ad minus tres Consfidentes dare teneantur, pro quaq; partium, & si concurrerent in plures, quod vnus eligatur ad iortem, cui causa committatur, & si non concurrerent, quod eligatur singulus per quamlibet partem, de confidentibus amb̃arum partium, de quibus duobus vnus eligatur per sortem, & ei causa cõmittatur. Quod si aliqua partium peremptoriè citata, vel requisita, ut suos det Consfidentes, fuerit contumax, siuè eos dare recusauerit, tunc Iudex seu Iudices ipsam quæstionem vni ex Consfidentibus alteriùs partis committere possint, & debeant, dummodo non committatur alicui de ascendentibus, nec descendentibus partis, aut ius dicentis, nec collateralibus, vsq; ad secundum gradum inclusiuè, secundum ius Canonicum computando, & quod secundum consilium dicti Iurisperiti fieri debeat sentẽtia infrà tertium diem, post præsentatum consilium nulla emergente, seu aliqua exceptione obstante, & secundum ipsum consilium, in quæstione prædicta procedatur: & si aliter quæstiones committerentur, ipso iure non valeant dictæ commissiones, nec consilium, quod sequeretur ex ipsis, & sententia, taliter lata, nullam mereatur executionem, & partes reuertantur in illũ statum, & esse, in quibus erant tempore petitæ commissionis, ad Iurisperiti consilium, & nihilominus pars pro qua lata fuisset talis sententia, si intra triduum non remouerit se à dicta sententia, & omni fauori, qui sibi ex ea prouenire posset, non renunciauerit, teneatur alteri parti soluere expensas in quibus pro condemnata habeatur, quę declarentur per sacramentum partis, cui refici debent, præmissa Iudicis taxatione.

¶ De salarijs, seu & sportulis Consulentibus, vel Iudicibus delegatis dandis, & prolocutorum mercedibus. Cap. 45.

CVM sæpius contingere possit, quod sportulæ immoderatè exigantur à Iudicibus, & Consultoribus, ad decidendas causas assumptis, & idem de mercedibus Aduocatorum, & Procuratorum fieri possit; volentes vtrique exactioni in posterum esse consultum; Statuimus, & ordinamus, quod Consultores assumpti, Cõmissarij, vel Iudices delegati, vnus, vel plures assumendi, vel dandi super quibuscunque quæstionibus, & causis, debeant salarium accipere, ad plus, prout infrà declaratur, videlicet, quod tenor ipsius libelli, vel petitionis, vel instantiæ sit inspiciendus, in quo vel erit quantitas certa expressa, quæ petitur, vel aliud quid tale petitum, quòd per æstimationem reduci possit ad quantitatem, &

tunc

tunc ſecundum ipſam quantitatem expreſſam in libello, vel per æſtimationem fiendam, ſi quantitas certa non fuerit expreſſa, ſportulæ, & ſalaria ſolui debeant Commiſſarijs, & Conſultoribus, vt ſuprà, in ratione quatrinorum trium pro qualibet libra bonæ monetæ, ſiue in ratione quinq; pro quolibet centenario; ita tamen, quòd quando quantitas petita, vel vt ſuprà, reducibilis ad petitam, fuerit de Rheñ. xi., & ab inde vltrà, cuiuſcunq; fuerit quantitatis, vel æſtimationis, ſolui non poſſint pro ſportulis, & ſalario vltra Rheneñ. viginti in totum, quod ſalarium ſiue ſportulæ Conſultoris ſiue Iudicis Commiſſarij, petens ſententiam, vel conſilium exhibere debeat, ſeu deponere inſolidum penes Notarium, vel & Iudicem in caſu, quo altera pars recuſaret dimidium exponere, & illico quo vna partium exhibuerit inſolidum eidem ipſo iure pro data habeatur executio, contra alteram partem de medietate ſua, & nihilominus victa pars, ſi fuerit condemnata victori in expenſis, ipſo iure etiam condemnata intelligatur, in dictis ſportulis ſiuè ſalario Victori refundendis, nec poſſint dici eſſe plures quæſtiones quantum ad prædicta ſalaria, & ſportulas, licet ex vtraque parte, vel altera tantùm, ſint plures perſonæ, vel licet in his, ſuper quibus conſuli debuerit, vel iudicari, contineantur plures quantitates res cauſæ, vel facta ſeu puncta: Et ex omnibus fiat vna ſententia, pro cuius ſportulis, & ſalario ſolutio fiat, vt ſuprà, & in caſibus, ac taxationibus prædictis Iudex, vel Officialis, coram quo quæſtio ventilabitur non poſſit, etiam de partium voluntate dictum ſalarium, & dictas quantitates ſalariorum augere, uel minuere, vltra quam quantitatē: ſiquis Iudicum, uel ſapientum prędictorum quicquam acceperit, puniatur pro quolibet, & qualibet uice, in libris decem monetæ Marañ. & ad tantundem condemnetur pars, & quælibet earum, quæ ultra taxationes prædictas prefatis Conſultoribus, uel Iudicibus dederit. Mercedes uero Aduocatorum, & Procuratorum cæterorum taxamus, ac limitando declaramus eſſe debere ut infrà. Primò, quod Doctor faciens aliquem terminum in Caſtro pro aliqua perſona priuata, cuiuſcunq; ſit conditionis, uel gradus, uel Vniuerſitate, uel Collegio, ſi ad poſtam, & conſultò conducitur, ut terminum obſeruet, habere debeat libras duas, & groſſos ſex: Iuriſperitus uerò eodem caſu habeat libram unam, & groſſos ſex: Alius uerò Procurator habere debeat libram unam. Sed ſi ultra unum terminum pro una cauſa, alios eodem die contingat fieri terminos, ex alijs cauſis, & cùm alijs perſonis, ut ſuprà, pro quibus principaliter non ſit conductus, ſed à caſu repertus in Caſtro, terminum obſeruet pro alijs cauſis, ut ſuprà, & perſonis, tunc Doctor habere debeat groſſos quindecim, Iuriſperitus nouem, alius autem Procurator quilibet groſſos ſex: ſed ſi in una die obſeruarentur plures termini, pro pluribus principaliter, & non à caſu, tunc ſolutio fiat prædictis Doctori, Iuriſperito, & Procuratori pro qualibet

bet causa, & à quolibet secundum taxam prædictam, dummodo solutio non excedat tantundem eius, quod suprà taxatum est, & si plures fuerint, quam duo, pro quibus termini erunt obseruati principaliter, vt suprà, quod tunc omnes, quotquot erunt ad eandem taxationē vnius Rheneñ. pro Doctore, & librarum trium pro Iurisperito, & duarum pro alio Procuratore contribuere teneantur. In Palatio verò, vel coram Syndicis, aliisue Iudicibus ordinarijs, si causæ sint ordinariæ, Doctor pro singulo termino, quotquot obseruet, pro vno, vel pluribus, in vna die, habeat grossos octo, Iurisperitus sex: & quisuis alius Procurator quatuor: sed in causis extraordinarijs coram tamen Prætore, Doctor habeat grossos. xij. Iurisperitus octo, alius autem Procurator sex: si verò termini obseruabuntur coram Iudicibus Delegatis nostris, vel à dependentibus à nobis, tunc pro quolibet termino Doctor habeat grossos. xv. Iurisperitus autem grossos nouem, & alius Procurator grossos sex: quod si terminus erit obseruandus coram Vicario nostrò in Spiritualibus, seruetur eadem taxa, quæ coram delegatis est seruanda, excepto quod grossi tres adijciantur cuilibet præmissorum, vltra summam prædictam: scripturarum verò producendarum taxatio fiat iuxta quantitatem causæ; hoc tamen addito circa præmissa, quod Doctores procurare nec proloqui possint in causis libris. xxv., & abindè infrà, nisi gratis voluerint pro clientibus hoc casu patrocinari, & quod nullius termini, nec scripturarum taxatio, vel solutio fiat cuilibet ex prædictis patrocinantibus, nisi termini, & scripturæ fuerint necessariæ, arbitrio eorum, coram quibus fuerint obseruati, & productæ, ad hoc vt patrocinantes causam habeant non onerandi partes superfluitate terminorum, & scripturarum, & teneatur quilibet de prædictis requisitus sub limitationibus, & taxationibus antedictis cuilibet patrocinium suum præstare, sub pœna alioquin, si recusauerit, suspensionis ab exercitio officij sui, per vnum annum integrum, quam etiam pœnam incurrat quilibet prædictorum, qui repertus fuerit, aliquid vel exegisse, vel oblatum acceptasse, contra taxationes prædictas, nihilominus tantundem soluere debente parte, quæ similiter præmissa non obseruauerit. ¶ Quod si prędictis necessarium fuerit, se cōferre extra Ciuitatem, ad aliquam differentiam, quæ oculis subijcitur, pro die integra, qua ipsos abesse oportuerit, habeat Doctor libras quinque, & expensas, Iurisperitus verò grossos quadraginta, & alius quicunque libras duas: sed si à loco viso redire potuerint in Ciuitatem antè meridiem, habeant prædicti medietatem quantitatum prædictarum: quod si vltra vnam diem eos abesse opus fuerit, tunc Doctor habeat similiter pro qualibet die vltrà expensas libras quinque, Iurisperitus quatuor, & alius quicunque Procurator libras tres.

¶ Quó

¶ Quo tempore Iudicum salaria debeantur. Cap. 46.

ITem statuimus, & ordinamus, quod Iudices tam ordinarij quam delegati, seù Commissarij, & Arbitri, & Arbitratores, quibus per nostra statuta debentur salaria seù sportulæ, habere debeāt totum salarium ipsis taxatum, terminata causa per sententiam diffinitiuam, & si instantia pereat ipsorū defectu, nil percipiāt, & nil debeatur eis pro ipso salario, & nihilominus teneantur parti lęsę ad refectionem damnorum. Et si per ipsos non staret quo minus sententia, vel laudum proferretur, putà quia partes transigerent, vel communi consensu à lite, & Iudicio aliter discederent, vel defectu ipsarum partium perempta esset instantia; Si quidem lis sit contestata, vel habita pro contestata, & nondùm ceperint de causa cognoscere, habeant dumtaxat quartam partem totius sui salarij, & si publicato processu de meritis causæ cæperint cognoscere, habeant solum dimidiam totius dicti salarij. Statuentes quod Iudices Ordinarij ad quęcunque Tribunalia deputati, Delegati, Arbitri, vel Arbitratores, intelligendo de his, quibus ex forma statuti, vel consuetudine sportulæ debentur, nullum possint recipere salarium pro Interlocutorijs latis, vel ferendis ante vel post sententiam, etiam in executione ipsius sententiæ, in causa, in qua salarium debeatur, sed contenti sint salario constituto in ipsa causa, & contrafaciens restituat indebitè receptum, & duplum parti lęsę.

¶ Quod Iudex teneatur in eodem consilio consulere de expensis. Cap. 47.

ITem statuimus, & ordinamus, quod Iudex cui causa committitur consulenda, teneatur, & debeat de expensis etiam cōsulere, in ipso eodem consilio, & si omiserit, ipse Consultor expensas debitas soluere teneatur.

¶ Quod ab executione non appelletur, nec à sententijs inter Confitentes latis. Cap. 48.

ITem statuimus, & ordinamus, quod sententię, vel prȩcepta inter Confidentes, seù earum, vel eorum executiones non possint dici nullæ, nec ab eis aliquatenus appellari, nec ab executionibus aliquarum sententiarum, siuè executio sit iuris, siuè sit facti.

¶ Quod quilibet possit prōtestari coram Potestate, & quibuscunque Iudicibus, vel Officialibus. Cap. 49.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si aliquis de Ciuitate Trideñ. vel eius districtu protestatus fuerit, vel aliqua alia verba dixerit coram Do-

Domino Potestate Tridenti, vel Iudicibus, & Officialibus Communis Tridenti, in aliqua quæstione, vel causa, quam haberet coram aliquo prædictorum ad voluntatem suam in quæstione prædicta, vel causa, teneatur quilibet Notarius, qui præsens fuerit ibi, si rogatus fuerit per illum, qui dixerit verba prædicta, de ipsis verbis publicum conficere instrumentum non obstante quod Potestas, vel alius Officialis præceperit Notario, quòd non faciat de hoc aliquam scripturam, vel aliquod Instrumentum, & eodem modo teneatur ipse Notarius facere publicam scripturam de verbis, quæ dixerit Dominus Potestas, vel Officialis: & hoc si Notarius facere recusauerit, ipso facto incurrat pœnam librarum quinque, applicandarum Camerę Episcopali, & nihilominus de prædictis teneatur publicum conficere Instrumentum, & Potestas, vel alius Officialis, qui prædicta inhibuerit, vel inhibere voluerit, condemnetur in decem libris bonæ monetæ, pro qualibet vice, pro dimidia Cameræ Episcopali, & pro alia dimidia Communitati Tridenti applicanda. Et quicquid contra prædicta fecerit, vel eorum occasione, non valeat, nec teneat ipso iure.

¶ Quod si quis fuerit citatus ad audiendam sententiam pro certa hora, & non fuerit lata sententia, possit Iudex ferre illam alia hora. Cap. 50.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si aliquis citatus fuerit personaliter, vel ad domum suæ habitationis, vel aliàs legitimè ad audiendum sententiam, pro certa hora iuridica, & illa hora non fuerit sententia lata, possit Iudex ferre sententiam alia hora, proximè sequenti iuridica absq; alia citatione, & absque eo, quod Iudex dicat se velle differre, nisi inter ipsas horas fuerint feriæ intermediæ, quo casu requiratur noua citatio.

¶ Quod si Procurator personaliter citatus ad audiendam sententiam non appellauerit, principalis possit appellare. Cap. 51.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si Procurator citatus ad sententiam audiendam non appellauerit, liceat domino, etiam si Procurator fuerit idoneus, & soluendo, appellare, si potius hoc elegerit, quam Procuratorem conuenire, iure huic contradicente, non obstante, quòd etiam obtineat, si negligentia, seù culpa, vel dolo, aut quacunque de causa Procurator omiserit appellare; & quæ vendicent sibi locum, si dominus infra terminum, aliàs præsentibus statutis comprehensum à die notificationis dumtaxat sibi factæ, per nuncium appellauerit. Adijcientes, quod si dominus, & Procurator fuerint citati ad sententiam audiendam, & dominus ipse non fuerit præsens tempore latæ sententiæ, ipse dominus possit appel-

appellare, dummodo appellet infra tempora aliàs constituta, quæ currere incipiant à die notificationis sibi factæ per nuncium in scriptis personaliter semel, vel bis ad domum eius habitationis, licet Procurator ipse non appellauerit.

¶ Quod non possit appellari ab interlocutoria. Ca. 52.

ITem statuimus, & ordinamus, quod à qualibet sententia interlocutoria appellari non possit, sed reseruetur ad sententiam diffinitiuam; nisi esset talis interlocutoria, quæ non posset reparari per diffinitiuam, vel quę haberet vim diffinitiuę: Et quod latà interlocutorià per iudicem, vt suprà, pars habeat terminum quindecim dierum continuorum ad expediendũ, & finiendum dictam causam interlocutoriæ sententiæ; aliter quod pro deserta habeatur, & pars in illis expensis condemnetur, nisi steterit per Iudicem, qui debeat expedisse causam, sub pœna librarum quinque.

¶ Quod à sententijs latis de vigintiquinque libris infrà non possit appellari. Cap. 53.

ITem statuimus, & ordinamus, quod de vigintiquinque libris bonæ monetæ, & a vigintiquinque libris infrà à sententijs latis per Potestatem, siuè per alium Iudicem, vel Officialem Curiæ Tridenti, nullus possit appellare, nec dicere sententiam nullam.

¶ De cognoscendis causis appellationum. Cap. 54.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quicunque procedere, & agere voluerit in causa seù causis appellationum, teneatur pars appellans comparere coram Iudice ad quem, vel eius Locumtenente, infra decem dies ab appellatione interposita, & petere, vt causa appellationis per ipsum cognoscatur, vel alteri committatur, & teneatur ipsa pars appellans producere suum libellum, quem producere possit etiam parte absente, & non citata coram ipso Iudice appellationum infrà septem, post dictos decem dies, & præsentare fideiussionem infrà dictum tempus de soluendo expensas omnes factas, & fiendas, tàm in principali causa, quàm in appellatione, in casu, in quo succumbat, & iurare de veritate dicenda, & iustam fouere causam: & in casu, in quo prædicta non fecerit infra dictum tempus, vel in aliquo termino dictorum temporum, & prædictas solemnitates non obseruauerit, tunc sit ipsa appellatio deserta ipso iure, aliqua exceptione non obstante super facto, dictæ

appellationis, & intelligatur voluntariè renunciasse dictæ appellationi, & sententia lata super principali causa omnimodè executioni mandetur, causa, vel exceptione aliqua non obstante: & si produxerit libellum, & præstiterit fideiussorem, & iurauerit, vt præmissum est, & seruauerit formam, & tenorem omnium suprascriptorum, habeat tempus sexaginta dierum continuorum, si causa excedit summam vel valorem Rhenensium centum. Si verò sit infrà Rhenenses centum, habeat tempus dierum triginta continuorum, à die producti libelli, ad concludi faciendum in causa, & quòd vsque ad dicta tempora sexaginta dierum continuorum, à tempore productionis libelli possit, & debeat cognosci, finiri, ac terminari processus vsque ad conclusionem causæ inclusiuè, in casu, in quo possit appellans habere audientiam cum effectu ad Iudicem ad quem, super ipsis causis appellationum, statuto aliquo facto super ipsis appellationibus de pluribus diebus non obstante exceptis, & exceptuatis de dictis sexaginta, & triginta continuis diebus, feriis, de quibus suprà in statuto sub rubrica De feriis: Infra quod tempus sexaginta, & triginta dierum, à tempore dicti libelli dati computandorum, omnes causæ appellationis, & appellationum debeant terminari, & finiri omnimodè, vsque ad conclusionem in causa inclusiuè. Alioquin si ipsæ causæ appellationum, vel aliqua earum non fuerint infra dictum tempus dictorum sexaginta, & triginta dierum finitæ, & terminatæ, prout dictum est, quod sententiæ suè sententia à qua, vel à quibus erit, vel fuerit appellatum, firmæ remaneant, atque firma, ita quod contra eas, vel eam non possit aliquo modo, vel ingenio iuris, vel causa de iure, vel de facto veniri, & debeant, & possint post ipsum terminum omnimodè executioni mandari, causa vel occasione aliqua iusta, vel iniusta non obstante, firmis, & ratis manentibus in prædicto statuto superius exceptuatis: concluso autem in causa pars appellans instantissimè teneatur requirere à Notario causæ copiam processus sibi exhibendam, iuxta formam statuti superius, De Tabellionibus facere debentibus, &c. quam habitam in termino dierum octo præsentare teneatur ipsi Iudici appellationis, sub pœna dimidij Floreni, pro medietate Cameræ Episcopali, & pro alia Communitati applicanda; nisi steterit per Notarium, aut alia subsit iusta impedimenti ratio; arbitrio Iudicis cognoscenda, & Iudex appellationum teneatur ipsam causam suè causas infrà tempus quindecim dierum finire: & si culpa, vel negligentia Iudicis appellationum steterit, quo minus ipsa causa, vel causæ fuerint diffinitæ in eodem termino per eius sententiam, tunc teneatur refarcire damnum passo, facta sibi denunciatione: & quòd omnia in dicto statuto contenta, quæ dicta sunt de appellationibus, locum non habeant, quando dicitur ipsa sententia ipso iure nulla, sed excipi possit de iure nullitatis quolibet tempore contra

senten-

sententiam, & etiam prędicta similiter locum habeant, quando sententia arbitramentalis petitur reduci ad arbitrium boni Viri, & in appellationibus à Domino Potestate, aut à Consulibus ad Nos, vel à Delegatis Nostris ad Nos, & à Syndicis Cõmunis Tridenti, ad Iudices appellationum Communis Tridenti, & in appellationibus à Iudicibus appellationum Communis Tridenti, ad Sapientes, & Consules Ciuitatis Tridenti, & q̃ Consules Ciuitatis possint eligere vnum, vel duos ex ipsis, qui causas audiant appellationis vertentes coram ipsis, vsq; ad conclusionem in causa inclusiue; sed quod sententia feratur per omnes Ipsos Consules cum Consilio Sapientis partibus non suspecti; in alijs verò, quando appellaretur ad Patriarcham, vel Papam, vel Imperatorem, à Sententijs latis per Dominum Episcopum, vel eius Vicarium, vel Officialem, vel Locumtenentem, locum habeat ius commune, & quòd appellatus etiam possit prosequi appellationem, sicut appellans, infra dictum tempus, & q̃ illi dies sexaginta, & triginta continui respectiuè non currant, si aliqui termini de voluntate partium retinerentur per Iudicem, vel per rescriptum superiorum, ad vnius etiam partis instantiam obtentum; quæ tamen retentio, vel suspensio ita demum prosit, si in manibus alicuius Notarij ipsum rescriptum fuerit præsentatum coram Iudice causæ.

¶ Quæ appellatio prævaleat, an facta viua voce, vel postea facta in scriptis. Cap. 55.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si secunda appellatio in scriptis interposita infra tempus legitimum fuerit interposita, quòd ab ea incipiat currere tempus prosequendæ appellationis, etiam si tempore primæ appellationis viua voce interpositæ nihil protestatus fuerit de alia appellatione interponenda; aliàs si secunda appellatio in scriptis facta infra tẽpus legitimum, & præmissum non sit interposita, tunc à tempore primæ infra tempus debitum interpositæ incipiant currere, decernentes etiam quòd in huiusmodi appellationis interpositione, quando ex interuallo, & in scriptis interponitur, sufficiat eam vel interponere in loco Tribunalis ipsius Iudicis, vbi sententiam suam, seù laudum tulerit, seù ad domum Iudicis, vel Iudicum, in casu quo Tribunal non habuerit, adhibitis solum Notario, & duobus testibus, omissa omni alia iuris solemnitate.

¶ De modo procedendi contra Debitores; & pignoribus faciendis. Cap. 56.

ITẽ sta. & ord. q̃ in executionibus faciẽdis cõtra Debitores, si debitũ nõ excedit sũmã grossorũ charantanorũ. xxi v. vel si fuerit debitũ ex causa

affictuum, siuè temporalium, siuè perpetualium, quantæcunq; & qualiscunque summæ, & quantitatis: similiter etiam, si fuerit ex causa mercedum Doctorum, Aduocatorum, Procuratorum, & Notariorum, quantacunq; fuerit summa; fiat præceptum seu mandatum in scriptis per scedulam debitori, vt infra dies tres ab habito mandato soluisse debeat creditori id, in quo ipsi tenetur, cum clausula iustificatoria, videlicet, si putat se grauatum, compareat parte citata; & post lapsum dictorum trium dierũ, si talis iussus non se grauauerit de dicto mandato, vel concors aliter non fuerit cum creditore, pignorari possit illico per familiam, & cum scedula; à viginti quatuor verò grossis suprà, vsq; ad libras decem bonæ monetæ inclusiuè, primo fiat præceptum per scedulam debitori, vt soluisse debeat infrà tres dies ab habito præcepto, id in quo tenetur debitori pœna pignorationis per Viatorem. Deinde, si non soluerit per aliam scedulam, & soluta tenuta Massario Episcopatus, vel Massario Collegij Notariorum Ciuitatis, iuxta tempora, de quibus infrà, qui pro tempore fuerit, pignoretur per Viatorem, hoc est, requiratur, vt pignus designet, qua pignoratione facta per Viatorem, si debitor infra alios tres dies non soluerit, vel aliàs concors non fuerit cum creditore, quantuncunque pignus designasset, possit pignorari per familiam, mediante tamen alia scedula per familiam, absque alio præcepto, quòd restituisse debeat pignus designatum, & prædicta ad vnguem seruentur, nisi debitor etiam de quantacunque maiori summa se obligasset, ad certum terminum soluere creditori, sub pœna familiæ; quæ obligatio tunc teneat, & adueniente termino debitor ex dicta obligatione pignorari possit per familiam, & pignoratione per familiam in quocunque casu facta, seu sequuta, tunc habeat debitor ipse, ipso iure, eo absque quòd sibi fiat præceptum, terminum dierum decem continuorum, ad exigendum pignora sua à Massario Cameræ, & lapsis dictis decem diebus, Massarius Cameræ pignorum, instante creditore, teneatur, & debeat pignora debitoris ipso facto subhastari facere, eo absq; quod aliquod præceptum sibi Massario desuper fiat, & talis subhastatio non fiat absque præsentia ipsius Massarij Cameræ pignorum, & ab alio non fiat, quàm ab Officiali Communitatis: si verò creditor pro dicta venditione, lapsis dictis decem diebus, apud dictum Massarium Camerę nõ institerit, dictus Massarius teneatur, & debeat huiusmodi subhastationem tardare, ad minus ad vnum mensem, à die præsentationis ipsorum pignorum ad eius Cameram; qui si in præmissis, vel infrà dicendis contrafecerit, incurrat pœnam librarum vigintiquinque bonæ monetæ, pro quolibet pignore, & qualibet vice Communitati Tridenti applicandam, & vltra hoc ab Officio deponatur; à libris verò decem bonæ monetæ suprà, volumus, quòd ad huiusmodi executiones per scedulas, & talia præcepta minimè procedi possit: sed talis debitor à dictis

decem

decem libris suprà, citetur coram Domino Prætore, & fiat contra eum petitio verbo, & penes acta, nisi summa, quę petitur, excederet summam librarum quinquaginta bonæ monetæ, quo casu parte instante fiat in scriptis, & per libellum, præter quam in casibus statuti positi sub rubrica, De libellis non dandis, &c. quàm petitionem, seù, & libellum si reus confessus fuerit, fiat contra eum præceptum in confessum, & habeat terminum dierum decem continuorum ad soluendum creditori id, quod debet, vel per eius confessionem tenetur, nisi debitum confessatum excesserit summam viginti Rhenensium, quo casu, quòd scilicet excedat summam rhenensium viginti vsque ad summam rhenensium quinquaginta, volumus, & decernimus, seù extendimus dictum terminum decem dierum ad dies viginti continuos, vt suprà, ita quòd habeat dies viginti ad soluendum, vt suprà. Si verò tale debitum cõfessatum excesserit summam rhenensiũ quinquaginta, & quantacunq; fuerit summa; tunc habeat debitor terminum dierum triginta continuorum, quos terminos similiter habeant, si tales rei conuenti negantes huiusmodi petitiones, seu libellos aliter iuridicè conuicti fuerint, & lapsis dictis diebus supra limitatis, si talis debitor non soluerit, vel aliàs cũ creditore non fuerit concors, iterato citetur coram Domino Potestate ad designandum pignus; quod si designauerit, scribatur in actis; si verò non designauerit, vel aliàs in comparendo, vel designando contumax fuerit, detur tenuta, vigore cuius tenutæ concessæ, & solutæ Massario Episcopatus, aut Massario Collegij Notariorum Ciuitatis, si huiusmodi tenuta fuerit concessa à festo Sancti Nicolai, vsq; ad ferias Natalitias cuiuslibet anni, iuxta consuetudinem hactenus conseruatam, fiat præceptum ipsi debitori, vt designasse debeat pignus pro quãtitate illius debiti; qui debitor, si non designauerit pignus, tunc pignoretur per familiam, nec volens contradicere audiatur, nisi refusis expensis: sed si designauerit, tunc fiat præceptum contra ipsum debitorem, qui infrà terminum dierũ trium continuorum ab habito præcepto restituisse, & præsentasse debeat ipse dictũ pignus Cameræ pignorũ, q pignus si intra dictũ terminum dierum trium nõ præsentauerit ad dictã Camerã pignorum, tunc pignoretur per familiam; qui debitor, si pignus vetuerit ipsi familiæ, tũc pignoretur per vim, & puniatur de pignore vetito, iuxta formã statuti, de vetãtibus tenutas, & pignoras; & casu, quo talis debitor per vim restiterit ipsi familiæ taliter, q etiã per vim executionem facere non possint, tũc ad partis instantiam Gastaldiones Ciuitates, qui de quatuor mẽsibus in quatuor menses per Consules Ciuitatis deputantur, teneantur, & debeant ire ad faciendum fieri executionem huiusmodi; qui Gastaldiones si recusauerint, ipsi de suo pignorẽtur de tota summa debita, & de expensis, & contra eos talis executio fiat, & fieri possit: exequentes verò pro qualibet vice, qua iuerint ad faciẽdã fieri huiusmodi executiones nõ

habeant, & habere debeant ex bonis debitoris quatrinos tres, pro quali-
bet libra, de qua debitor ipse pignorandus erat; qua pignoratione per fa-
miliam, vel per vim, aut Gastaldiones facta, vt suprà, talis pignoratus
habeat ipso iure terminum dierum decem continuorum, ad exigendum
pignus, & si non exegerit infrà dictum tempus statutum, pignora ipsa in-
stante dicto creditore, vt suprà, vendantur ad incantum in die Sabbati, &
ad præsentiam Massarij, vt prædictum est, & aliter quàm in singulis die-
bus Sabbati, venditiones pignorum fieri non possint, exceptis illis, quæ in
causam nostram, Massarij nostri, & ipsius Communitatis factæ essent,
dummodo aliquod Festum obseruatum non occurrat ea die, & plus offe-
renti tradantur, cum termino tamen, quòd si debitor ipse, in cuius præiu-
ditium facta sit talis subhastatio, intra dies tres continuos tunc succes siuos,
dicto emptori pecuniam suam restituerit, ipsa pignora sibi restituantur.
Et prædicta intelligantur, si huiusmodi executiones fieri contigerit de pi-
gnoribus mobilibus, etiam si pignora sint conuentionalia, si verò pigno-
ra fuerint in bonis stabilibus, seruetur forma statuti positi sub rubrica,
De venditionibus fiendis de bonis debitorum.

¶ De modo, & forma iuris reddendi de debitis non vsuratijs, & de doti-
bus, & donationibus, & legatis mere tamen lucratiuis. Cap. 57.

DE debitis ex dotibus, ac donationibus, & legatis mere lucratiuis,
fiat ratio in hunc modum, videlicet, si debitum fuerit quinquaginta
librarum bonæ monetę, vel abindè superius, & debitor dare voluerit cre-
ditoribus de suis bonis in solutum, valentibus quantitatem debiti, secun-
dum æstimationem faciendam per communes amicos, tunc creditor eli-
gat vnum, & debitor alium ad æstimandum possessiones, & bona mobi-
lia debitoris, si se concordabunt: & si se concordare dicti æstimatores
non possent, Dominus Potestas, vel ius dicens dare debeat tertium æsti-
matorem, qua æstimatione facta, creditor teneatur in solutum accipere
arbitrio Prætoris, vel reliquorum Officialium ius dicentium, secundum
qualitatem personarum, & ipse creditor non possit, nec debeat conueni-
re, nec molestare debitorem volentem ita satisfacere, vt dictum est, sed
debitor ipse volens satisfacere creditori de suis bonis, vt superiùs dictum
est, compellatur dare omnia sua mobilia, & immobilia in scriptis credi-
tori, & in ipsius creditoris, vel creditorum electione sit, accipere de bo-
nis, & possessionibus debitoris, vel debitorum quas, & quæ voluerit, vbi-
cunque sint, exceptis domibus, in quibus debitor habitat, & horto, & cu-
ria: & si aliquid omiserit scienter, puniatur in quarta parte eius quod de-
bet parti; decernentes tamen, quod si apparuerit, seù constiterit, quòd
mulier dedisset, vel attulisset in dotem certam quantitatem bonorum

mo-

mobilium teneatur etiam tot mobilia pro rata in æſtimationem, vt ſupra in ſolutum recipere in electione mulieris.

¶ Quod in Inſtrumento dotis per Notarium inſeratur, & nominetur ſpecifice valor rerum mobilium datarum in dotem. Cap. 58.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod quilibet Notarius, qui fuerit rogatus de aliquo Inſtrumento dotali, teneatur, & debeat benè intelligere, ad quam quantitatem aſcendant bona mobilia, & illam quantitatem in Inſtrumento per ſe exprimat, etiam ſi non denominet capita rerum, & quantitatem pecuniæ ſimiliter exprimat, vt tempore reſtitutionis innoteſcat, qualis reſtitutio fieri debeat, ſtante ſtatuto ſupraſcripto, & hoc ſub pœna librarum vigintiquinque bonæ monetæ Fiſco applicanſ. & damnorum paſſorum refectione.

¶ De modo procedendi contra debitorem, quando de debito apparet Inſtrumentum publicum. Cap. 59.

PRouidemus, ſtatuimus, & ordinamus, quòd pro exigendo debito quantitatis conſiſtentis in pondere, numero, vel menſura, vel aliqua certa re, vel ſpecie, à decem libris bonæ monetæ ſuprà, de quo debito appareat publicum Inſtrumentum, vel chyrographum priuata manu confectum, ſubſcriptum à tribus teſtibus, non ſit neceſſe libellum, vel aliam ſolennem petitionem in ſcriptis, vel aliter porrigi, vel offerri, ſed ſufficiat in dicto Inſtrumento nominatum creditorem, aut ipſo creditore mortuo, ipſius hæredem, vel ceſſionarium creditorem, vel eo mortuo eius hæredem, de qua ceſſione per prius conſtet Iudici per publicum Inſtrumentum, ſeù alterius eorum legitimum Procuratorem, vel aliam legitimam perſonam, de cuius mandato, vel legitimatione perſonæ per prius etiam antè omnia Iudici fiat idonea fides, per Inſtrumentum publicum, vel per atteſtationem Notarij de ipſo præcepto rogandi; & cuius mandati legitimatio referetur in infraſcripto termino triginta dierum comparere coram quouis Iudice Ciuitatis Tridenti competenti, & præſente nominato debitore, ſeù eo mortuo eius hærede, aut ceſſionario, aut eo abſente, legitimè tamẽ ad hoc citato, Inſtrumentum publicum debiti producere, & verbo tenus petere à dicto Iudice, quod Inſtrumẽtum prædictum pro debito in eo contento exequatur, ſeù exequi faciat contra ibi nominatum debitorem prædictum, ſeù contra eius hęredem, hæredis perſonam nominando, & declarando: dicta tamen productio, petitio, & declaratio per Notarium de medio in ſcriptis redigatur; quo facto Iudex, vt præfertur ſtatim viſis, & intellectis per eum prius Inſtrumentis prædi-

cts

ctis dicto nominato debitori, seu eius heredi præsenti, vel absenti, citato tamen, vt suprà, præcipiat, quòd vsque ad terminum triginta dierum continuorum, à die dicti præcepti, siuè notificationis de ipso præcepto legitimè factę. computandorum, debitum in ipso Instrumento comprehensum soluisse debeat dicto asserto creditori, seu cessionario, seu eorum hæredi asserto, semper singula singulis congruè referendo: aut si id, quod petitur, debitum esse negauerit, vel se non teneri dixerit, probasse, & probatum habuisse, quicquid vult, & potest, quare soluere non teneatur, in totum, vel pro parte: quòd si probare nequierit ex aliquo iusto impedimento, quod suo sacramento affirmauerit, vnusquisque terminus dictorum terminorum in suo casu, ad alios decem dies continuos parti probare volenti prorogetur, nec vltrà protrahi possit spatium dictorum terminorum: & si infrà dictas dilationes, seu terminos aliquid contra dicta talia Instrumenta non fuerit probatum, quod releuet, tunc, & in eum casum præceptum vigore dictorum Instrumentorum, siuè scripturarũ factarum, prorsus omnibus iuris remedijs contra bona, & secundum formam statutorum, de cessione bonorum, executioni mandetur; volentes quod dictum præceptum fiat purè, & simpliciter, non obstantibus aliquibus exceptionibus, tunc per ipsum reum oppositis, etiam impedientibus litis ingressum, quas exceptiones reseruamus discutiendas, & liquidandas in dicto termino. xxx. dierum, à quo quidem præcepto, & termini assignatione nullo modo appellari, querelari, de nullitate dici, aut supplicari, aut restitutio peti, vel officium Iudicis implorari, etiam per viam exceptionis, in omnibus prædictis possit; in quo termino triginta dierum etiam dictus nominatus creditor, seu cessionarius prædictus, aut dicti eorum hæredes asserti possint, teneantur, & debeant probare, & liquidare, & probatum, & liquidatum habuisse, quicquid volunt, & possunt, si quid forsitan probandum, & seu liquidandum eis incumbere crediderint, pro concludenti fundamento suæ intentionis, vt sunt mortes, parentelæ, aditiones hæreditatum, & similia, & omnia alia sibi necessaria, & etiam mandatum ad instantiã partis volentis disputare de ipso mandato, quo termino elapso si in Instrumento nominatus debitor, vel eius hæres, & vt suprà, qui se hæredem aliàs debitorem non negauerit, sed confessus in Iudicio fuerit, nihil probauerit contra Instrumentum, vel aliter, propter quod constet ipsum non teneri, & liquidata etiam in Iudicio persona hæredis, asserti creditoris, vel cessionarij, similiter per partis aduersæ confessionem, quando videlicet ad instantiam hæredis nominati, creditoris, seu cessionarij præceptum factum esse contigerit, Iudex ipse nulla facta pronunciatione, & absque alterius termini assignatione ipsum Instrumentum, seu præceptum executioni mandet, seu mandari faciat iuris remedijs contra dictũ debitorem, seu eius hæredem, & vt suprà, cui si præceptum factum exti-

terit,

terit, idem sit, ac si esset sententia, quæ in rem iudicatam transiuisset, vel præceptum in confessum, contra quorum executionem nulla omnino exceptio, vel defensio competeret, obstaret, aut opponi posset; debeat tamen is, cui factum est præceptum prius citari infra terminum Iudicis arbitrio statuendum, ad contradicendum, ne committatur executio præcepti, & ad videndum illam committi: in quo termino si non comparuerit, aut si comparuerit, & nihil opposuerit, in dilatione assignata executioni mittatur: Si verò opposuerit exceptionem aliquam, quæ emerserit post dictum præceptum, quam solam tunc volumus posse opponi, & ad quam probandam assignetur terminus sex dierum, si non probauerit saltem semiplenè, incidat in pœnam expensarum, & interesse partis aduersæ, & si non probauerit, Iudex statim post dictos sex dies exequatur, prout iuris erit: si verò aliquæ cuiusuis speciei, aut generis probationes præiudiciales tàm debiti petiti subsistantiam concernentes, quàm personarum liquidationem ex alterutra partium, seu ex vtraque earum infra dictum terminũ triginta dierum factæ, seu productæ fuerint, tunc Iudex non obstante dicto præcepto, quod tunc in suspenso huius antedictæ prouisionis conquiescat, immediatè die sequenti prædictum terminum, omnes ipsas probationes siuè testium dicta, si qui fortè recepti fuerint, publicet, & successiuè ambabus partibus assignet terminum trium dierum immediatè sequentium, ad accipiendum copiam infra dictum terminum, tradendam per Notarium, ad quem spectat, omnibus iuris remedijs, vt suprà, pignoribus captis, & mulcta pro motu Iudicis indicta, etiam præcisè per ipsum Iudicem astringatur ad partis eam petentis requisitionem, & etiã sub pœnis modo, & forma, de quibus in rubrica De pœna Iudicis, & Notarij non tradentis copiam actorum parti, dispositum, quem terminum ipsi Notario possit Iudex ipse prorogare ex causa legitima, & post prædicta terminum duorum dierum continuè succedentium assignet ad opponendum, & contradicendum attestationibus, seu probationibus prædictis, præsentis auctoritate statuti. Si Iudex prædicta non fecerit, id est non publicauerit, & terminos non statuerit, vt suprà dictum est, ipsæ probationes, seu attestationes ipso iure publicatæ intelligantur, & sint, & similiter dicti termini statuti sint, & esse intelligantur, & in casu, quo per vtramque partium nil infra dictum terminum oppositum fuerit, si Iudici constiterit per assertum debitorem seu prætensum eius hæredem tale quid probatum esse, propter quod soluere non teneatur, in toto, vel in parte, vel Instrumentum falsum esse, vel debitum in toto, vel in parte solutum fuisse, vel pro parte petentis, si fortè assertus hæres nominati creditoris, vel eius cessionarij fuerit, qui petierit, seu contra assertum hæredem prætensi debitoris petitio emanauerit, necessariam, & concludentem liquidationem factam non fuisse, tunc non mandetur executioni Instrumentum

tum quatenus constiterit conuentum non teneri, seù eum teneri non apparuerit, imo eà tenus absoluatur ipse conuentus, pro modo, & viribus probationum: quatenus verò apparuerit eum debitorem esse, consideratis probationibus, & liquidationibus factis, ea tenus Iudex nullo assignato termino, Instrumentum, seù præceptum executioni mandet, seù mandari faciat contra eum, ac si esset sententia, quæ in rem iudicatam transiuisset, vel præceptum in confessum, & vt suprà; contra quorum executionem nulla omnino exceptio, dilatio, aut defensio competeret, obstaret, aut opponi posset, citata tamen parte ad contradicendum, & videndum, vt suprà diximus: si verò dictæ partes, vel altera earum aliquid infra dictum terminum duorum dierum opposuerit, seù opposuerint, tendens ad enerationem probationum contra se factarum, seù productarum, tunc Iudex productis ipsis oppositionibus in continenti ipsi, vel ipsis assignet terminum quinq; dierum continuorum immediatè sequentium, ad probatum habendum intentionem suam super oppositis; quod si non fecerit præsentis statuti auctoritate intelligatur, & statutus sit; possit tamen Iudex ex legitima causa maiorem terminum præfigere, vt ei videbitur, attenta distantia locorum, & aliis circunstantijs: quo termino elapso Iudex incontinenti attestationes testium productorum, omnesque alias factas, seù productas probationes publicet: quod si non fecerit incontinenti, huius auctoritate statuti publicatæ intelligantur, & sint, & pro modo, & viribus probationum, & actitatorum, vel absoluat conuentum, vel exequatur Instrumentum, prout superiùs in casu proximè præcedenti dictū est, citata tamen parte ad contradicendum, & videndum, vt suprà diximus. Et sanè vlteriùs prouidentes, Statuimus, & ordinamus, quod si constiterit de solutione, vel satisfactione facta antè termini assignationē ipsimet petenti, vel alij de eius voluntate, & consensu, vel alteri, à quo causam habuerit, si modo ipse petens sciuerit, vel ratam habuerit, condemnetur petens per Iudicem in pœnam quarti eius, quod in dicto termino triginta dierum probatum fuerit esse solutum, vel satisfactum, applicandum parti, & nihilominus auctoritate præsentis statuti in id condemnatus ipso iure, & ipso facto intelligatur, alijs pœnis legalibus nihilominus saluis contra eum remanentibus, cuius pœnæ executio statim, ac ipso facto fiat per Iudicem ipsius causæ, contra ipsum condemnatum realiter, & personaliter. Et hic exequendi modus etiam sibi locum vendicet contra fideiussorem in dicto Instrumento nominatum, & contra eius hęredes, quando legitima præcesserit excussio, vel etiam quando non præcesserit, sed aliàs de iure contra fideiussorem prædictum, seù hęredem eius procedi conceditur ad debiti exactionem, seù prosecutionē, de qua excussione, quando necessaria fuerit in petitione executionis Instrumenti prædicti, fiat opportuna mentio, sed infrà terminum triginta

dierum

dierum prędictum de ea excussione, & de alijs necessariò liquidandis sufficiat, & debeat fieri probatio, & prædicta etiam locum habeant in exactione quorumlibet debitorum annuorum, & sub quauis alia temporali præstatione comprehensorum, vt sunt emphyteusis census, vel pensionis, vel alterius huiusmodi, quatenus videlicet, ex Instrumenti publici inspectione, & temporis lapsus cõsideratione subsistere, & debita dici possunt, & etiam denariorum datorum ad bonam mercationem, de quorum datione extet publicum Instrumentum, vel vt suprà, chyrographum trino teste subnotatum, & lucrorum, & interesse inde legitimè secutorum; de quibus lucris, & interesse, & de quantitate quorum in petitione executionis prædicta fiat expressa mentio, sufficiat tamen intra terminum triginta dierum de ipsis legitimam probationem facere. Habeant etiam locum prædicta in vltima voluntate decedentium, de quibus similiter publicum Instrumentũ appareat testamenti, vel codicillorum, aut donationis causa mortis. In obligationibus verò factum continentibus, etiam si de hoc publicum appareat Instrumentum, via ordinaria procedi volumus; præter quam in Instrumentis conseruationem indemnitatis ab obligationibus, continentibus quantitatem, vel speciem, in quibus forma præsentis statuti sibi locum vendicet: prouidentes, quòd per aliquam Iudicis pronunciationem, vel partium protestationem non possit terminus prædictus triginta dierum suspendi, nisi de ambarum partium consensu, aut aliquo ex casu suprà præmisso, & in instantijs factis ad respondendum capitulis, seu positionibus, videlicet illud tempus, quo super his instatur, in dicto termino non computetur; sic tamen, quòd ponens capitula, seu positiones singulis horis congruis instet, & instare debeat ad actus successiuos circa prædicta; quòd si non fecerit, sed temporis interualla interposuerit, totum illud tempus, quo supersederit in termino prædicto computari mandamus; volentes etiam, & statuentes, quod nullo modo possit appellari, querelari, supplicari, vel de nullitate dici, vel aliud contra prædicta, vel aliquod prædictorum, etiam per viam exceptionis, nec etiam ab aliquo actu Iudicis siue verbo, siue facto procedentis, secundum præsentis statuti formam; volentes, & specialiter decernentes per prædicta, vel aliquod prædictorum alicui viæ, seu formæ procedendi ordinariæ, aut alij, si qua quouis iure supereſt, breuiori, nullo modo præiudicari, immò licitum sit omnibus, & singulis petere volentibus, via præsentis statuti omissa, vti à principio qualibet alia de iure permissa, vel concessa, & vti ista, alijs penitus omissis, quibuscunq; in contrarium facientibus non obstantibus, quibus omnibus, & singulis ex certa scientia, & generaliter, & specialiter derogamus, & derogatum esse volumus omni meliori modo, via, iure, forma, & causa, quibus melius, & efficacius possumus.

¶ De

¶ De prohibentibus intrare domos, ne apprehendatur tenuta. Cap. 60.

ITem ſtatuimus,& ordinamus, quod nulla perſona ſit auſa prohibere, ne viator cum illo, vel eius nuncio, qui acceperit tenutam intret domum habitationis illius, in cuius præiudicium accepta fuerit tenuta, nec oſtia domus, cameræ, vel cellæ claudere, vel clauſa tenere, immo teneatur aperire eam, & aperiri facere, vt poſſit apprehendere tenutam datam ſuper bonis mobilibus exiſtentibus in dicta domo, & quicunque contrafecerit, vel fieri mandauerit, condemnetur in libris tribus bonæ monetæ, & nihilominus ſtatim manu militari Poteſtas, vel Iudex debeat mittere Gaſtaldiones, & familiam cum dicto Viatore, & nuncio, qui per vim aperiant, & rumpant dicta oſtia, vt valeat, & poſſit dicta tenuta apprehendi.

¶ De executione tenutarum ſuper quibuſcunque rebus. Cap. 61.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi tenuta fuerit accepta ad domum alicuius debitoris,vel alibi,in prejudicium debitoris,quod Prœco teneatur illud, quod acceperit in tenutam de bonis mobilibus æſtimare, ſi id, quod acceperit, non ſit ſufficiens ad debitum petitum, pro quo accepta eſt dicta tenuta, quòd poſſit ipſe Præco inquirere à vicinis,ſi ſciunt aliquid eſſe alicubi de bonis ipſius debitoris mobilibus; & ſi dixerint ſe neſcire, tunc ipſe Præco poſſit accipere tenutam ſuper bonis immobilibus quibuſcunque debitoris nulla alia excuſſione facta, & quòd prædicta excuſſio facta per Præconem ſuper rebus mobilibus habeatur pro legitima excuſſione, ita quòd ipſe Præco poſſit licitè apprehendere tenutam ſuper rebus immobilibus, ac ſi pronunciatum eſſet per Iudicem excuſſionem legitimam eſſe factam, & poſſe procedi ad immobilia, & eodem modo poſſit procedi ad iura, & actiones debitorum in aprehendendo tenutam ſuper iuribus, & actionibus ipſius debitoris.

¶ De creditoribus pignora extra Ciuitatem, & Diſtrictum non debentibus exportare. Cap. 62.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod creditores non debeant pignora exportare extra Ciuitatem, & Diſtrictum Tridenti, per ſe, vel per aliam interpoſitam perſonam: & ſi voluerint vēdere pignora debitorum non ſoluentium debitum, ſeù debita ſua, quod ea teneantur, & debeant publicè in Ciuitate Tridenti tantum vendere, ſi in Ciuitate capta, vel in ea parte Diſtrictus capta, vel in loco Iuriſdictioni Tridenti, ſuppoſito fuerint

fuerint bona fide, sine fraude, secundum formam iuris, & statutorum nostrorum, & qui contrafecerit, actionem perdat, & cadat à debito, & nihilominus teneatur res, vel valorem rerum restituere debitori, & Soluat Episcopali Camerę vigintiquinq; libras denariorum paruorum pro qualibet vice, & credatur vni soli testi bonæ opinionis, & famæ.

¶ De termino statuto ad exigendum pignora conuentionalia, & voluntaria. Cap. 63.

ITem statuimus, & ordinamus, quod terminus decem dierum statuatur tantùm debitoribus ad exigendum pignora, voluntariè & specialiter obligata, & designata, vel in depositum accepta, si fuerint bona mobilia: Si verò fuerint bona immobilia taliter obligata, vt suprà, statuatur terminus quindecim dierum ad exigendum ea pignora, quibus terminis elapsis, dictus creditor habeat licentiam procedendi ad venditionem, secundum formam statutorum Tridenti, nulla alia contradictione obstante, & hoc statutum habeat locum in summis à decem libris bonæ monetæ, suprà; & à decem libris infrà, statuatur terminus trium dierum ad exigendum dicta pignora; quo termino trium dierum elapso, habeat creditor licentiam procedendi ad venditionem secundum formam statutorum Tridenti.

¶ De pignoribus Prętorijs, Iudicialibus, vel Conuentionalibus restituendis. Cap. 64.

ITem statuimus, & ordinamus, quod elapsis terminis in proximo suprascripto statuto contentis, quæcunque persona habuerit in depositio, vel saluamento aliquod pignus, siue Prætorium, siuè Iudiciale, siuè Conuentionale, vel se obligauerit ad dictum pignus, vel dicta pignora restituenda creditori infrà tres dies, ex quo fuerit requisita per creditorem, vel denunciatum ei fuerit, vel ad domum specialiter per Præconem, pœna decem librarum bonæ monetæ, quarum medietas applicetur Camerę Episcopali, alia medietas creditori restituere teneatur; quo termino transacto, & dictis pignore, vel pignoribus non restitutis, Potestas statim nulla alia monitione præmissa, uel aliquo alio termino dato, teneatur, & debeat mittere Gastaldiones cum familia, & manu armata dicta pignora auferre, vel dictorum pignorum iustam æstimationem, quibus portatis, creditor habeat licentiam procedendi ad venditionem dictorum pignorum, vt suprà.

¶ Qualiter venditiones de bonis ſtabilibus debitorum fieri debeant. Cap. 65.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod facta excuſſione in bonis mobilibus debitorum, quo ad bona immobilia, deueniatur ſecundum formã inferiùs traditam; videlicet, ſi res immobiles fuerint, per Præconem Curiæ Tridenti de mandato Domini Poteſtatis, vel Iudicentis publicè eridentur venales, in locis cõſuetis Ciuitatis Trideñ. infrà tres dies proximè ſubſequentes; quo termino elapſo creditor compareat coram Iudicibus Venditionum, qui Iudices, vel eorũ alter, infra octo dies, poſtquam requiſiti, vel requiſitus fuerit, vel fuerint per creditorem, teneantur, & debeant facere venditionẽ de dictis bonis æſtimatis, & ſubhaſtentur cuilibet emere volenti, & plus offerenti, pœna quinq; librarum bonę monetæ, & groſſorum charantanorum octo, pro quolibet die, qua ceſſauerint facere dictam venditionem poſt dictos octo dies, quarum ſupraſcriptarum pœnarũ medietas Epiſcopali Camerę, & alia medietas creditori, vel creditoribus applicetur; ita tamen, quòd infra dictos octo dies dicti Iudices Venditionum, vel eorum alter citari faciat perſonaliter, vel ad domum habitationis debitores, vt veniant ad faciendum dictam venditionem, vel ad eam fieri videndum: ſi venire voluerint, & publicè facere proclamata tribus vicibus, ſemel in die, primis tribus diebus per loca ſupraſcripta, quòd venditio de ipſis bonis fieri debet tali die, & quicunq; vult comparere, compareat ad contradicendum, & proteſtandum de iure ſuo, etiam de eo dicendum, quare dicta ſubhaſtatio fieri non debeat: Et quicunq; comparens audiatur, & fiat iuſtitia: Si verò aliquis in dicto termino non compareret, vel comparendo legitimè non impedierit ipſam venditionem, ſeù ſubhaſtationem, fiat ipſa ſubhaſtatio plus offerenti; habeat tamen dictus debitor, in cuius præiudicium facta eſt talis ſubhaſtatio, infra terminum dierum nouem continuorum, facultatem, & arbitrium redimendi dictam rem alienatam, ſoluendo, & reſtituendo debitum capitale, vnà cum expenſis: qua venditione ſic facta debitor aliquis, aut alius veniens nullo modo audiatur, niſi docere voluerit de nullitate proceſſus, vel de iniquitate Iudicis, vel de dolo ipſius Iudicis.

¶ Si quis accepit in tenutam, vel in ſolutum de bonis alicuius, & non inueniat laboratorem, Aſſeſſores compellant Syndicos, & Vicinos Villæ. Cap. 66.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod ſi quis acceperit tenutam, & poſſeſſionem alicuius rei, ex primo, vel ſecundo decreto, vel ex pacto, vel ex lege, vel ex quacunq; alia cauſa, vel fuerit ſibi in ſolutum adiudicata iudicialiter, vel ius aliquod habuerit in bonis alicuius, & propter eius potentiam,

rentiã metũ, vim, vel impedimentũ, vel alia quacunq; causa non inueniret aliquem, qui vellet, & posset laborare rem prædictã cuiuscunq; conditionis sit, vel qualitatis, teneatur Potestas, vel alij Iusdicentes compellere homines, & commune illius Villæ, vbi sita est dicta possessio, vel res, ad laborandum prædictam possessionem, vel possessiones, aut rem suis locis, & temporibus congruis, & fructus colligere, & de debita parte ipsarum respondere illi, ad cuius postulationem factum fuit dictum præceptum, quæ si facere recusauerint, condemnentur homines, & commune illius Villę in vigintiquinq; libris applicandis Camerę Episcopali, de qua condemnatione non teneantur pauperes, & viduæ, & aliæ miserabiles personæ; & si ille, cuius fuerat dicta possessio, vel res, opposuerit tacitè, vel expressè, & dederit, vel dare operam attentauerit contra prædicta, & mentẽ prædictorum, condemnetur in vigintiquinq; libris bonæ monetæ, & ad emendationem, & restitutionem cuiuslibet damni, quòd is, qui possidet vel ius habet in rebus, fuerit consecutus, de quibus credatur sacramento ipsius, primò facta taxatione per Iudicem, & prędicta vendicent sibi locũ in omnibus, & inter omnes homines vbiq; Episcopatui circa tẽporalem iurisdictionem subiectis, sed non idem seruetur, non subiectis, statutis Cõmunis Tridẽ. & non sustinẽtibus onera realia, & personaliain ipsa Ciuitate Tridẽ. vel districtu, nisi apud ipsos qui statutis præsentibus subiecti sunt beneficio similis statuti, quòd apud forenses sit, gaudere possint.

¶ De debitis solutis non petendis. Cap. 67.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si quis suo nomine per se, vel per alium petierit ab aliquo debitum sibi solutum, & vsquè ad litem contestatam perseuerauerit, quòd facta legitima probatione de solutione debiti petiti, talis petens soluat quartam partem eius, quod petierit debitori ipsam solutionem probanti, & prædicta locum habeant in principali creditore, & non in hæredibus, vel successoribus suis, nisi probarent ipsos sciuisse solutionem fuisse factam.

¶ De debitis vsurarijs non petendis. Cap. 68.

ITem statuimus, & ordinamus, debita vsuraria, quæ vsurarijs debentur, seù credita, ab ipso vsurario, vel ab aliquo alio pro eo nunquam posse peti, & dicti cadant ab omni iure suo ipsius debiti, vel crediti ipso iure, & intelligatur debitum vsurarium, si probabitur creditorem consuetum fuisse facere contractus vsurarios, vel si etiam probabitur, quòd contractus sit vsurarius, & dictus vsurarius, puniatur in quadruplo illius vsuræ petitæ vltra dictam vsuram, qua ipso iure priuari statuimus.

¶ De fideiussoribus extrahendis, de fideiussionibus per suos principales. Cap. 69.

ITem statuimus, & ordinamus, quod quilibet debitor principalis teneatur, & debeat extrahere, & liberare suum, vel suos fideiussores, & quemlibet ipsorum de fideiussionibus, in quibus sint, vel erunt obligati pro ipso debitore, vel debitoribus, vsq; ad vnum mensem ad instantiam principalis, ex quo sibi fuerit denunciatum per ipsos fideiussores, vel per aliquem ipsorum a lapsu termini in obligatione contenti, sub pœna viginti quinque librarum bonæ monetæ, cuius pœnæ medietas applicetur Cameræ Episcopali, alia verò medietas ipsi fideiussori, & pœna soluta, vel non, nihilominus attendere teneatur, & iterum cadat in eandem pœnam, si non attenderit; & prædicta non præiudicent creditori, vel habentibus causam ab eis, & hoc intellligatur in præteritis, præsentibus, & futuris: & prædictum statutum non vendicet sibi locum in fideiussoribus tutorum, vel curatorum, sed habeant principales terminum anni à tempore finitæ tutelæ, vel curæ, ad extrahendum fideiussorem de fideiussoria, sub pœna prædicta, & nihilominus iterum quolibet mense postea cadat in eandem pœnam, si cessauerit liberare fideiussorem suum: Et idem intelligatur de fideiussore fideiussoris, & sic in infinitum.

¶ De fideiussoribus habentibus ius cessum indemnibus conseruandis. Cap. 70.

ITem statuimus, & ordinamus, quod ad petitionem fideiussoris ius habentis cessum, a creditoribus statuatur terminus ipsi principali, quòd vsq; ad decem dies continuos peremptorios soluisse debeat ipsi fideiussori, siuè dictis fideiussoribus secundum formam Instrumenti, vel sui iuris cessi, & aliorum suorum Instrumentorum, pro conseruatione indemnitatis factorum dicto fideiussori, siuè dictis fideiussoribus, & quòd infrà ipsum terminum opponat, & probet omnes suas defensiones, quas opponere voluerit, & probare; alioquin transacto dicto termino decem dierum omnimodè detur tenuta dicto fideiussori, contra dictum principalem suum, quæ tenuta exigi non possit, nisi soluto debito, & expensis, & hoc trahatur ad præsentia, præterita, & futura.

¶ Qualiter satisfieri debeat his, qui se pro alijs obligarunt occasione officiorum. Cap. 71.

SI aliqui extiterint fideiussores, vel securitatem fecerint pro alijs occasione officiorum, vini, salis, Procurationum, & aliorum Datiorum, & Officiorum Communis Tridenti, vel qui exire debeant, vel non debeant

beant de districtu Tridenti, pro mercandaria exercenda, vel alia causa, si exinde damnum sustinuerint, vel aliquid de suis bonis soluerint, vel amiserint, quòd eis plenariè, & summariè ius reddatur, auditis rationibus, & allegationibus illorum, qui se pro alijs obligauerunt, & eorum, pro quibus factæ fuerint securitates.

¶ De creditoribus absque Iudiciali authoritate fideiussorum pignora capere non debentibus. Cap. 72.

ITem statuimus, & ordinamus, quod nullus creditor absque iudiciali auctoritate, & decreto audeat fideiussorum pignora accipere, sed ipsi creditores Iudices adeant, & summariè tàm debitor quàm fideiussor doceant, & sic Iudiciali auctoritate, omissis iuris solemnitatibus, assignato tamen prius termino fideiussori dierum viginti continuorum, si fideiussio summam librarum quinquaginta bonę monetæ non excedit, & alioquin, si excedit, dierum octo vtilium, ad denunciandum principali debitori, si habet aliquas defensiones, quòd eas opponat, & probet infra dicta tempora; & si non fecerit infra dicta tempora sufficienter defensionem, omnimodè per Iudicem detur licentia pignorandi, dato etiam quòd fideiussor non renunciauerit, quòd principalis debitor prius sit conueniendus, quam fideiussor, & dato, quòd non habuerit ius cessum.

¶ De modo, & ordine tenendis per fideiussorem contra principales, & eius hæredes, & bona. Cap. 73.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si aliquis, vel aliqui exiterint fideiussores pro aliquo, vel aliquibus, & si aliquis de ipsis fideiussoribus, vel constitutoribus conuentus, vel conuenti, seù citati fuerint, occasione dictę fideiussionis, vel constitutionis, quòd ipse incontinenti possit conuenire dictum debitorem seù debitores principales, & Dominus Potestas, vel Iudices sui, & alij Officiales, & quilibet ipsorum, teneatur, & debeant capere, & detinere debitorē, nisi dictus debitor possideat tot bona stabilia, quæ sinè cōtrouersia emptorē inuenire possint, quo casu ad captura procedi nō possit, sed debeat pignorari facere dictū debitorem pro quantitate, pro qua constiterit ipsum fideiussorem, & quòd electa vna via possit redire, vel aliam, ad voluntatem fideiussorum, & constitutorum facta fide per eos fideiussores, & cōstitutores qualiter citati fuerint, aut soluerint debitū occasione prædicta: & hæc fiant, & fieri debeāt, ac procedant in fauorem ipsorum fideiussorum, vel constitutorū, qui sic fuerint citati, vel soluerint sola facti veritate inspecta, & nulla iuris solemnitate seruata, nisi, vt prædicitur, & non obstantibus aliquibus statutis in contrarium facientibus.

Declarantes, quòd si fideiussor fuerit citatus, vel conuentus, & nondum soluerit, quòd propterea principalis debitor, si fuerit detentus, non relaxetur, nec pignora restituantur, si fuerit pignoratus, donec, & vsque quo fideiusserit idoneè, de conseruando ipsum fideiussorem indemnem: si verò fideiussor soluerit, tunc nullatenus relaxetur ipse principalis debitor, nec pignora restituantur, nisi satisfecerit fideiussori prædicto omne id, & totum, quod pro ipso debitore solutum fuisset occasione prædictæ fideiussionis, & per ipsum fideiussorem, & expensas per ipsum fideiussorem factas, & passas dicta de causa.

¶ Qualiter fieri debeant excussiones contra principales debitores, & eorum bona. Cap. 74.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quilibet creditor volens hypothecaria, vel alio remedio sibi competenti agere contra tertium possessorem, teneatur vigore præsentis statuti, antequam agat, etiam si ageretur coram quocunq; Iudice Delegato, & in casibus, in quibus posset procedi vigore delegationis, vel alicuius rescripti, aut statuti summariè sine strepitu, & figura Iudicij, sola facti veritate ispecta, primo facere excussionem contra principalem debitorem, & eius hæredes, & in eorum bonis, ad quam faciendam de cætero talem ordinem obseruari volumus; Videlicet, quòd principalis debitor, vel eius heredes solemniter citentur, vt infrà certum terminum compareant ad dandum, & soluendum creditori suo quantitatem, quam petit ad terminum, & infra terminum, qui Iudici videbitur: & si contumax fuerit in veniendo, elapso dicto termino, Ius dicens mittat vnum ex nuncijs Communis Tridenti, ad petitionem creditoris, ad accipiendum tenutam de bonis expeditis eiusdem debitoris, iuxta mensuram debiti declarati, & expensarum; & si nuncius retulerit se nulla bona expedita inuenisse, tunc Ius dicens ad petitionem creditoris, mittat nuncium ad minus in viciniam, vel Terram, seu Villam, in qua debitor habitare solebat, ad inquirendum, & inquisitionem diligenter faciendum de bonis illius debitoris, quæ non possideatur ab aliquo: & si dictus nuncius retulerit se nulla bona expedita inuenisse, teneatur, & debeat in relatione dicere, & exprimere nomina, & prænomina omnium, à quibus dictus nuncius fecerit inquisitionem, & idem fiat, si essent plures debitores, etiam in fideiussoribus, intercessoribus, & mandatoribus: quibus sic factis Ius dicens teneatur pronunciare excussionem factam legitimè, ad quam excussionem faciendam, & ad prædicta etiam citetur tertius possessor, contra quem intendit agere, & tunc possit creditor hypothecaria actione, vel Saluiano interdicto, vel alio remedio sibi competenti conuenire dictum tertium, seu extraneum pos-

possessorem, & contra ipsum procedere, nisi ipse tertius possessor, infrà dilationem competentem sibi statuendam antè litem contestatam, ostenderit principalem debitorem, vel eius hæredes possidere in Ciuitate, vel districtu Tridenti tot res, & bona, de quibus creditori satisfieri possit, in totum, vel in partem: quo casu in ipsis rebus sibi satisfiat antequam creditor conueniat, & conuenire possit dictum possessorem, & excussiones factę modo, & forma prædictis valeant, & obtineant roboris firmitatem. Adijcientes, quòd vbi ageretur hypothecaria contra tertium possessorem sufficiat agenti probare debitorem possedisse tempore obligationis, etiam si nullum probaret dominium.

¶ Qualiter creditores, quibus non est solutum per debitorem, seù debitores, possint procedere contra illos, qui accepissent in solutum de bonis debitoris quoquo modo. Cap. 75.

VOlumus, quòd si aliquibus creditoribus fuerit satisfactum per debitorem, seù alio modo, acceperint in solutum de bonis eius, quòd alij creditores, seù creditor, cui, vel quibus non foret satisfactum, possint prædictis creditoribus, qui habuissent, seu accepissent in solutum, offerre, & soluere illud totum, pro quo in solutum habuissent, seù accepissent, & pro se, & sibi retinere, & hoc vsque ad quinque annos inter præsentes, & ad decem annos inter absentes, absq; alia notificatione computerandos a die, quo habuissent in solutum, ita tamen, quòd si prædicti, seù ille, qui accepisset, seù accepissent in solutum, melioraſſent rem, seù res habitas in solutum suo facto, vel suis operibus, tunc etiam teneantur illi, seù ille, qui vellent pro se rem accipere, & habere, soluere integraliter eis etiam dictum melioramentum, iuxta æstimationem bonorum virorum confidentium partium; & hoc locum non habeat, si ille, vel illi, cui data essent bona in solutum, exburſare vellet, vel vellent illud plus, quod ipsa bona æstimarentur vltra pretium, pro quo rem, seù res in solutum accepisset, vel accepissent iuxta æstimationem bonorum virorum confidentium partium. Declarantes tamen prædicta non procedere, vbi debitor ipse bona haberet, ex quibus cautum posset esse, & in quibus satisfieri possit ipsis creditoribus, quibus non esset satisfactum, nec in solutum datum: nec per presens statutum intelligatur derogatum aliquibus creditoribus, quo ad hypothecam, quam haberent circa ipsa bona data in solutum, vt suprà.

¶ Qualiter conueniantur, & obligentur filij familias. Cap. 76.

SI filius familias maior annis viginti, & simul cum patre habitans exercuerit, vel de cætero exercebit aliquam negotiationem, vel stationem

tionem tenuerit, vel tenebit in Ciuitate, vel districtu Tridenti, & Episcopatu eiusdem, ex omnibus causis, vel contractibus concernentibus artē, vel negociationem, siuè laborerium terrarum, quam fecerit, vel exercuerit, possit obligari, & conueniri tanquam paterfamilias, & maior, aliquibus iuribus ciuilibus, vel municipalibus in contrarium non obstantibus: hoc addito, quòd si paterfamilias consentiat, vel patiatur filium suū, quem habuerit in potestate, facere aliquam negotiationem, mercationem, vel artem, & vt suprà, quam idem filius exercebit, cuius artis, negociationis, vel mercationis occasione, & vt suprà, dictus filiusfamilias contraxerit aliquod debitum, & pater non contradixerit filio negocianti, vel mercanti, vel artem facienti, etiam si quicquam non fuerit conuersū in vtilitatem patris, vel etiam si non appareat, quòd dictus filiusfamilias prædicta fecerit de mandato eiusdem patris, si ille filiusfamilias in negociatione, mercatione, vel in arte prædicta se gesserit, tanquam paterfamilias patre non contradicente, nec reperiatur filius ipse adeò, quòd possit exigi, vel personaliter detineri pro debitis per ipsum contractis, occasionibus prædictis, teneatur, & obligatus sit ipso iure idem paterfamilias ad quecunque debita, & contractus, quæ dictus filius eius fecisset, vel faciet, occasione præmissorum, tam viuente dicto eius filio, quam etiam ipso mortuo in solidum, nisi à principio negociationis, artis, & seu stationis pater manifestauerit Potestati, vel Iudici, quòd non velit obligari in aliquo, vel quantitatem, pro qua vult obligari ex causis præmissis fiendis per filium, & tunc obligetur vsque ad dictam quantitatem, & non vltra. Declarantes quòd si manifestatio ipsa fieret non à principio, sed postea quandocunque. Tunc pro futuris, & gestis post dictam manifestationem tantum, pater non teneatur, & quæ dicta sunt de manifestatione, locum habeant, dummodo per vnum ex Notarijs de Collegio infrà decem dies post ipsam, publicetur per publicum proclama, in locis consuetis, hora congrua, alias non prosit in aliquo, & pro non facta habeatur; in cæteris autem filijsfamilias, cuiuscunque ætatis sint, minoribus tamen viginti annis, non habeant locum prædicta, nec possint se obligare absque consensu patris, vel eius, in cuius potestate essent; quo casu ipse consentiens ipso iure in solidum, & principaliter etiam teneatur. In filijs verò familias maioribus vigintiquinque annis, artem, vel negociationem non exercentibus, seruetur ius commune.

¶ De bonis emptis per Vxorem, præsumendis de bonis mariti. Cap. 77.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si quæ mulier constante matrimonio reperiatur emisse, vel conduxisse, vel aliter obligationem aliquam

quam acquisiuisse emptum, conductum, vel acquisitum, præsumatur de bonis mariti, & creditores possint illud emptum, & conductum, vel acquisitum acquirere in solutionem debitorum suorum, sicut alia bona mariti, nisi euidéter appareat talia acquisita aliundè ad ipsam vxorem legitimè peruenisse, & in eis nullam fraudem commissam, creditoribus accipientibus primo bona mariti, & quòd omnes rationes, & actiones inuentæ, vel inueniendæ per maritum contra bona vxoris, & è cõuersos sint vanę, & cassę, & in fraudem præsumantur esse factæ, & acquisitæ, & idem per omnia intelligatur mortuo marito, quandiù mulier steterit in domo quõdam mariti, & vixerit simul cum hæredibus mariti.

¶ Qualiter vxor debeat accipere tenutam de bonis mariti. Cap. 78.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nulla mulier possit, nec debeat constante matrimonio accipere venditionem, vel tenutam de bonis mariti, nisi citato marito personaliter, vel nisi seruata fuerit forma statuti Tridẽ. De citationibus, in quantum dictus maritus fuerit absens à partibus istis, & probauerit legitimè per testes, maritum malè vti substantia sua, vel casum dotis exigendæ extare, & quòd vxor alicuius accipere venditionem non possit de bonis mariti, occasione dotis suæ, viuente marito, pro eo, quòd dicatur esse dissipator bonorum suorum, & malè vti substãtia sua, nisi primo Iudex, vel Vicarius, coram quo quæstio ventilabitur, proclamari fecerit in Palatio, & in scalis Palatij, & per loca cõsueta, illud, quod mulier ab eo petit, ita quòd creditores mariti, si quos habet, possint certificari, & vti suis rationibus, ita quòd nihil fiat in fraudem, & præiuditium eorum; aliter venditio facta de bonis mariti non teneat: quæ bona æstimari debeant per æstimatores, eligendos per Dominum Potestatem, siuè Iudicem, propter minores expensas, & cum sacramento eis deferendo, de æstimando bona fide, & sine fraude; quibus æstimatis, si maritus uoluerit facere uenditionem ipsarum rerum, quòd uenditionem possit facere sine alijs expensis: quòd si ipsam uenditionem facere recusauerit infrà triduum, postquam requisitus fuerit post ipsam æstimationem, tunc Iudices Venditionum Communis Ciuitatis Tridenti, uel eorum alter ipsam uenditionem facere possint, ac teneantur iuxta dictam æstimationem, & formam statutorum; & hoc trahatur ad præsẽtia, & futura, ijsdem bonis sic uenditis nihilominus deseruituris ad onera matrimonij, prout de iure communi cautum reperitur.

¶ Quod

¶ Quod creditores possint soluere dotes mulieris. Cap. 79.

ITem statuimus, & ordinamus, quod postquam mulieres ad conseruationem suarum dotium acceperint venditionem de bonis mariti, vel etiam antequam fiat ipsa venditio, quòd licitum sit creditori, uel creditoribus mariti offerre dictam dotem, & iustas expensas, & ipsi mulieri satisfacere in pecunia numerata habita ratione meliorationis dictæ rei factæ per mulierem, & dicta mulier facta dicta solutione sibi, teneatur cedere iura, & actiones illi creditori, uel, creditoribus, qui sibi satisfecerint modo prædicto dictam dotem ualuo, quod si illa bona fuerint æstimata in dotem data, aut in augmentum dotis, quòd illa bona mulier sibi possit retinere iuxta dictam æstimationem fiendam per æstimatores eligendos per Dominum Potestatem Tridenti, uel Iudicem, qui æstimatores per sacramentum suum sibi deferen. iurent: quod bona fide, & sine fraude æstimabunt dicta bona iustè, & quòd Dominus Potestas, uel Iudex possit constringere ipsos electos ad iurãdum, & ad estimandũ etiam adiecta pœna. Si uerò ipsa mulier in primis casibus statuti uoluerit ipsa bona in se retinere, tuel habere pro tanto precio, quantum creditor, uel creditores dare uoluerint, & offerre sine dolo, quod ea in se licitè habere, & retinere possit, & si fuerint bona inæstimata data in dotem, tunc pro se retinere possit ipsa mulier secundum ius commune, saluo iure creditoribus ad me lioramenta, si quæ maritus feciſſet in fundo in æstimato iuxta formam supraſcriptam.

¶ De lucrando medietatem dotis, si Vxor decesserit sine filijs. Cap. 80.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si qua mulier alicui uiro matrimonialiter copulata, & dotata decesserit in matrimonio sine filijs, uel filiabus communibus, quòd tunc, & eo casu maritus lucretur medietatẽ dotis, & bonorum paraphernalium, & hoc statutum uindicet etiam sibi locum in præsentibus, & futuris, & in uxore indotata habente amplum patrimonium, quando nubit, dato, quod ipsum patrimonium non fuerit expreſſe in dotem datum, similiter lucrari debeat maritus medietatem dicti patrimonij, quod habuit, uel habet ipsa mulier tempore, quo nubit, cum hoc tamen onere, quòd maritus teneatur facere expensas funeris dictæ eius uxoris secũdum eius conditionem, sed si uxor prædecederet, etiã superstitibus filijs ex priori matrimonio, tunc maritus non possit lucrari dictam dimidiam, sed solum tantùm, quòd æqualitas seruetur inter filios prioris matrimonij, uel priorum matrimoniorum, & mariti, & similiter maritus lucretur fructus perceptos constante matrimonio de quibuſ-

cunq;

cunq; bonis etiam non dotalibus, siuè habuit mulier tempore quo nubit, siuè etiam post, & hoc procedat, quo ad fructus, siuè maritus moriatur ante vxorem, siuè è contra vxor ante maritum: quo verò ad lucrum medietatis bonorum seruetur, vt suprà, intelligendo tamen semper in matrimonio per carnalem copulam consummato, & fictione præsentis statuti semper consummatum censeatur, si maritus traduxerit vxorem, vel traductus fuerit ab ea.

¶ De contradote non lucranda per vxorem stantibus filijs communibus. Cap. 81.

ITem statuimus, & ordinamus, quod sicuti per statuta prouisum est, quod vir non lucretur medietatem dotis, vel ampli patrimonij vxoris, extantibus filijs communibus; ita etiam statuimus, quòd mulier stantibus filijs communibus non lucretur donationem propter nuptias, sibi à viro, vel socero factam in totum, nec in partem, sed remaneat, & cadat ipsis filijs: quod statutum volumus habere locum, etiam si aliter coniuges ipsi, vel facientes pro eis pacti fuerint, etiam si tale pactum fuerit iuramento vallatum, quod iuramentum ex nunc pro tunc, & è contra præsumatur dolo, & metu extortum, in fraudem præsentis statuti, & etiam si fuerit pactum cum renunciatione auxilij præsentis statuti: si verò prædecederet maritus, non existentibus filijs communibus, tunc, & eo casu pleno iure lucretur dictam contradotem.

¶ De Fœmina nubente ex arbitrio suo priuanda hæreditate. Cap. 82.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si quæ fœmina ex arbitrio suo, sine consensu, vel consilio patris, vel fratris, si non habuerit patrem, vel matris, si non habet frattrem, nuberet alicui ignominioso, vel alicui minoris longè conditionis, quam ipsa, priuetur, & priuata sit omni successione paterna, materna, fraterna, sororina ipso facto; & hoc si nupserit ipsi ignominioso antè vigesimum annum: si verò post vigesimum annũ nupserit alicui longè minoris conditionis, quam ipsa sit, tunc priuetur dimidia parte hæreditatum prædictarum, quæ dimidia ipso facto primò cadat, & deueniat in fratres masculos, vel descendentes ex fratribus masculis, si extant, & si non extant masculi deueniat primò in matrem, & sororem, si habet; & si non habet, deueniat in alios descendentes masculos ex ipsis proximioribus tamen masculis, si extant, vel fœminas, si non extant masculi, & in stirpes.

¶ De

¶ De emolumentis, vel interusurijs, aut interesse dotalibus. Cap. 83.

ITem statuimus, & ordinamus, quod emolumenta dotis tam dandæ, quam restituendę taxari debeant per quemlibet Iudicentem, in ratione sex pro centenario, & non vltrà.

¶ Quando, & qualiter quarta per vxores peti possit. Cap. 84.

STatuimus, quod de cætero mulier, quæ non fuerit dotata, vel minus condecenter, & non secundum eius statum dotata, mortuo marito etiam sinè filijs natis ex ea, & ipso marito, non possit petere, nec consequi aliquid in bonis, & hæreditate dicti eius mariti, prætextu præmissorum, nisi solum, & dumtaxat quartam partem vsusfructus bonorum mariti, & hoc, donec ipsa honestè, & in statu viduali pro ipso marito vixerit: quod si transierit ad secunda vota, nihil occasione præmissorum petere possit, non obstante dispositione Authenticæ Præterea. C. vnde vir, & vxor, & alia iuris dispositione.

¶ Quod nulla mulier constante matrimonio possit alienare, sinè trium Agnatorum, vel Cognatorum præsentia. Cap. 85.

ITem statuimus, & ordinamus, quod nulla mulier possit, nec debeat constante matrimonio facere donationem inter viuos alicui personæ, de suis bonis, absq; presentia Prætoris, vel Iudicentis, & trium eius agnatorum proximiorum masculorum, maiorum vigintiquinq; annis, in quorum numero adhiberi debeat Pater, si Patrem habuerit mulier, vel ipsis, aut aliquibus eorum non extantibus, tunc in præsentia trium eius Cognatorum proximiorum masculorum maiorum, vt suprà, ita quòd numerus Agnatorum suppleri possit per Cognatos, & deficientibus Cognatis per Vicinos totidem, & Amicos, & si contrafecerit, ipso iure non valeat donatio, nec teneat, nec præiudicet alicui succedenti dictæ mulieri, & dicta donatio taliter facta, sit cassa, irrita, & nullius valoris: Idem intelligatur in venditione, & in quacunq; alia alienatione, quæ fieri non possit nisi ex legitima causa, & cum solennitate prædicta, & in quocunq; prædictorum casuum, præterquam donationis, si dicti Attinentes recusauerint velle interesse, vel si non extarent, quòd tunc Dominus Potestas, vel Iudex teneatur, & debeat mittere tres homines Ciues Tridenti perfectæ ætatis, qui superesse debeant ad videndum, & examinandum, vtrum venditio, vel alienatio fiat vi, nec ne, an verò ex necessitate, nec nè, & iuramentum in prædictis contractibus, & alienationibus interpositum

solen-

solennitatibus prædictis prætermissis ipso iure non teneat, & per fraudem, & dolum extortum fuisse præsumatur, authoritate præsentis statuti.

¶ De annuo legato vxori. Cap. 86.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si quis reliquerit dotes, & contradotes vxori suæ, & etiam ei reliquerit, quòd sit domina, massaria, & vsufructuaria omnium bonorum suorum, & ille habuerit filios ex quocunq; matrimonio, quòd tunc tale legatum intelligatur, quòd illa mulier tantummodo habeat alimenta, extantibus prædictis filijs mariti, & hoc non obstantibus aliquibus in contrarium facientibus, ita tamen, quòd ipsa mulier interea non possit petere dotes suas, & contradotes, & casu quo vellet habere ipsas dotes, & contradotes suas, tunc tale legatum sit ipso iure extinctum, & euanescat.

¶ Quod appellatione masculi contineantur fœminæ. Cap. 87.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd appellatione masculi contineantur & fœminæ, quantum ad obseruationem statutorum, & iuramentorum Ciuitatis Tridenti.

¶ Ne quis probet se filium Patris nisi per vocem, & famam. Cap. 88.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis habuerit necesse probare se filium in aliqua causa, vel patrem suum esse mortuum, vel alium, in cuius locum se asserit succedisse, sufficiat, quòd probet solum per vocem, & famam publicam; & qui in positionibus negauerit prædicta, ita quòd necessaria sit talis probatio, ille taliter negans puniatur in libris duabus bonæ monetæ, si postea fuerit legitimè probatum de filiatione, vel de morte per vocem, & famam, nisi negãs iustã ignorantię causam habuerit.

¶ Quod nullus Ciuis possit trahi ad iudicium extra Iurisdictionem Tridentinam. Cap. 89.

ITem statuimus, & ordinamus, quod nullus Ciuis, vel Districtualis Ciuitatis Tridenti possit, nec debeat trahi, seù citari ad aliquod iudicium extra Iurisdictionem Ciuitatis Tridenti, & quòd non teneatur comparere, & si aliquis processus contra ipsum Ciuem, vel districtualem indè fieret, sit ipso iure nullus, & huic statuto quoquomodo renunciari nõ possit, & hoc non vendicet sibi locum in casibus, in quibus de iure cõmuni quis

citari possit, vel contra ipsum procedi in causis appellationum deuolūtarum ad Papam, vel Imperatorem, vel Patriarcham, vel ad alterius ipsorum Delegatum, saluo quòd si Dominus vellet causam Feudatariorum audire, quod coram se possit partes vocare, & saluis cassibus, in quibus de iure fortitur forum.

¶ De actionibus infrà viginti annos non intentandis. Cap. 90.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quæcunq; persona de Ciuitate, vel districtu, & Episcopatu Tridenti, quæ habuerit, seù habeat aliquã actionem, seù actiones de cętero contra quamlibet personam, seù personas de Ciuitate, & Episcopatu Tridenti, cuiuscunq; generis sint, siuè reales, siuè personales, siuè vtiles, siuè directæ, siuè quocunq; nomine censeantur, nisi talis persona, vel personæ intĕrauerint dictam suam actionem, vel actiones, cuiuscunq; generis, sibi competentes, contra personam obligatam, seù obnoxiam, siuè personas obligatas, seù obnoxias infra viginti annos existentibus creditoribus, seù creditore, & personis obligatis, seù obligata in dicto Episcopatu, seù districtu Ciuitatis Tridenti, intelligatur esse facta solutio creditori, & deinde in antea nõ possit intentare actionem, seu actiones sibi competentem, seu competentes, immo ipso iure cadant à iure suo, & ipso iure debitores sint absoluti, & omnis actio realis, & personalis, vel alterius cuiuscunq; generis sit extincta: ab his verò viginti annis excipiantur minores viginti quinq; annis, & alij, qui steterunt in communione bonorum, & viduæ mulieres, quę steterunt cum hęredibus mariti, & non petierunt dotes suas, & intelligatur esse interrupta præscriptio per solam citationem, expressa causa in ipsa citatione in scriptis facta.

¶ De iuribus, & actionibus non cedendis. Cap. 91.

ITem statuimus, & ordinamus, pro pacifico, & quieto statu Ciuitatis, & Diœcesis Tridẽ, & vt obuietur malicijs, & cauillationibus hominũ peruersorum, iura & actiones suas in potentiores, qui imperium habent, & dominium, vel Curiales Dominorum, vel Prælatorum cedentium, vel tradentium, ex quibus homines, & personæ Ciuitatis, & Diœcesis Tridenti, contra iustitiam litibus, & controuersijs multiplicibus inuoluuntur, ac alijs oneribus aggrauantur, quòd nulla persona Ciuitatis, & Diœcesis Tridenti iura, & actiones, aliquo alienationis titulo, cedere, vel transferre possit in aliquem prædictorum: quòd si secus à quoquam fuerit attentatum, talis cessio, vel iurium translatio sit cassa, & irrita ipso facto, etiam si iuramento vallata fuerit, quod vi, metu, vel dolo, extortum præsumatur, & actio, & actiones, quæ cedentur, totaliter sint extinctæ, & quod nihilominus illa persona, vel personæ, quę reperientur

sua

ſua iura, & actiones in tales ceſſiſſe, vel quouis alienationis titulo tranſtuliſſe, puniantur per nos, & noſtros Officiales, qui pro tempore fuerint, in tantum, in quantum valebant iura, quæ ceſſerint, & transferre præſumpſerint: à prædictis autem excipimus creditores, qui ſua iura cedunt fideiuſſoribus eis ſoluentibus, contra principales debitores, & alios ſimiles caſus, in quibus à iure quis compellitur cedere alijs iura ſua: ille verò, vel illi, qui tales ceſſiones recipere præſumpſerint, vel talia fieri procurauerint, vel dantes ad hoc auxilium, vel fauorem publicè, vel occultè, puniantur ad tantundem, quantum valet res, vel iura alienata, & ceſſa; quæ pœna pro medietate applicetur Cameræ Epiſcopali, alia medietas Communitati Tridenti; hoc autem ſtatutum, vel edictum volumus ad futura, & etiam ad præſentia, & nondum per ſententiam diffinitiuam deciſa intelligi, pariter, & extendi.

¶ Quod nulla præſcriptio currat contra proprietarium. Cap. 92.

STatuimus, quòd ſi aliquis, vel aliqui, habuerint proprietatem alio, vel alijs habente, vel habentibus vſufructum, illi, vel illis, qui habent, vel habuerint, vel habebunt proprietatem, nulla præſcriptio noceat in fauorē vſufructuarij, quandiu vſufructus proprietati nō fuerit ſolidatus.

¶ De amiſſione Inſtrumentorum ſuarum poſſeſſionum. Cap. 93.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi aliquis recognoſcens rem ab alio propter incendium, vel alium caſum, quocunq; modo amiſerit Inſtrumenta ſuarum poſſeſſionum, vel iurium, & ſteterit in poſſeſſione, vel quaſi ipſe, & ſui anteceſſores, per decem, vel viginti annos, teneatur dominus proprietatis accipere pēſionem, & innouare poſſeſſorem, dum tamen iuret ipſe poſſeſſor, ſine dolo, & culpa amiſiſſe, & quòd non fraudulenter cedet, & hoc expenſis poſſeſſoris, ſeu petentis, & idem intelligatur de iure Emphyteutico, & alio quocunq; iure cōditio; & hoc caſu teneatur petens innouationem deſignare, & exprimere per latera, & cōfinia vera, & præſentia, rem, de qua petit ſe innouari: & ſimiliter prædicta vendicent ſibi locum, quando dominus proprietatis eodem caſu inſtaret, renouationem fieri, quo caſu fiat renouatio Inſtrumenti acquiſitionis, expenſis domini proprietatis.

¶ Quod præſcriptio anni, & diei non currat puberibus, ſuper Inueſtitura petenda. Cap. 94.

STatuimus, q; ſi Vaſallus aliquis moriatur relictis filijs, vel deſcendētibus impuberibus maſculis, vel fœminis, vel alijs hęredibus impuberi-

bus, ad quos feudum peruenire debeat, tales hæredes ipso iure conseruentur illæsi in præscriptione anni, & etiam mensis, & diei, authoritate præsentis statuti, si infra annum, & diem, & mensem non petierint inuestituram.

¶ De decimis non solutis à quadraginta annis citra, quòd amplius non reddatur aliqua ratio. Cap. 95.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd de decimis terrarum, & vinearum, ac similium, de quibus reperitur, quòd à quadraginta annis citrà, continuè nunquam fuerit data decima, nulla debeat alicui petenti decimam de prædictis fieri ratio, intelligendo de Vasallo contra Vasallum, vel de laico contra laicum decimam petentem, si per annos quadraginta, vt dictum est, nunquam fuerit soluta.

¶ De locatoribus præferendis in fructibus possessionum suarum datarum ad laborandum. Cap. 96.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd locatores in fructibus possessionum locatarum in perpetuum, vel ad tempus, per eos pro afflictibus, & pecunijs, & rebus, & alijs quibuscunq; mutuatis, vel datis conductoribus ad dictas possessiones laborandum, præferantur cæteris creditoribus, & in inuectis, & illatis in domibus locatis similiter præferatur dominus domus cæteris creditoribus, siuè in perpetuum, siuè ad tempus fuerint locatæ.

¶ Quod locatores, & conductores teneantur se adinuicem certiorare, quod sibi prouideant de alio super re conducta. Cap. 97.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si aliquis locator velit aliquem conductorem expellere de domo, apotheca, stabulo, stalla, vel horto suis, debeat certiorare ipsum conductorem per mensem ante tempus locationis finitæ, & idem etiam intelligatur in conductore, qui similiter debeat certiorare per mensem, antequam sit finitum tempus conductionis, aliàs intelligatur res conducta ad annum sequentem pro eodem affictu; & præmissa seruentur etiam in prædiorum rusticorum locationibus, saluo quòd in eis terminus faciendę certiorationis intelligatur esse de tribus mensibus.

¶ Quo

¶ Quo tempore soluantur, & debeantur pensiones domorum, & stationum, Cap. 98.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd pensiones domorum, stationum, seù apothecarum soluantur in principio cuiuslibet medij anni, nisi aliter constiterit fuisse inter partes conuentum.

¶ Quod conductores ad perpetuum teneantur dare Instrumentum locationis locatori suis sumptibus. Cap. 99.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd conductores rerum alienarum ad perpetuum, & Emphyteutæ, liuellarij, & feudatarij, & habẽtes precario, & aliæ similes personæ fieri faciant Instrumenta dictorum contractuum suis expensis, & vnum Instrumentum ipsorum contractuum dent domino dictorum contractuum, absq; aliquo pretio, & quod pro cuiuslibet nouę locationis renouatione detur libra piperis, si grossos charantanos viginti, aut infrà valuerit ipsum piper, suprà verò grossos viginti si valuerit, quantumlibet valeat, decernimus, quod vltra grossos viginti pro honorantia accipi, aut dari non possit.

¶ De locationibus, & conductionibus prætextu non solutorum affictuum. Cap. 100.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis teneret domum, terram, vineam, pratum, casale, stabulum ad affictum perpetualem, secundum vsum domorum mercati Tridenti, pro denarijs, oleo, sale, blado, vino, ab aliqua persona, exceptis affictibus Ecclesiarum, & affictibus ab octo charentanis supra, sed vsq; ad summam octo grossos ascendẽtibus, vel infrà, si locator conqueratur de conductore, quòd ei non soluerit dictum affictũ per plures annos, si conductor dixerit se soluisse vsq; ad ipsã diẽ, & petitũ est, si cõductor erit bonus, & legalis, & bonę famę, detur ei sacramẽtũ, & si per sacramẽtũ dixerit se soluisse vsq; ad ipsã diẽ, credatur ei, & absolui debeat à petitione locatoris de ipso affictu petito: sed si affictus erit de octo charentanis, & de eo affictu, ac etiã vltra grossos octo locator cõqueratur de cõductore, & affictũ, ad quę tenetur, non soluerit & plures annos, & illũ affictũ ab eo conductore petat, & cõductor dicat, se soluisse, sibi locatori, tunc non debeat ei credi, nec sacramentũ dari de solutione allegata, sed si voluerit probare solutionẽ, detur ei terminus ad probandũ solutionẽ allegatã, & si probabit solutionem factam esse, absoluatur à petitione locatoris, & si nõ probauerit, debeat soluere affictum locatori, secundũ vsum, & consuetudinem locationum perpetualium domorum mercati Tridenti.

¶ De paleis, & straminibus debentibus remanere possessiõnibus, Cap. 101.

ITem statuimus, & ordinamus, quod finita locatione, siue laboratura quando partiarij, coloni, vel laboratores de possessione recedunt, omnes paleæ, & omnia letamina facta per bestiamina, tàm laboratorum, quã domini, ex paleis, & alijs omnibus straminibus coloni, & possessionum domini, remaneant: fœna verò quæ reperientur facta de pratis dominj, debeant in totum ipsi domino remanere, eo soluente dicto laboratori ipsa fœna, iuxta æstimationem fiendam per homines inter partes eligendos, nisi ipse colonus, vel affictalinus voluerit ipsa fœna consumere finita dicta locatione, vel laboratura super pratis, & possessionibus dominorum: Et quo ad dicta fœna prædictum statutum locum habeat tàm in affictalino quàm in colono partiario: Et durante nihilominus ipsa locatione, vel colonia, prædicta stramina, & fœna alicui alienari non possint sine consensu domini possessionum, sub pœna amissionis eorum.

¶ Quod Emphiteutæ etiam laicorum teneantur, & debeant recipere renouationem prioris locationis in capite cuiuslibet decimi noni anni, Cap. 102.

ITem statuimus, & ordinamus, quod quilibet Emphiteuta cuiuscunq; rei, vel personæ cogi possit, & debeat in capite cuiuslibet decimi noni anni, ad recipiendum renouationem suæ locationis, ad requisitionem domini directi dominij, & non cogatur aliud laudemium, vel honorantiam soluere, quam sicut cautum est suprà in statuto sub rubrica, Quòd conductores ad perpetuum teneantur dare Instrumẽtum locationis, &c. Similiter etiam statuimus, quòd res Emphyteuticæ diuidi possint inter hæredes Emphyteutæ defuncti, siuè ex testamento, siuè ab intestato vocati sint, dummodo affictus ipse non diuidatur contra Patroni directi dominij voluntatem, sed Patronus directi dominij possit, & valeat ab vno tantùm ex dictis hæredibus totum, & ab illo, quem maluerit, suum affictum petere, & exigere, atquè compellere; & reperto, quòd dicta renouatio non renouetur, seù negligatur in termino supradicto, nec non quòd diuisio fiat, vt suprà, attamen in præmissis casibus non detur deuolutio, nec ipse Emphiteuta cadat, & cadere debeat à iure suo, etiam si per pactum expressum, etiam iuratum de contrario esset actum, & conuentum, & iuramentum præsumatur dolo, & metu extortum: quod statutum uolumus extendi, & obseruari tam in Ecclesiasticis, & Religiosis, in quibus Ecclesiasticis, & Religiosis maior debet uigere pietas, quam secularibus, & tam de præteritis, & antiquis, ac quæ in præsenti, & in futu-

futurum fieri contigerit, & non obstante aliqua consuetudine, uel lege, seù canone in contrarium disponente.

¶ De terris Domino demonstrandis per laboratores earum, vel earum Emphyteutas. Cap. 103.

TEnentes, seù laborantes alienas terras, seù possessiones ad fictum perpetuum, vel alio quocunq; modo, ab aliqua persona, Collegio, vel Vniuersitate, siuè eorum hæredes, vel Successores, teneantur designare dominis, vel eorum nuncijs ad oculum, quandocunq; fuerit ab eis requisitus, ipsas terras, & possessiones, cum omnibus earum cohærentijs: & si celauerint aliquam terram, seù possessionem, partemue eius, & eam non designauerint, puniantur in amissione omnis iuris, quod haberent in ea terra, seù possessione celata, & non designata, si dominus voluerit, & dolosè celauerit, cuius doli probatio, & iustificatio stet in arbitrio Prætoris, & insuper condemnentur in vigintiquinq; libris bonæ monetę Cameræ Episcopali applicandis, & minus, arbitrio Domini Potestatis, vel Iudicis, & nihilominus designare teneantur sub eadem pena toties, quoties exigenda fuerit: Addentes tamen, quod casu, quo talis afflictalinus, vel liuellarius haberet iustam causam ignorandi, quia hæres esset, vel simile arbitrio Domini Iudicis, tunc designare debeat tantam proprietatem, quòd supportaret valorem dicti ficti, cum tertia parte de pluri, & hoc in rusticis prædijs, in prædijs verò vrbanis designet dimidium de pluri, ob periculum incendij, vel similium, quod cadere potest in vrbanis prædijs.

¶ De possessionibus, quæ tenentur ad liuellum, seù fictum per non habentes filios, vel nepotes, quod in proximiorem deueniant attinentem. Cap. 104.

SI aliqua persona aliquam habeat possessionem ad liuellum, seù fictū de qua tenetur dare alicui personæ etiam Ecclesiastice, Capitulo, vel Collegio liuellum, vel fictum, vel aliam præstationem, & ipsa decesserit ab intestato sine liberis, & nepotibus ex ea descendentibus, quòd successio, & ius illius liuelli, & ficti, vel alterius præstationis libere, & liberaliter deueniat in proximiorem attinentem, sicut deueniret in filios, non obstante aliquo pacto in contrarium facto, vel fiendo, quod iudicari debeat extortum, & illicitum, nec aliqua consuetudine, quæ potius corrupte la iudicanda est, in contrarium introducta: Etiam prędens statutum procedat, si dominus vellet pro se rem ipsam retinere.

¶ De

¶ De hominibus capiendis, & incarcerandis. Cap. 105.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd pro affictibus perpetuis, & ad tempus pecunijs quibuſcunq; datis, vel mutuatis per locatores conductoribus, ad laborandum poſſeſſiones, ad petitionem ipſorum, locatorum dicti conductores, & debitores poſſint, & debeant carcerari, & in carceres detrudi ex dictis cauſis, donec ipſis locatoribus, & creditoribus fuerit integrè ſatisfactum; & idem intelligatur, & fiat pro quolibet alio vero debito, & pro qualibet alia vera cauſa ciuili pecuniaria, non ficta, nec aliquod pactum vſurarium in ſe continente; primo tamen ſtatuto termino debitori ad ſoluendum debitum, ſi confiteatur, vel ſit lata ſententia condemnationis contra eum, à qua non ſit appellatum in caſibus à iure, & ſtatuto permiſſis ad appellandum, & dicto termino tranſacto capi poſſit, niſi creditor iurauerit debitorem ſuſpectum, & fugitiuum; quo caſu in continenti, & ante condemnationem, & abſquè alia probatione, & oſtenſione ſui crediti, nulla alia lege, vel conſuetudine in contrarium obſtante, capi poſſit. niſi præſtiterit fideiuſſionem de ſoluendo, vel niſi debitor ſit Ciuis, vel Diſtrictualis poſſidens, immobilia valoris dicti debiti, & hoc intelligatur, quando Ciues, vel Diſtrictuales Tridenti ſunt creditores: Alioquin, ſi forenſis eſſet creditor, hoc ſtatutum non vendicet ſibi locum, nec forenſis poſſit capi facere forenſem, nec Ciues, nec Diſtrictuales, etiam ſi per pactum expreſſum ſe obligauerint, vt capi poſſint pro debito, & hoc non obſtante aliquo ſtatuto hactenus in contrarium condito, vel conſuetudine, quibus per præſens ſtatutum derogamus, intelligendo ſemper, quod hoc ſtatutum habeat, & habere debeat locum in debitis præſentibus, & futuris, ex veris cauſis pecuniarijs, non autem fictis, & ſimulatis in fraudem vſurarum conceptis. Declarantes quod forenſes in hoc caſu dicantur non orti, vel non poſſidentes in bonis iuxta formã ſtatuti, ſub Rubrica De immunitate forenſium tertio capitulo; & idem intelligatur de hominibus habitantibus in Iuriſdictionibus immediatè contiguis Iuriſdictioni Tridenti: & quòd ſit in facultate debitoris, vel creditoris faciendi expenſas detento, ſeù detentis in carceribus honeſtè, & condecenter ſecundum vſum carcerum, & condecentiam carceratorum, donec creditori fuerit ſatisfactum, ſinè vlla contradictione Magiſtri carcerum; & tunc carcerum Magiſter ſolum habeat vnum groſſum charentanum pro quolibet die, & nocte, ſecundum eius antiquam obſeruantiam.

¶ De

¶ De hominibus districtualibus non capiendis pro debito minoris summæ decem librarum. Cap. 106.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nullus habitator in Ciuitate, vel districtu Tridenti, sustinens onera Ciuitatis, vel districtus Tridenti possit capi pro aliqua causa, vel debito ciuili, minori decem librarum bonæ monetæ, etiam si sit debitor pluribus personis, vsquè ad dictam summam pro quolibet, licet etiam sit debitor in pluribus, dum tamen in aliquo singulari debito non ascendat ad dictam summam.

¶ In quibus diebus, & locis quis pro debito ciuili capi non possit. Cap. 107.

PRohibemus aliquem ex causa, vel debito ciuili capi posse in domo suæ habitationis, vel in aliqua eius statione, vel apotheca propria, vel conducta, in qua artem exerceat: Declarantes illum haberi, & esse in domo suæ habitationis, qui intra muros, & parietes domus suæ habitationis, vel apothecæ suæ fuerit, vel intra clausuram ostij. Item in Ecclesia aliqua, & intra eius sacratum similiter prohibemus ipsum debitorem capi non posse, in infrascriptis diebus dumtaxat, videlicet, per totam hebdomadam Sanctam, per diem Paschæ Resurrectionis, cum duobus diebus sequentibus: In die Pentecostes tantùm, in die Corporis Christi, in Assumptione, & Annunciatione Beatæ Mariæ, in Natiuitate Domini, Epiphaniæ, Sancti Vigilij Patroni nostri, ac in die Sancti Laurentij ob reuerentiã, & memoriam victoriæ obtentæ ipsa die S. Laurentij in bello Illustrissimi quondam Domini Sigismundi Archiducis Austriæ, contra Venetos, anno millesimo quadringentesimo octogesimo septimo, qua die S. Laurentij, dum hostes Veneti facto ponte ex latere Castri Nuncij traiecissent in agrum Caliani, & eorum pars vsquè ad Villam Matarelli prope Tridentum, pro præda facienda aduenissent primum, dum acies peditum numero quadringentorum tantùm Alemanorum, qui eo mane ex Iudicaria Tridentum appulerant, sibi obuiam irent, Venetus Exercitus post multam armorum dimicationem, eos omnes vna etiam cum eorum Duce Micheletto Segato interemit, posteà exiens Strenuus Fridericus Kampeler Exercitus Nostri Dux Generalis, cum equitibus centum, & vna cum eo Strenuissimus Eques Dominus Georgius de Petraplana, quem secuti fuerant Ciues, & Populares Ciuitatis, & districtus Tridenti, ad numerum vix sexcentorum, eos summo Deo, Diuo Vigilio Patrono nostro, Beatoque Laurentio propicijs in tantùm profligarunt, quòd eorum tria millia equestrium gladio mirificè interemerunt, & ad septem millia in Athesim submersos profligarunt; quo conflictu

Illu-

Illustris Robertus de Sancto Seuerino, Militiæ Venetæ Dux Generalis, & Comes Bernardinus de Tollentino interierunt, facinus præclarum, & victoria memoria digna.

¶ Quod Christianus non possit detineri ad instantiam non Christiani. Cap. 108.

VOlumus, & ordinamus, quòd nullus Christianus ad petitionem alicuius non Christiani, vel habentis causam ab eo non Christiano, pro debito ciuili personaliter grauari, vel capi possit; & si caperetur, vel personaliter grauaretur, talis captura, & personale grauamen sint nulla, & nullum ipso iure, & de facto immediatè relaxetur, & capi faciens eidem Christiano capto, vel personaliter grauato, teneatur ad omne eius damnum, expensas, & interesse.

¶ De morientibus ab intestato, qui succedere debeant eisdem. Cap. 109.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis, vel si qua intestatus, vel intestata decesserit, relictis post se filijs masculis legitimis, & naturalibus, vel alio, siuè alijs masculis descendentibus ex filio masculo, vel nepote, vel pronepote, & sic deinceps descendendo per lineam masculinam in infinitum, legitimis tamen, & naturalibus, & relictis etiam post se filia, vel filiabus fœminis, vel alijs descendentibus ex filia, vel filiabus in quocunq; gradu, vel sexu sint, in infinitum, aut etiam relictis post se filia vna, vel pluribus nata ex filio, vel ex nepote nato ex filio masculo, vel nata ex pronepote nato ex nepote masculo, vel nata ex abnepote nato ex pronepote masculo, sic in infinitum descendendo, vel alijs filijs cuiuscunq; gradus, vel sexus existant, natis ex dictis fœminis, quòd tunc, & eo casu filij siuè filiæ prædicti, vel cæteræ descendentes per ipsam rectam lineam fœmineam, ab intestato non succedant patri, nec matri, auo, & auiæ, nec cæteris ascendentibus in infinitum, pariter cum ipsis masculis, vel descendentibus ex ipsis masculis per ipsam rectam lineam masculinam ab intestato, cæterisq; ascendentibus, & descendentibus tàm per lineam rectam, quàm per lineam transuersalem: sed solum succedant in medietate illius quotæ, in qua succederent de iure communi; & alia medietas applicetur masculis in gradu proximioribus descendentibus per rectam lineam masculinam: quod statutum vendicet sibi locum in muliere, quæ non fuerit dotata per rectam lineam masculinam descendentem in infinitum; hoc tamen saluo, quod si fratres ipsius fœminæ, vel filij fratrum, vel alij nepotes fratrum conuenirent cum ipsa muliere tempore,

pore, quo eam maritarent cum marito, de sibi tradendo, vel constituendo sibi mulieri, & de dando certam dotem; quòd tunc talis conuētio teneat, & amplius ipsa mulier aliquid petere non possit, & finem faciat, & finis, & remissio facta per eam mulierem fratri, vel nepoti ex fratre, vel pronepote ex nepote fratris, vel alijs masculis descendentibus ex certa linea masculina transfuersali, ipsi de hæreditate paterna, vel materna, fraterna, vel sororina teneant, & valeant, & amplius, quam ipsam dotem petere non possit: & hoc statutum etiam habeat locum in muliere minore annis vigintiquinq; , & iuxta statutum positum sub rubrica De alienationibus per minores vigintiquinq; annis factis: si verò ipsa mulier fuerit maritata, & dos sibi constituta fuerit per patrem, auum, proauum, tritauum, vel per fratrem, vel nepotem ex fratre, vel pronepotem ex nepote, & sic deinceps per rectam lineam masculinam descendentem, tunc nec ipsa, nec aliqui descendentes ex ea possint amplius aliquid petere de dicta hæreditate paterna, auita, vel proauita, seù abauita, vel proauita, siuè tritauita, & hæreditas tota deferatur ad alios filios masculos, vel alios proximiores descendentes ex masculis, per rectam lineam masculinam. Et eodem modo si dos sit sibi constituta per matrem, auiam, proauiam, tritauiam, amplius non possit ipsam mulier, nec ex ea descendentes petere de dicta hæreditate materna, auita, abauita, tritauita; sed ipsa dote stet contenta, & hæreditas tota dictæ defunctæ deferatur ad alios filios masculos proximiores, descendentes per rectam lineam masculinam.

¶ Filio, vel Filiæ morienti relictis fratribus, vel sororibus, & sola matre, quis succedere debeat eisdem ab intestato. Cap. 110.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si aliquis pater moriatur relicta vxore, & filijs pluribus masculis communibus, quòd si vnus, uel plures ex dictis filijs moriantur sine filijs ab intestato, quòd tunc portio illius, & seù illorum, prædefuncti, & prædefunctorum accrescat alijs superuentibus, ita quòd nihil mater habeat de bonis dicti filij, & seù dictorum filiorum præmortuorum, præterquam legitimam sibi de iure naturę debitam, si autem omnes dicti filij ab intestato, & sinè filijs morerentur, quòd tunc, & eo casu mater habeat de tribus partibus duas omnium bonorum dicti filij defuncti pleno iure, ita quòd proprietatem cum vsufructu illarum duarum partium consequatur, de qua ipsa possit disponere ad suum libitum, ita quòd fit suum etiam per transitum ad secunda vota: & quod residuum totius hæreditatis deueniat ad proximiores agnatos, & de familia ipsius defuncti, ad hoc, ut agnationes masculinę conseruentur, & quòd bona stent in familijs per masculos, & diu familiæ, & agnationes conseruentur: si autem pater (vt suprà est præmissum) moreretur relicta

relicta vxore, & relictis filijs masculis, & filiabus communibus, & vnus ex masculis moriatur, portio illius alijs superuiuentibus accrescat, secundum nostram dispositionem, quæ in statuto proximè sequenti continetur De successione lineę transuersalis: Item si omnes filij masculi morerentur relicta, vel relictis sorore, vel sororibus, & matre quod tunc deficientibus filijs masculis, sorores, & mater æqualiter succedant.

¶ De successione lineæ transuersalis. Cap. 111.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si quis, vel si qua intestatus, vel intestata, aut aliter intestabilis decesserit, relictis fratre, vel fratribus, masculo, vel masculis ex fratre masculo descendentibus, vel descendente in infinitum, & relicta sorore, vel aliqua, vel aliquo descendente ex sorore in infinitum; tunc illa soror, siuè illi descendentes ex sorore, siuè fuerint masculi, siuè fœminæ, succedant solum in medietate illius quotæ, in qua succederet de iure communi; & alia medietas accrescat ipsi fratri masculo personæ defunctæ, vel etiam masculis descendentibus ex eo, etiam si ipsi descendentes ex masculina linea recta transuersali sint in remotiori gradu, vsquè ad quartum gradum, de iure Canonico, quam ipsi descendentes ex recta linea fœminea; ita tamen, quòd proximiores succedant, vt dictum est, exclusis remotioribus in gradu, ad hoc, ut parentela ex parte masculina ualeat melius cum honore stare.

¶ De successionibus ex testamento. Cap. 112.

ITem statuimus, & ordinamus, quod si quis, uel si qua testatus, uel testata decesserit, relictis post se filijs masculis legitimis, & naturalibus, uel alijs nepotibus, uel pronepotibus, uel alijs descendentibus in infinitū, ex directa linea masculina, etiam legitimis, & naturalibus, & relictis post se etiam filiabus legitimis, & naturalibus, uel quibuscunque descendentibus ex dictis filiabus, siuè fuerint masculi, siue fœminæ, siuè relictis post se nepotibus, uel pronepotibus, uel abnepotibus ex filio, uel ex nepote, uel pronepote, & sic in infinitum descendendo, in quouis gradu, & ipse testator filiæ suæ, uel quibuscunq; descendentibus ex filia, in quouis gradu sint, uel etiam nepoti, uel pronepoti, uel alijs quibuscunq; descendentibus, ex filia filij, uel ex filia nepotis ex filio, uel ex filia pronepotis ex nepote, uel ex filia abnepotis ex pronepote, & sic deinceps in infinitum, in quouis gradu sint, siuè in testamento, siuè in codicillis, siuè in donatione causa mortis reliquerit quicquam, siuè multum, siuè modicum iure institutionis, uel legati, uel alio quocunq; titulo, quòd tunc ipsa filia, uel descendentes ex ea, siuè ex filia filij, uel descendentes ex ea, uel filia nepotis

ex

ex filio, vel descendentes ex ea, vel filia prænepotis ex pronepote, vel descendentes ex ea, & sic in infinitum, extantibus tamen ipsis filijs masculis testatoris, vel nepote ex filio, vel pronepote ex nepote, vel abnepote ex pronepote, & deinceps in infinitum, descendendo per rectam lineam masculinam, sint, & stent contentæ, & contenti, tacitæ, & taciti de omni portione sibi relicta ab aliquo ex dictis parentibus, quantacunq; sit illa, ita, & taliter, quòd ipsa, vel ipse non possint quoquomodo agere ad supplementum legitimæ, nec etiam dicere testamentum esse nullum, nec querelare, nec aliquo modo infringere, & quod non possit aliquo modo eo casu quicquam aliud petere à fratre, vel ab alio ex eo fratre descendẽte, de bonis, & hæreditate talis præmortui, tali condito testamento, qui sibi sic reliquerit, sed stet, & stare debeat tali sic eidem relicto, quantumcunq; sit modicum, vel multum, vel minus relictum, contentus, ac etiam dictus talis relinquens, si eidem reliquerit quoquo relicti titulo, valeat illud tale relictum, nec possit infringi ipsum testamentum per ipsam, vel descendentes ex ipsa, quia ipse, vel ipsa non sit titulo institutionis honoratus, vel honorata, immò ipsa, vel ipse tali relicto contenta, & contentus stare debeat, vt suprà, ac si fuisset titulo institutionis honoratus, vel honorata, & prædicta locum habeant, vbi tempore mortis dicti testatoris, de cuius hæreditate agitur, erat, vel erant masculus, vel masculi descendentes, vt suprà.

¶ De Ciuibus, & districtualibus Tridenti, volentibus testari. Cap. 113.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd vnusquisq; Ciuis, & Districtualis Tridenti, secundum formam, & modum, & ordinem iuris communis, & tam ciuilis, quàm canonici, & secundum antiquissimas consuetudines in Ciuitate, & Districtu Tridenti obseruatas, remaneat, & remanere debeat in sua libertate, & possit, & valeat pro vita, & morte sua disponere, bona sua testando, & codicillando, mortis causa donando, suam voluntatem, absq; aliquo impedimento alicuius personæ, etiam si fuerit damnatus ad mortem, & testamentum per eum factum valeat, & teneat, & non possit rumpi, vel infringi, vel aliter irritari propter sententiam mortis subsequentem, nisi forte esset damnatus ad mortem propter crimen læsæ Maiestatis: quo solo casu habeat locum ius commune, disponendo tamen de suis bonis secundum quod de iure, vel aliter ex forma statutorum Tridenti tenetur disponere.

¶ Quod hæres vniuerſalis teneatur ad petitionem legatariorum edere teſtamentum. Cap. 114.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod ad petitionem legatarij quilibet hæres vniuerſalis teneatur, & debeat edere teſtamentum, ad fundandam intentionem ipſius legatarij, & hoc ſtatutum intelligatur, ac procedat, ſi, & quatenus comperiatur ipſe hæres habere penes ſe dictum teſtamentum, & non aliter: & an illud habeat penes ſe, vel non, ſtetur iuramento ipſius hæredis, ſi aliter veritas haberi non poſſit.

¶ De præcepto faciendo partibus, ne accedant ad poſſeſſionem, de qua eſt quæſtio. Cap. 115.

SI quando fuerit quæſtio inter partes ſuper poſſeſſione aliquarum rerum immobilium, quia vtraq; pars ſe poſſidere contendat, & ne aliqua pars poſſit ſibi vſurpare aliquod ius, quia ſuo nomine laboretur, vel pro ipſa, vel ideò, quia de ipſa aliquos fructus percipiat, & ne altera poſſit priuari fructibus, ſi de iure pertinere deberent eidem, Statuimus, & ordinamus, quod Iudex, qui cognoſcit de cauſa, mota lite incontinenti præcipere debeat vtriq; parti, ne deinceps accedatur ad locum per ſe, vel per alium, ſub certa pœna, & bannodeinde præcipiat laboratoribus, vel eis, quì rem ipſam habent ſub mercede, quòd nemini eorum pendente cauſa debeant quicquam reſpondere, ſed pro ipſo Iudice debeant laborare, ad vtilitatem illius partis, quæ apparebit melius ius habere in iure poſſeſſionis prædictæ rei, & ipſi Iudici debeant denunciare, quot, & quales ſint ibi fructus, & per Iudicem tunc diſponi debeat, quid de ipſis fructibus faciendum ſit: & vbi, & apud quem debeant locari: poſſit tamen pars quælibet tempore recolligendorum fructuum habere nuncium ſuum, & facere deſcribi quantitatem fructuum, ne inde poſſet aliquod damnum percipere, vbi verò Iudici, recepta ſtatim informatione, eſſam extraiudiciali ſummaria, conſtare poſſet, alterum eorum litigantium eſſe tunc, & fuiſſe prius in poſſeſſione, quam altera pars, eo caſu Iudex tunc teneatur in poſſeſſione melius probantem conſeruare, iudicio ſiue in poſſeſſorio, ſiue petitorio remanente in ſua vi, & natura, cui iudicio præiudicium nullum intelligatur irrogatum ex tali informatione recepta, aut actu Iudicis.

¶ Ne quis turbet poſſeſſorem ſuper aliqua re, pendente lite. Cap. 116.

STatuimus, q̃ ſi aliqua perſona pendẽte aliqua quæſtione ſuper aliqua re mobili, vel immobili turbauerit poſſeſſorem, qui conuentus erat in poſ-

possessione ipsius rei, videlicet faciendo vel exportare frumentum, vel alios fructus, aut redditus, vel vindemiam, vel ligna, vel quæcunque alias res, vel aliud nouum in ea faciendo, vel occupando rem mobilem, & ali ò exportando, absq; licentia Iudicis competentis, & non citato possessore ipsius rei conuento, condemnetur ad restitutionem ipsarum rerum, vel æstimationem ipsarum duplicatam, & in expensis, & in decem libris denariorum bonæ monetæ pro dicto excessu.

¶ Quod alteri per alterum acquiri possit. Cap. 117.

STatuimus, quod alter alteri, & alteri per alterum etiam priuatum extraneum, & non subditum Potestati, eiusdem possit stipulari, & acquiri actio, & omne aliud ius, nomine cuius sit facta talis stipulatio, & acquisitio absque alia cessione.

¶ Quod vir habens feudum pro vxore fidelitatem Domino iuret. Cap. 118.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si aliquis habuerit feudum ab aliquo in filijs masculis, & fœminis, vna, vel pluribus, vir illius fœminæ teneatur facere fidelitatem Domino pro vxore sua infra viginti dies, post quam requisitus fuerit à Domino, vel ab eius hæredibus. Et hoc locum habeat, tàm in præsentibus, quàm in futuris.

¶ De eo, qui in possessione rei donatæ permanserit, & qualiter ipsæ donationes debeant publicari. Cap. 119.

VT quorundam malignantium fraudibus obuietur, Statuimus, quòd si aliqua persona de Ciuitate, vel Districtu Tridenti donationem, vel venditionem, seu alienationem aliquam fecerit in filios, vel nepotes suorum bonorum, vel partis, aut rei singularis, & manifestè donator, venditor, seu alienator in possessione remanserit rei alienatæ, illa alienatio non præiudicet ipso iure postea contrahentibus cum eodem; nisi ipsa donatio, vel alienatio ad scalas Episcopalis Palatij more solito fuerit publicata infra mensem, vel postea quandocunq; ante secundam alienationem, seu contractum; & ex tunc dicta donatio præiudicet, post ipsam publicationem contrahentibus.

¶ De emancipationibus ad scalas Palatij, & loca consueta publicandis. Cap. 120.

ITem statuimus, & ordinamus, quod omnes emancipationes de cætero faciendæ, legantur, seu alta voce publicentur ad scalas Episcopalis Palatij Tridenti, & in alijs locis consuetis per Ciuitatem, infra quindecim dies; quod si factum non fuerit, ipso iure non valeat, & quòd nulla emancipatio facta præiudicet Communi Tridenti, nec singularibus personis, nisi filij, vel nepotes seorsum à patre, vel auo habitent.

¶ De alimentis præstandis patri, vel matri præcisè. Cap. 121.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd Dominus Potestas Tridenti, sine libelli datione, vel aliqua ratione in scriptis redigenda, omni die feriato, & non feriato, etiam placitis locatis quolibet loco, incontinenti teneatur præcisè quamlibet personam habentem patrem, vel matrem, compellere ad præstanda alimenta suo patri, vel matri, & alijs ascendentibus, condecenter secundum suarum facultatum possibilitatem, nisi pater, & mater, vel alius ascendens tantas haberent facultates, vnde se alerent, & eodem modo, ac iure præstare compellantur parentes alimenta filijs, & alijs descendentibus, nisi ipsi tantas habuerint facultates, vel artem, seu ministerium, vnde se alere possent, dum tamen valetudine tali non detineantur, cuius occasione, arte, vel ministerio suo vti non possent, & hæc omnia nisi ipsi parentes impietatem commiserint contra filios in exigendis dotibus, vel alijs bonis, & filij ipsi in parentes.

¶ Quod nulla persona possit spoliari, vel remoueri de possessione, quam habet, nisi ea prius conuicta in iudicio ordinario. Cap. 122.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nulla persona possit, vel debeat spoliari, aut remoueri de possessione, vel quasi alicuius rei, quam habet, & possidet, vel quasi per Dominum Potestatem, vel alios Officiales Communis Tridenti, ad petitionem alicuius personæ, Communis, Collegij, Capituli, vel Vniuersitatis, nec per ipsam personam, Commune, Collegium, Capitulum, vel Vniuersitatem, nisi primo dicta persona tenens, & possidens, vel quasi, in Iudicio ordinario coram dicto Domino Potestate, vel Officialibus antedictis conuicta fuerit; immo Dominus Potestas, & Cæteri Officiales prædicti teneantur, & debeant vinculo sacramenti quamlibet personam possidentem, vel quasi, manutenere, & defendere aliquo statuto in contrarium loquente non obstante, non obstantibus etiam aliquibus priui-

priuilegijs factis, vel fiendis, & quòd in omnibus priuilegijs factis, & fiendis intelligantur illa verba, saluo iure omnium personarum, in proprietate, possessione, vel quasi, in quolibet capitulo & puncto, in ipsis priuilegijs, vel concessionibus posito, licet ipsa verba in eis posita non fuerint: & si aliqua persona spoliata sit, vel fuerit possessione rei, vel quasi, quam antea detinebat, vel quasi, prætextu alicuius priuilegij, vel concessionis, vel alia ratione, ipsa prius in iudicio ordinario non conuicta, vt superius dictum est, Dominus Potestas vinculo sacramenti, & similiter Officiales prædicti teneantur, & debeant ipsam personam spoliatam, vel eius hæredes sine aliqua scriptura, & nulla iuris solennitate seruata, in possessionem, vel quasi inducere rei, qua fuerit spoliata in continenti, cum fuerint requisiti, aliquo cursu temporis non obstante, & ipsam inductam defendere teneantur.

¶ Quod pendente lite reali, vel mixta non liceat rem in iudicio deductam in alium transferre, vel deuastare. Cap. 123.

VT malitijs hominum obuietur, & lites ad finem suum celerius deducantur, & improbitas litigantium reprimatur, Statuimus, & ordinamus, quòd si quis citatus fuerit in iudicio coram Iudice, & tàm Ordinario, vel Delegato, quàm Arbitro, siue Arbitratore, & tali modo citatus fuerit, quod citatio venerit verisimiliter in notitiam citati, ita tamen, quòd in ipsa citatione contineatur res, & causa propter quam citatur ad petitionem alicuius, super iure, siue actione reali, vel mixsta, vel possessione ipsius, & quomodocunq; agatur, etiam actione personali ad rem, eo quia dicatur possidere, vel detinere rem petendam ab ipso mobilem, vel immobilem, & rem illam à se petendam, seu dominium, aut possessionem ipsius rei aliquo modo, vel titulo alienauerit, donauerit, permutauerit, vel iura cesserit, vel quocunq; alio genere alienationis, post citationem, in aliquã singularem personam, cuiuscunque conditionis existat, Collegium, vel Vniuersitatem transtulerit, vel ignorante eo, qui fecit ipsum vocari in iudicium, sustinuerit contra se ferri sententiam, ad petitionem alicuius super ipsa eadem re, ita quòd desierit possidere, vel aliter dolo, culpa, vel facto suo desierit possidere post citationem prædictam, vel rem ipsam destruxerit, seu deteriorauerit notabiliter, vel destrui, seu deteriorari fecerit, vel permiserit, qui dolus, & culpa semper præsumatur, nisi contrarium probaretur, teneatur non obstantibus prædictis, super eadem re de iustitia respondere, & perinde, ac si possideret, quæstio terminetur per Iudicem, & talis alienatio non valeat ipso iure, nec ex ea translatum intelligatur aliquod dominium, vel possessio aliqua, & ea non obstante sententia lata contra ipsum reum conuentũ mittatur executioni, sine aliquo

nouo proteſtu fiendo contra ipſum, in quem fuerit facta dicta alienatio, & qui alienauerit, vel contra ſe talem ſententiam reportauerit ignorante parte, vt ſuprà, vel vt ſuprà dolo deſierit poſſidere, vel rem ipſam deſtruxerit, ſiue deteriorauerit, incidat in pœnam ipſo facto valoris rei, ſi non exceſſerit valorem librarum vigintiquinq;, ab indè ſupra in pœnam librarum centum bonæ monetæ, Fiſco applicandarum pro dimidia, & pro alia dimidia parti, in cuius præiudicium prædicta facta eſſent, ipſo facto exigendam, cui parti læſæ teneatur etiam ad damna, & intereſſe, & eandem pœnam incurrat, qui ſciens rem litigioſam, vt ſuprà, emerit, vel ex alio titulo receperit, vel talem ſententiam pro ſe ſcienter meruerit, ignorante eo, qui fecerat primò citari: quæ omnia locum habeant, niſi quatenus de ipſius citari facientis proceſſerit voluntate, vel niſi pro ipſo citato fuerit lata ſententia, quæ tranſiuerit in rem iudicatam, vel niſi foret peremptа inſtantia cauſæ, quæ poſt primam citationem ſequeretur, vel per ipſius citari facientis negligentiam non proſequentis cauſam, quæ negligentia præſumatur ſemper, ſi infra tempus vnius menſis à die dictæ primæ citationis dictus citari faciens cauſam non fuerit proſecutus.

¶ Quod poſſeſſio, quam defunctus habebat tempore mortis coniunctim tranſeat in hæredes. Cap. 124.

POſſeſſio bonorum defunctæ perſonæ, quam habebat tempore mortis coniunctim tranſeat ad hæredes, ſiue ex teſtamento, ſiue ſine teſtamento ſuccedentes, ſecundum ordinem ſucceſſionis ipſo iure, etiam ſi ab hærede non fuerit apprehenſa; non obſtante, quòd aliquis ſua propria authoritate, poſt mortem dictæ perſonæ defunctæ occupaſſet, ſeu ingreſſus fuiſſet ipſam poſſeſſionem.

¶ Quod Clerici, & Religioſi pro ſuo proprio æſtimentur. Cap. 125.

ITem quòd Clerici, & Religioſi omnes Ciuitatis, Diſtrictus, & Epiſcopatus Trident, bona habentes patrimonialia, vel aliter, extra ſuas Præbendas, & Eccleſias temporaliter acquiſita, in ipſa Ciuitate, Diſtrictu, & Epiſcopatu, debeant æſtimari, & pro ipſis bonis ſuis proprijs ſubire, & facere onera, & factiones Communis Trident, afficientes ex nunc bona prædicta ab huius oneris ſupportationem.

¶ De

¶ De mezadris, laboratoribus, & affictalinis Clericorum, & aliorum non subditorum Iurisdictioni Domini Potestatis, vel Reuerendissimi, pro eis conuenientibus occasionibus infrascriptis. Cap. 126.

CVM etiam secundum formam præsentium statutorum fossata fieri debeant iuxta vias, seu stratas per confinantes eisdem aggeres fluminum refici, fieri, & reaptari debeant, expensis habentium terras pro certa parte expensæ, quæ terræ reciperent damnum ex aqua ipsorum fluminum, non factis, seù reaptatis ipsis aggeribus, canalia similiter pro adaquando debeant remundari in pluribus partibus, & aliæ diuersæ expensæ fieri debeant, etiam vtiles, & necessariæ in Ciuitate, & Episcopatu Tridenti expensis, & ad expensas habentium terras, & domos ibidem, prout in præsentibus statutis fit mentio; & cum multoties eueniat, quòd prædicta laboreria non fiant, defectu & negligentia Ecclesiasticarum personarum, & non subditarum Iurisdictioni Domini Potestatis Tridenti, recusantium pro terris, quas habent, & possident pro se, aut pro beneficijs suis, contribuere ad expensas ipsorum laboreriorum, quoniam se excusant non esse sub Iurisdictione dicti Domini Potestatis, & statuta Communis Tridenti non habere ipsos ligare, quod cedit in maximum damnum ipsarum Ecclesiasticarum personarum, & non subditarum, & etiam personarum laicarum, quæ libenter contribuerent ad ipsa laboreria pro terris suis, de quo parum curant ipse Ecclesiasticæ personæ: & cùm ipsorum negligentia cæteris non debeat nocere pro Reipublicę vtilitate, matura etiam deliberatione prahabita, statutum, & ordinatum est, quòd in quibuscunque casibus, in quibus per formam præsentium statutorum aliquis pro terra, prato, seù domo sua teneatur ad cauandum fossata iuxta vias, vel alibi in Ciuitate, vel Episcopatu Tridenti, vel ad cauandum, vel ad aptandum canale, vel aggeres de nouo faciendum, vel ad aliquod aliud laborerium in Ciuitate, & Episcopatu Tridenti, & contingat ipsum, qui pro dicta sua terra, prato, aut domo ad tale quod teneatur esse Prælatum, Abbatem, Canonicum, Archipresbyterum, Presbyterum, Clericum, seu Ecclesiasticam personam, aut aliter non subiectam Iurisdictioni præfati Domini Potestatis, tunc, & eo casu mezadrus, & laborator, seù fictabilis dictæ terræ, prati, aut domus, teneatur, debeat, & obligatus sit præcisè, expensis tantùm dictæ Ecclesiæ, seu non subiectæ personæ, & bonorum, & redditiuum ipsius, ad faciendum ipsum laborerium pro ipsa terra, prato, seu domo, seu expensam indè necessariam, pro parte contingente ipsam terram, pratum, aut domum, dicta tali persona Ecclesiastica, seu non subdita, etiam non requisita, quacunque exceptione postposita, etiam si diceret, & probaret ipse fictabilis, vel laborator, seù mezadrus se soluisse fictum, aut redditus consignasse dictæ personæ

Eccle-

Ecclesiasticæ, siue non subditæ, pro ipsa terra, prato, aut domo ante tempus dicti laborerij fiendi: & si contingat dictam terram dictæ Ecclesiasticæ, seu non subditæ personæ esse aut buschiuam, aut domum inhabitatam, & non afflictatam, tunc, & eo casu quicunque mezadrus, laborator, seu fictabilis dictæ Ecclesiasticæ, aut non subditæ personę etiam alterum terrarum, seu domorum, aut pratorum ipsius Ecclesiasticæ, seu non subditæ personæ, seu Beneficiorum ipsorum, & tàm existentium in ipsa Villa, vbi erit ipsa terra greziua, aut buschiua, aut domus inhabitata, quàm in quacunque alia Villa dicti Episcopatus, quàm etiam in Ciuitate Tridenti, teneatur, & debeat præcisè compelli ad ipsum laborerium faciendum, seu fieri faciendum pro parte contingente ipsam Ecclesiasticam personã, seu non subditam personam, pro dicta terra greziua, aut buschiua, aut domo inhabitata, expensis tamen dictæ Ecclesiasticæ personæ, seu non subditæ personę, & bonorum, & redditumm ipsius: & si contingat prædictã Ecclesiasticam personam, seu non subditam, quæ ad tale laborerium teneatur pro dicta terra greziua, aut buschiua, aut domo inhabitata, nõ habere in Ciuitate, vel Episcopatu Tridenti aliquem mezadrum, laboratorem terrarum, aut fictabilem, tunc, & eo casu poteſtas teneatur, & debeat, ad instantiam cuiuscunque petentis, tale laborerium, seu cauamentum fieri, & cuius verisimiliter interſit, sub pœna librarum vigintiquinq; bonæ monetæ, infrà quindecim dies, postquam fuerit requisitus, locare ad fictum, cuicunque conducere volenti tot de bonis Ecclesiasticæ personæ, aut non subditæ, vt suprà, & beneficiorum suorum, quod de fictu tunc exbursando per ipsum conductorem fieri possit laborerium prædictum, pro parte contingente ipsam personam Ecclesiasticam, & non subditam, vt suprà, occasione dictę terræ greziuæ, seu buschiuæ, seu domus, inhabitatæ: Et quòd talis locatio sic facta valeat, & teneat, ac si facta fuisset per ipsam Ecclesiasticam personam, seu non subditam, vel à Iudicibus suis, cum solemnitatibus à iure requisitis, & quòd dictus Poteſtas Tridenti, ad prędicta omnia, & singula facienda compellat prædictos mezadros, laboratores, & fictabiles prædictarum personarum Ecclesiasticarum, & non subditarum, vt suprà, realiter, & personaliter, de plano, sine strepitu, & figura Iudicij, & quibuscunque exceptionibus postpositis, & prędicta omnia, & singula obseruet, & obseruari faciat sub pœna librarum quinquaginta denariorum bonæ monetæ de suo salario ipse Dominus Poteſtas: & hoc ſtatutum ſit præciſum, & præcisè debeat obseruari,

¶ Quod

¶ Quod omnes fundi, & proprietates Ciuium Laicorum, vel etiam Clericorum propriæ, & non præbendariæ, vel Ecclesiasticæ, perpetuo sint, & esse debeant obligatæ ad factiones cum Ciuitate, Cap. 127.

ITem; quia experimur, quòd Ecclesiastici habentes beneficia in ciuitate, ob pingues redditus, quos habent ex eorum beneficijs, quotidie emunt, & acquirunt proprietates laicorum, & illas Ecclesijs applicant, ita quòd nunquam reuertuntur ad laicos, in præiuditium laicorum, præsertim circa factiones, & onera realia ex eis debita; Idcirco statuimus, & ordinamus, quòd omnia, & singula bona, fundi, & proprietates cuiuscunque conditionis, & sortis existant, quæ de præsenti dignoscuntur esse, seu possideri per laicos cuiuscunque conditionis, status, & gradus, siue iure directi dominij, siuè etiam vtilis, siue in Ciuitate, & Districtu, siue etiam in tota Iurisdictione, dummodo Episcopatui subiecta, de cætero perpetuis temporibus sint, & esse debeant obligata, seù subiecta ad soluendum quascunque functiones, steuras, seu collectas, & onera realia, & personalia, vel saltem realia, vbi acquisitor videretur exemptus à personalibus: Ita quòd etiam, si quantocunque iure, vel titulo applicata fuerint personis, vel locis Ecclesiasticis, vel Religiosis, aut alijs quibuscunque personis, vel locis prætendentibus exemptionem aliquam, semper transeant, & transisse ipso iure intelligantur cum onere dictarum functionum, & onerum, & perpetuis temporibus ad illas teneantur, & obligata sint, videlicet, si à Ciuibus, & habitantibus in Ciuitate, & pertinentibus ad ciuitatem acquirantur, cum ciuitate soluant: si verò à Ruralibus non facientibus cum ciuitate, soluant cum Ruralibus: quod quidem statutum tamen non volumus derogare iuribus Ciuium, in eo, quod si acquirant à Ruralibus, tamen non teneantur cum ipsis soluere collectas, & prout in statuto posito sub rubrica De publicis functionibus soluendis: quod, quo ad dictos Ciues tantùm, & non Ecclesiasticos, volumus ratum manere, ex eo potissimè, quia, si aliquo tempore Ciues acquirunt à Ruralibus, Rurales etiam quandoque emunt à Ciuibus, vt, & antiquitus repertum est: sed si Ecclesia, vel aliquis nomine Ecclesiæ, aliquid semel à laico acquirit, tale acquisitum nunquam reuertitur ad laicos: Verum vbi, & quando Ciuis, vel habitans in ciuitate non per seipsum rem acquisitam in Villa, seu suos operarios coleret, sed per manfiatorem, vel colonum partiarium, tunc, & eo casu volumus dictos manfiatorem, affictalmum, vel colonum partiarium teneri, & obligatum esse ad soluendum, & contribuendum cum ipsis Ruralibus, insteuris, & collectis iuxta eam ratam, & fructuum partem, quam ipse colonus partiarius percipit ex bonis Ciuium, & non vltrà, & hoc ratione vsus, & vtilitatis communium,

nium, & vicinię, quam dictus mansiator habitans cum suis animalibus consequitur, & non ratione mansus, vel proprietatum, pro quibus ciues collectatur in Ciuitate, vbicunq; eas habeant, siue in Ciuitate, siue extra in Villis. Decernentes insuper, quòd si vllo tempore per aliquam Vniuersitatem, vel viciniam, per priuilegium, vel aliquam aliam constitutionem particularem, vel generalem, etiam sub quacunq; forma, & pretextu contra prædicta aliquid attentaretur, vel obtineretur in præiudicium ciuium, & facientium cum ciuitate; tale attentatum, & obtentum sit ipso iure nullum, & nullum sortiatur effectum, nec vnquam approbari possit per tacitum, vel expressum consensum alicuius.

¶ De reddendis rationibus, & redditibus Communis dispensandis. Cap. 128.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd Procuratores Communitatis diligenter, & sollicitè procurent reficere, & reparare, & reparari facere ex redditibus, & obuentionibus vniuersis dictæ Communitatis, quæ exiguntur, & colliguntur tàm ex muda sua parua dictæ Ciuitatis, quam ex officijs, & affictibus, quam aliunde, vias publicas, pontes, passus, postas, custodiam murorum, & alia, quæ in Republica necessaria erunt reparati, & de die in diem debeant clarè scribere, & notare, quæ exigent, & expendent, & infrà. xx. dies, postquam fuerint destituti, siue remoti ab officio, Prouisoribus, & Consulibus Communitatis reddere rationem cum integra residuorum consignatione, sub pœna quinquaginta librarum, auferendæ, & applicanda Cameræ Episcopali toties, quoties in quolibet prædictorum capitulorum contrafactum fuerit, & eadem ratio reddi debeat ipsis Consulibus, adiunctis tamen ad rationem reddendam ex quolibet quarterio Ciuitatis duabus personis idoneis, & integris, quæ quando à suis quarterijs quolibet anno electæ fuerint, ipso facto compuliæ intelligantur ad interueniendum in rationibus reddendis, pœna librarum. 50. quoties sine iusta causa arbitrio Reuerendi. Domini arbitranda interuenire recusauerint aufferenda, & Cameræ Episcopali applicanda, eandem pœnam in cursuris capitibus quarteriorum, si dictam electionem fieri non procurauerint, & hæc locum habeant in his, & circa ea, quæ pertinent ad ipsam Ciuitatem tantùm: quæ verò spectant, & pertinet ad Communitates exteriores, in illis obseruetur sententia Episcopi Alexandri, præsentibus statutis inserta.

¶ De

¶ De immunitate forensium volentium venire ad habitandum in Tridento. Cap. 129.

ITem statuimus, & ordinamus, vt Ciuitas nostra populetur, & Ciuibus repleatur, quod omnes, & singuli forenses habitantes extra iurisdictionem, & Dominium Ciuitatis Tridenti, volentes habitare, & permanere in Tridento, sint & esse debeant exempti, & totaliter absoluti per tres annos continuos, ab aduentu eorum, ad habitandum in Ciuitate cõnumerandos, a cunctis factionibus Communis Ciuitatis Tridenti, tam realibus, quam personalibus, videlicet à custodijs cunctis, steuris impositis, collectis, & caualcatis, siue andatis, quocunque nomine censeantur, ex his tamen exceptis, & exceptuatis hominibus, seu personis Episcopatus Tridenti, qui veniunt ad ius Episcopalis Palatij Tridenti: Ita tamen quòd iurent fidelitatem Domino, & quòd præstent saltem iuratoriam cautionem de stando, & habitando in dicta Ciuitate per alios tres annos, & soluendo factiones, secundum facultatem suorum bonorum, sub pœna dupli eius, quòd poneretur eis: Et quòd si nollent stare per alios annos tres, quòd tunc soluant tantum, quãtum soluissent, si hoc statutum non fuisset conditum in ipsis primis tribus annis.

¶ De eodem.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quilibet forensis, qui venit ad Ciuitatem Tridenti, infra octo dies debeat se præsentasse coram Dominis Consulibus Ciuitatis Tridenti, sub pœna decem Rhenensium applicandorum Cameræ Episcopali, qui Consules habeant intelligere, & benè videre, si ille vult venire ad habitandum in Ciuitate, & se exercere, & lucrari, & sit bonæ opinionis, & famæ, quòd incontinenti faciant, quòd describatur in libro forensium, qui venerunt ad habitandum in Ciuitate, & quòd soluat collectas personales, & subeat omnia onera personalia, quo autem ad onera realia, fiat prout in alijs nostris statutis inferius annotatis continetur.

¶ De eodem.

ITem pro extensione suprascripti statuti, & ampliatione, & ne Dominus, & Ciuitas defraudẽtur in aliquo, Statuimus, & ordinamus, quòd quicunque voluerit venire ad habitandum in Ciuitate Tridenti, vel in præsenti habitaret, teneatur, & debeat conducere familiam suam ad dictam Ciuitatem, & ibidem cum dicta sua familia habitare sine dolo, & fraude, & vltra prædicta teneantur etiam habitantes in præsentibus hinc

ad

ad sex menses proximè futuros, & venientes etiam infrà terminum vnius anni, à tempore sui aduentus, emere vnam domum, & alia bona stabilia in Ciuitate Tridenti, ad valorem centũ Ducatorum auri, & plus, & quòd illa bona, quæ emerint, non possint alienare sine consensu prædictorum Dominorum Consulum, & præterea in eodem termino teneantur iurare fidelitatem in manibus Reuerendissimi Domini, vel eo absente, Locumtenentium suorum, & qui prædicta non obseruauerint in omnibus, & per omnia, non intelligantur esse Ciues, nec pro Ciuibus reputentur, neque gaudere debeant aliquibus priuilegijs, vel immunitatibus, aut statutis dictæ Ciuitatis Tridenti, nec Ciuium, sed prorsus pro forensibus tractentur, & reputentur.

¶ De eodem.

ITem, quòd nullus habeatur, nec reputetur pro Ciue, nec gaudeat priuilegijs, vel statutis, & exemptionibus Ciuium, & Ciuitatis, nisi habitet cum familia sua, & stet in dicta Ciuitate Tridenti, aut in Burgis, siue in quibusdam Villis Iurisdictionis Tridenti, quæ secundum antiquam consuetudinem sustinent onera cum Ciuibus, & pro Ciuibus habentur, vt sunt illi de Metio, & Cognola, & similibus locis: Exceptis illis Ciuibus, qui hactenus habitassent in Ciuitate Tridenti cum sua familia, & pro Ciuibus habiti fuissent, qui, quamuis se à Ciuitate absentassent extra districtum Tridentinũ, causa lucrandi, vel negotiandi, seu ad officia, aut ex quacunq; alia rationabili causa, habeantur nihilominus pro Ciuibus, & gaudeant priuilegijs Ciuium; & hoc dumtaxat quantum ad munera, & priuilegia personalia, & personam concernentia, & quantum ad ea, quæ pro vsu suo haberent, seu habere vellent sine dolo, & fraude, sicut cæteri Ciues, non autem, quantum ad mercimonia, & similia; dum tamen etiam domos, vel possessiones, aut alia bona immobilia habeant in Ciuitate Tridenti, vel eius Districtu ad minus valoris cẽtum Ducatorum, & plus, secundum discretionem Dominorum Consulum, & Prouisorum Ciuitatis Tridenti, pro tempore existentium, & quòd spes de talibus habeatur redeundi ad habitandum ad dictam Ciuitatem Tridenti, & quòd nihilominus ille, qui pro Ciue non haberetur, sustinere debeat vnam cum alijs Ciuibus omnia onera, & factiones pro bonis, quæ haberet in dicta Ciuitate Tridenti, & Burgis, & locis cum Ciuitate facientibus. Insuper statuentes, quòd si quis de cætero inuentus fuerit post Ciuilitatem aliquã per se lucrata, vel acquisita qualitercunq;, & quomodocunq; in totum, vel pro maiori parte, extra districtum Tridenti inuestire, & postea recedere, & ire ad habitandum extra districtum Ciuitatis Tridenti, quòd tunc, vt præsumptus transfuga, & in fraudem Ciuilitatem assequutus, puniatur in ducatis centum, Communitati pro dimidio, & pro alio dimidio fisco irremissibiliter applicandis.

¶ De

¶ De oneribus, & functionibus per Ciues indifferenter subeundis. Cap. 130.

AEqualitate onerum nihil melius in tuenda Ciuium tranquillitate, ac pace perpetua. Propterea, Statuimus, quòd omnes, & singuli Ciues Tridéti, & qui pro Ciuibus se defendunt, vel volunt tanquam Ciues se defendere, vel tanquam Ciues volunt se admitti ad aliquos honores, & officia, vel alterutrum, & gaudere Cittadinantię beneficio, teneantur, & compellantur soluere, & subire omnia onera, sicut alij de dicto communi, & de dicta contrata faciunt, & subeunt, seu subire tenentur. Cassamus insuper, & cassa, & irrita esse pronunciamus omnia, & singula statuta, & priuilegia, concessiones, & immunitates hactenus facta, & factas, aliquibus personis immunitatem aliquam concedentia, & concedentes, præterquam immunitates specialiter concessas Legistis, & Canonistis, ac Medicis, & Magistris, & alijs, secundum quòd in statuto posito sub rubrica De immunitate concessa Medicis continetur, quibus immunitatibus prædictis concessis non derogetur in aliquo, & de cætero nulli personę concedatur immunitas neq; per statuta, neq; per reformationes, neq; per priuilegia, nec aliquo quocunq; modo; & si fuerit impetrata, vel concessa ipso iure non valeat, & præsumatur per fraudem, siue aliter malo modo obtenta, vel potius extorta, & non possit illa talis persona vti, nec gaudere aliquo beneficio Ciuitatis Tridentinæ.

¶ De immunitate habentium duodecim filios. Cap. 131.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd habentes duodecim filios stante eo numero, vel etiam filijs mortuis, si omnes eodem tempore viuos semel habuit, habere semper debeant immunitatem ab omnibus, & singulis oneribus, & factionibus realibus, & personalibus, siue mixtis in Ciuitate Tridenti: Excepta dantia siue contributione priuata suæ contratæ, & puteorum, & fontium.

¶ De publicis factionibus soluendis. Cap. 132.

ITem statuimus, & ordinamus, q; quilibet pro prædijs, cæterisq; bonis mobilibus, & immobilibus, quocunq; vocabulo censeantur, actionibus dumtaxat exceptis consistentibus in plebatibus, seu locis quibuslibet nostræ Iurisdictioni subiectis, factiones impositas hactenus, & imponendas Syndicis, Antianis, Iuratis, & alijs Officialibus quocunque vocabulo nuncupatis, ad exigendum, requirendum, & recipiendum deputatis, & deputandis iuxta æstimationem persoluant, & subeant in lo-

eis, plebatibus, ſquadris, & villis, vbi ipſa bona conſiſtant, licet perſonæ habitaret in vna villa, & bona eſſent in alia villa, & fiat licentia ad pignorandum, & diſtrahendum Syndicis, Antianis, Iuratis, & alijs Officialibus deputatis, & deputandis, vt præmiſſum eſt, præſentibus, & futuris, vt bona quorumlibet, qui ipſas factiones facere, ſoluere, & ſubire recuſauerint, ſiue tales perſonæ reſideant in plebatibus, ſquadris, villis, vbi ipſa bona conſiſtunt, ſiue non reſideant, omni ſolemnitate cuiuſcunq; ſubhaſtationis poſtpoſita, vsq; ad ſummam huiuſmodi factionum, & expenſarum per eoldem Officiales liberè, & impunè diſtrahantur. Ad cuius ſtatuti, ſiue edicti obſeruationem Ciues Tridenti, vel alios priuilegiatos, ſiue illos, qui ſecundum antiquam cõſuetudinem à dictis factionibus excuſantur, decernimus non teneri; ſaluo quod ſi Communitas propter ſua propria negotia, vel maleficia, quæ commiſerint, impoſuerit aliquam collectam inter ſe, non habitantes in ipſis plebatibus, & villis ad ipſam collectam minimè teneantur,

¶ Sententia lata contra fratres Doctorum, qui ſoluere debeant cuſtodias pro rata bonorum ſuorum, Cap. 133.

GEorgius Dei gratia Epiſcopus Tridentinus Cæſareus Veronæ Locumtenens. Volentes diffinire, ac terminare cauſam, & differentiam vertentem per, & inter Communitatem Ciuitatis noſtræ Tridentinæ ex vna, & N. fratres Doctoris Pauli Scratimperger, ac etiam Baptiſtam à Prato, fratrem Doctoris Antonij à Prato, Ciues noſtros, ex altera partibus, ſuper exemptione onerum perſonalium, & cuſtodiarum Ciuitatis noſtræ, quam præfati fratres Doctorum prædictorum habere prætendunt; Audita primo, & viſa inſtantia nobis facta pro parte Communitatis prædictæ, viſa etiam reſponſione facta in oppoſitum pro parte ipſorum fratrum Scratimperger, Viſis, & conſideratis Iuris allegationibus, quas vtraq; pars in fauorẽ ſuum, & iurium ſuorum nobis in ſcriptis exhibuit, habitoq; ſuper his allegationibus Iuris Cõſilio, & examinatione pluriũ Doctorum Iuriſperitorũ, necnon aliorum nobis Aſſidentium, ſuper omnibus dentq; conſideratione, & diligenti diſcuſſione præhabita, & viſa poſtremò citatione ipſis partibus conuentis facta pro hac die, & hora, ad hanc noſtram ſententiam, quam in his ſcriptis ferimus, proferri audiendum, Chriſti nomine repetito, à quo cuncta iudicia recta proueniunt, dicimus, ſententiamus, & pronunciamus, quòd fratres Doctorum prædictorum, & aliorum, qui iam ſunt, vel pro tempore fuerint, teneantur, & obligati ſint futuris temporibus pro rata bonorum ſuorum, quamuis indiuiſorum, ſoluere, & cum cæteris Ciuibus non exemptis contribuere ad onera cuſtodiarum antedicta, & ad alia perſonalia quæcũq; abſoluen-

soluentes eosdem pro tempore præterito, simul & ab expensis, & ita ex causis, & rationibus animum nostrum de iure mouentibus, Dicimus, sententiam, pronunciamus, absoluimus, & condemnamus, In nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti. Amen. Actum Tridenti in Castro nostro Boni Consilij, die vigesima Augusti. Anno Domini millesimo quingentesimo duodecimo; Præsentibus Venerabili, Nobilibus, Egregijs, fidelibus nostris dictis, Nicolao de Neuhaus Canonico, & Vicario, Christophoro de Thono Capitaneo, Aloysio Saxolo Prętore Tridęti. Hieronymo Romagnano, & Antonio Quetta Cancellario, Doctoribus, & Consiliarijs nostris. In quorum fidem, & testimonium præsentes fieri, nostrique sigilli iussimus appensione communiri.

¶ De rusticis, & alijs personis confugientibus ad Ciuitatem tempore belli. Cap. 134.

ITem si aliquæ personæ propter bellum, vel metum hostilis incursus ex Villis suis confugerint ad Ciuitatem Tridenti, vel aliquod fortalitium Districtus Tridenti, cum personis, & rebus suis, & sine rebus, teneãtur, & debeant pro personis tantùm, & non pro rebus facere custodias, & alia onera personalia subire cũ illo loco fortalicij, & hominibus eiusdem, de quanto ibidem stabunt, & habitabunt occasione prædicta: realia verò subire, & intendere debeant cum illa Villa, vel loco siue locis, cum quibus faciebant, antequam ita confugerent, vt suprà. Et si aliquæ personæ de districtu cõfugerint ex dicta causa ad fortalicia Iurisdictioni Tridenti non subiecta, vel etiam subiecta, nihilominus facere, & attendere teneantur quælibet onera, & factiones reales, & personales illius Villæ, vel loci, siue locorum, cum quibus faciebant, antequam ita confugerent, vt suprà.

¶ De Capitaneo constituendo ad contrabanna. Cap. 135.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd Domini Consules omni anno, & tempore noui anni eligant duos, vel tres præsentandos Reuerendissimo Domino Tridẽ. ut unum ex eis, quem magis aptum, & idoneũ censuerit, confirmet in Capitaneum contrabannorũ, qui attendat ad contrabanna, quæ in dies fiunt in cõducendis uinis forensibus, siue ad districtũ, siue per districtum, & similiter in conducendo extra districtum ligna ab igne, uel alia lignamina, circulos uegetes, & cætera omnia prohibita conduci extra districtum per statuta Ciuitatis, & qui iurare habeat ad manus præfati Reuerendissimi Domini more Consulum, de exercẽdo officium suum, & desuper attendendo diligenter, & bona fide super præmissis, & aliquo pacto, uel modo nõ assentire, siue tacitè, siue expresè ad aliquod

contrabannum pœna periurij, ac etiam pœna arbitrio Reuerendiſſimi infligenda, & Dominorum Conſulum, qui pro tempore fuerint, ſi in aliquo dolo, vel fraude deprehenſus fuerit, cui ſubijciantur ad omnem neceſſitatem Officiales Syndicariæ, & etiam Officiales Domini Poteſtatis, necnon & contrabanna ipſa, & res deprehenſæ in contrabanno, vnà cum pœnis à ſtatutis limitatis, diuidantur ita, vt medietas applicetur Cameræ Fiſcali Epiſcopatus, alia medietas ipſi Communitati, & Capitaneo æqualiter, non obſtante aliquo ſtatuto, vel conſuetudine in contrarium, & quòd nec per Reuerendiſſimum Dominum, vel Communitatem aliquo pacto poſſit remitti de dictis contrabannis, & pœnis, dummodo iuſtè fuerint capta, ſaltem pro parte tangẽte ipſum Capitaneum: & quod ſi contingeret, quòd aliquis de committentibus dicta contrabanna, feriretur, vel occideretur, volens reſiſtere tali apprehenſioni, ipſi Officiales, & ſocij nullam propterea incurrant pœnam, ſiue legalem, ſiue ſtatutariam, & ſi aliquis Ciuis, vel diſtrictualis comprehenderetur committere, vel attentare committere huiuſmodi contrabanna aliquo pacto, quia tanquam ſibi ipſi, & patriæ ſuæ inimicus dignus eſt maiori pœna, quam extranei; Ideò ſtatuimus, quòd talis committens ſeu committere attentans, vel committentibus, & committere attentantibus aliquo pacto fauens, etiã in deprehenſione, & captura huiuſmodi contrabanni puniatur in duplũ pœnarum à ſtatutis indictarum, ſingula ſingulis congruè referendo.

¶ De Nundinis infra annum in Ciuitate ſeruandis. Cap. 136.

AD augmentum boni publici iſtius Ciuitatis, Statuimus, & ordinamus, quòd omni anno proprijs temporibus, fiant, & obſeruentur quater in anno Nundinæ; videlicet in Dominica Caſolariæ, in feſto Sancti Ioannis Baptiſtæ, de menſe Iunij, & Sancti Michaelis, de menſe Septembris, & in conſecrationibus menſe Nouembris, quæ Nundinæ durare debeant per decem dies continuos, & ſint reales; ita quòd quilibet mercator poſſit, & valeat realiter venire cum rebus ſuis, & redire, vendere, & emere pro ſui beneplacito; nec aliquis mercator in dictis Nundinis, vel aliqua alia perſona, cuiuſcunq; fuerit conditionis, poſſit, nec debeat detineri, ſequeſtrari, vel cõueniri ex aliqua cauſa ciuili, vel ex aliquo debito publico, vel priuato, niſi & eo ſaluo, quòd pro rebus mercantiæ, ſeu pro debito mercantiæ facto, vel contrafacto in dictis Nundinis, tunc, & eo caſu quilibet debitor poſſit ſequeſtrari in bonis, & perſona, & hoc, ne fraus fiat, vel damnum mercatoribus ementibus, vel vendentibus: quæ Nundinæ cuſtodiri debeant per homines Epiſcopatus Tridenti, ad hoc debitos, & conſuetos. Volumus etiam, quòd in quocunque die Sabbati quælibet perſona poſſit vendere in Ciuitate Tridenti eius bona cuiuſ-

cuiuſcunq; conditionis exiſtant, tam in groſſo, quàm ad minutum, nullo obſtante impedimento. Abolentes, & tollentes ex nunc mercatum anni noui, Purificationis Beatæ Mariæ Virginis, & Palmarum, & quòd in dictis mercatis fiant proclamationes, quando incipi debeant, ac finiri.

¶ De fauore præſtando mercatoribus mercantibus in Ciuitate. Cap. 137.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, ad hoc, vt mercator ad Ciuitatem Tridenti tutè, & ſecurus venire, ſtare, & redire poſſit, Quod ſi quis intulerit vim, vel iniuriam rebus, vel perſonis alicuius mercatoris, præter, & extra formam iuris, & ſtatutorum Ciuitatis, puniatur duplici pœna, qua aliter ordinatiè veniret puniendus, ſecundum qualitatem delicti, Fiſco applicanda.

¶ Quod Decimani ter vocentur per Dominos, vel Laboratores ad recipiendum Decimas. Cap. 138.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi Domini, ſeu Laboratores terrarum, vel alij pro eis tempore collectionis frugum ipſorum ter alta voce in ipſis terris vocauerint Decimales contratæ, ſeu loci, vbi ſunt dictæ terræ, pro decima accipienda, & ipſis non venientibus dimiſerint ipſam Decimam in ipſis terris, ipſo facto non poſſint ad ipſam Decimam ſoluendam conueniri, & hoc iurante Domino, vel Laboratore ter vocaſſe, vt ſuprà, & ipſam Decimam ibidem reliquiſſe.

¶ Quod Domini præferantur in bonis mezadriæ vxoribus, & creditoribus mezadrorum. Cap. 139.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quod omnes fructus, & bona mezadriæ, ſeu colonorum partiariorum, & beſtiæ, & cæteræ res quæcunque, quas habebunt, & tenebunt in domo Domini, ſeu occaſione dictæ mezadriæ, ſiuè coloniæ, & ſimiliter omnes, & ſinguli fructus, & redditus nati, & percepti ſuper terris, quas aliqui laboratores, & conductores laborant ab aliquibus Ciuibus, vel alijs perſonis, quæcunq;, & vbicunq; conductæ ſint ſuper dictis terris, ſint, & eſſe intelligantur obligatæ, obligati, & obligata taliter locatori, & Domino, quòd vxori, & cæteris creditoribus ipſorum, quantumcunq; precedant tempore, vel iure, vel priuilegijs, & tam in tacitis, quam in expreſſis hypothecis, Dominus locator præferatur in ipſis bonis vxori, & cæteris creditoribus, & ſibi ea retinere, & recipere authoritate propriâ poſſit, quousq; fuerit ſibi plenariè ſatisfactũ de debito

contrafacto occasione mezadriæ, vel laborerij, & sacramento Domini, vel locatoris credatur de dictis debitis factis inter Dominum, & mezadrum, & locatorem, & laboratorem occasione prædicta, vel laboratura terrarum, vsquè ad quantitatem librarum quinq; bonæ monetæ, absquè alio aliquo Instrumento, vel probatione, si Dominus ille, & locator prædictus fuerit bonæ conditionis, vitæ, & famæ: Et si aliquis mezadrus bona aliqua, vel res, vel bestias portauerit, & duxerit de domo Domini, quam habitat, vel duci, vel portari fecerit, vel permiserit dicta bona, res, & bestias aliò, nihilominus obligati sint, & intelligantur Domino, seu Dominis mezadriæ, & terrarum, tanquam si non essent aliò portatæ, vel conductæ, & Dominus, si voluerit, possit ea, & eas authoritate tamen Iudicis præcedente facere reportari, & reduci in domum prędictam, & quicunque dictas res in domo sua habuerit, teneatur ad requisitionem Domini eas ipsi restituere, & manifestare, sub pęna cuiuslibet contrafacientis pro qualibet vice librarum decem bonę monetę Camerę Episcopali pro parte dimidia applicandarum, pro reliqua dimidia domino prædicto, &c.

¶ De damnis domorum denunciandis Domino per habitantes. Cap. 140.

HAbitantes in domibus, & prædijs alienis, tam rusticis, quàm vrbanis, denunciare teneantur Dominis pro quibus habitant, infra tres dies, videlicet in prædijs vrbanis, in rusticis verò infra octo dies, si quid noui, aut damni fieret ab alio in ipsis domibus, vel prædijs, absquè licentia Domini ipsius domus, vel prædij: Alioquin teneantur ipsis dominis ad interesse suum, si quod incurrissent, propter omissam denunciationem, vel propterea quòd ignorassent ipsam nouitatem, vel damnum datum.

¶ Quod obligationes factæ occasione ludi, vel bischizatiæ non valeant. Cap. 141.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nullæ obligationes, alienationes aliquarum rerum mobilium, siue immobilium in pignorationes, contractus, & distractus facti, & factæ, tempore, vel occasione ludi, vel bischizariæ valeant, nec teneant, sed ipso iure sint inanes, & nullius efficaciæ, & sine effectu, & de ipsis nullus Ius dicens Ius faciat: & prædicta non vendicent sibi locum in ludo scaccorum, & tabularum vsquè ad quantitatem librarum decem.

¶ De

¶ De Notarijs deputandis ad ſcribendum acta in Palatio. Cap. 142.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd Dominus Rector Collegij, & Conſiliarij teneantur, & debeant eligere in principio anni ſex Notarios idoneos ad ſcribendum acta in Palatio ad Officium Domini Poteſtatis, quæ acta ſcribi debeant ad banchum, & in libris compaginatis, & ordinatis, prout pleniùs infra ſub rubrica, De Notarijs, cautum erit: Et quorum Notariorum officium duret per annum, & hoc ſub pœna librarum decem bonæ monetæ, cuius pœnæ medietas applicetur Fiſco, alia Collegio, & nemo alius, præter deputatos, admittatur ad ſcribendum acta, ſub eadem pœna, tam admiſſo, & ſe ingerenti, quam ipſi admittenti imponenda.

¶ De mercedibus, & ſolutionibus faciendis viatoribus, & familiæ Curiæ Tridenti. Cap. 143.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd vbicunq; facienda eſt aliqua executio pignoris, vel alia, præterquam in factis noſtris, & in Epiſcopatu Tridenti, prima vice fiat per vnum ex Officialibus tantùm Curiæ Tridenti. Sed ſi aliqua inobedientia, vel violentia fiet eidem Officiali in uetando pignore, vel alia executione, tunc de hoc data querela Domino Poteſtati, uel Iudici, familia accipiatur, & pignoratio, vel alia executio facienda fiat per uim, ſaluo iure fiſci ratione pignoris prohibiti, uel alterius executionis, & quòd Officiali, & familiæ ſoluatur per Maſſarium Cameræ, ſi ad eum portata fuerint pignora, ſi uerò uetitum fuerit pignus, poſſit Officialis obtinere mercedem à creditore, ſaluo iure ipſi creditori uerſus debitorem ad recuperationem, ſi per uim, uel aliter procedere uoluerit contra ipſum debitorem.

¶ Item quòd ſi aliqua executio, pignoratio, uel ſequeſtrum accipiantur, ſiue fiant per aliquem ex uiatoribus Curiæ Tridenti, de præmiſſis, Notario Collegij Ciuitatis Tridenti, eo die, uel ſequenti relationem facere teneatur, ſub pœna charentanorum duorum applicandorum Cameræ Fiſci.

¶ Item quòd ſi per familiam per uim, uel ſine, accepta fuerint pignora, ſub pœna unius libræ bonæ monetæ, pro quolibet pignore accepto pro uno credito, etiam ſi plures eſſent res, dummodò ſit una ſumma crediti Maſſario Cameræ præſentare teneatur, ſub pœna prædicta applicanda Communitati Ciuitatis Tridenti, & præſentatio pignoris incontinenti, & ſine

& sine intervallo fiat ad Cameram, & si ille, qui fuit pignoratus, infra tres dies pignus exegerit, Massario Cameræ pro salario nihil soluere teneatur.

¶ Item quòd nullus de Officialibus Curiæ Tridẽti, excepto Officiali deputato, vel deputando per Consules Ciuitatis Tridenti, possit vendere, vel subhastare aliqua pignora generis cuiuscunq; sub pœna vnius libræ bonæ monetæ pro quolibet pignore, applicanda, vt suprà, & suspensionis ab officio per vnum mensem infligendæ per Consules Ciuitatis.

¶ Item quòd nullus Officialis Tridenti per se, vel per interpositam personam, quouis quæsito colore, possit emere, vel emi facere pro se, vel alia persona aliqua pignora publicè vendenda, sub pœna librarum trium bonæ monetæ, applicanda pro medietate Cameræ Fisci, pro alia verò dimidia Communitati.

¶ Item quòd si Officialis, vel familia non acceperit bonum, & sufficiens pignus, vel aliam executionem non fecerit, propter quam missio fuerit facta, non habeat solutionem nisi semel, & nihilominus iterum teneatur absq; alio salario, & sub pœna librarum quinq;, & suspensionis ab officio per duos menses, toties, quoties aufferenda, ire, & accipere, & portare pignus sufficiens, si diligenti facta excussione possibile erit inuenire pignora pro solutione crediti, & pignus præsentetur, vt suprà, Massario Cameræ, & hoc si pignus portari, & præsentari poterit: Alioquin expensis mittentium, faciat portari, & præsentari, recuperandis tamen de bonis debitoris.

¶ Item quòd Officiali Curiæ Tridenti detur, & soluatur secundum antiquissimam consuetudinem in Tridento obseruatam, pro citando aliquem existentem in Ciuitate Tridenti, si citatio fiet sine scriptis, duo quatrini: si verò fieret in scriptis, habeat Officialis pro quolibet charentanum vnum, & idem seruetur in executione tenutæ in Ciuitate Tridenti: pro qualibet pignoratione per familiam, & quolibet sequestro habeat: Officialis in ciuitate charentanos duos, & idem seruetur in suburbijs.

¶ In villis verò seruetur, vt infrà, & primo Castro Veteri, videlicet in Paho, Cognola, Montanea, Noualina, Matarello, Gardulis inferioribus, habeat Officialis pro citanda vna persona data opera, seu ad postam charentanos quattuor.

¶ Si

¶ Si verò fuerint plures personæ, pro citandis eis non possit habere nisi charentanos quatuor, sicut si iuuflet pro vna sola, & vnum charentanum pro qualibet persona citanda in eadem Villa, vltra dictos charentanos quattuor. Et idem intelligatur pro executione tenutæ pro re mobili. Pro pignoratione verò per familiam, sequestro, vel alia executione habeat in prædictis locis, si ad postam iuerit, & solùm pignus vnum fecerit, vel sequestrauerit, charentanos quinq; pro quolibet: Si verò plura pignora, vel sequestra fecerit vltra vnum, habeat vltra primum pignus, vel sequestrum, vel executionem, charentañ. duos pro quolibet pignore, sequestro, vel executione.

¶ Item quòd omnes denarij primi pignoris, & aliorum pignorum diuidantur communiter inter pignoratos, ita quòd vnus non soluat plus quã alij, & hoc similiter per omnes alias Villas infrà descriptas, quòd similis fiat computatio solutionis.

¶ Item à Castro veteri, videlicet in Ciuezano, & Meano, familia, vel quilibet Officialis Curiæ pro pignoratione per familiam, sequestro, vel alia executione in prædictis locis, si iuerit ad postam, & vnum solum pignus fecerit, vel solum sequestrum, vel vnam aliam executionem tantùm, habeat charentanos sex: pro pluribus verò pignoribus vltra vnum, vel pro pluribus sequestris, vel alijs executionibus, habeat pro quolibet alio vltra primum, vel primam, prout suprà.

¶ Item quod omnes denarij primi pignoris diuidantur, vt suprà.

¶ Item in Fornace habeat familia, vel quilibet Officialis charentanos octo pro vno solo pignore, vel vno sequestro, vel vna executione facto, vel facta ad postam, soluatur, vt suprà, pro pluribus verò fiat, vt suprà, diuidendo pecunias primi pignoris, vt suprà.

¶ Item in Pinedo, & Albiano habeat familia, vel quilibet Officialis, pro vno solo pignore, sequestro, vel executione, charentanos decem: pro pluribus verò fiat solutio, & diuisio, vt suprà.

¶ Item in Vigulo, Vatario, Busentino, & Mugazôno habeat Officialis pro sola citatione facta ad postam, charentanos sex: pro pluribus verò vltrà vnam habeat charentanum vnum, pro qualibet citatione, pro pignore verò, vel sequestro, vel alia executione, habeat Officialis, vel familia charentanos octo: pro pluribus autem habeat vltra primum, uel primam charentanos duos, & diuisio fiat, vt suprà.

¶ Item

¶ Item in Plebe Supramontis, & in Trilaco, habeat Officialis pro citatione charentanos quatuor, pro pluribus uerò in eadem Villa, ultra unam, quæ debet diuidi cum alijs pluribus, habeat Officialis charentanum unum pro qualibet citatione ultra unam: pro pignore uerò, sequestro, uel alia executione, habeat Officialis charentanos quinque: pro pluribus uerò ultra unam diuidendam cum alijs, ut suprà, habeat charentanos duos.

¶ Item in Plebe Calauini citra pontariam, habeat Officialis pro una sola citatione charentanos quinque: pro pluribus in eadem Villa, habeat charentanum unum pro quolibet citato: pro uno pignore, sequestro, uel alia executione, habeat Officialis, uel familia charentanos octo: pro pluribus autem, fiat, ut suprà dictum est in alijs.

¶ Item in Plebe Calauini ultra pōtariam, & in Plebe Cauedeni, habeat Officialis pro una sola citatione charentanos sex: pro pluribus citationibus ultra unam diuidendam cum alijs, habeat Officialis charentanum unum, pro quolibet citato: pro pignore verò uno, sequestro, uel alia executione, habeat Officialis, uel familia charentanos decem: pro pluribus autem fiat, ut suprà dictum est.

¶ Item in Pisauacha, Rauina, Romagnano, & Sardagna, Officialis, pro una sola citatione habeat charentanos quatuor: pro pluribus charentanum unum, diuidendum ut suprà, pro quolibet citato: pro una uerò pignoratione, sequestro, uel alia executione, Officialis, uel familia habeat charentanos quinq; : pro pluribus fiat, ut suprà in alijs dictum est.

¶ Item in Villa Medij Sancti Petri, familia pro uno solo pignore, sequestro, uel alia executione, habeat charentanos duodecim: pro pluribus ultra unum diuidendum tamen cum alijs, familia habeat etiam charentanos duos, pro quolibet pignore fiendo: & si uiator Tridenti, uadit de Tridento ad ipsam Villam Medij pro citando, fiat ei solutio, ut describitur de Valle Cauedeni, & omnes citati pignorati, uel sequestrati, ad instantiam unius personæ, uel plurium teneantur contribuere pro uia, ideſt pro prima citatione, uel executione, pro quibus, ut præmittitur, plus soluitur, ut æqualitas inter omnes seruetur, & hoc quando tenetur soluere de iure, uel consuetudine.

¶ Item pro captiuitate, seu detentione, fiat solutio, ut infrà: Si aliquis detinetur in Palatio, habeat familia charentanos quatuor, quotcunq; fuerint, pro quolibet detento, in platea autem Communis Tridenti, uel in portici-

porticibus circumstantibus plateæ immediatè, familia habeat charentanos octo, quotcunque fuerint: & si extra Palatium, uel extra plateam in Ciuitate Tridenti, uel Suburbijs, uidelicet in Burgo Sancti Martini, & Sanctæ Crucis, Pedecastello, & molendinis Sancti Francisci, pro quolibet detento, habeat Caualerius charentanos octo, & quilibet alius de familia charentanos quatuor, ex quacunq; causa capiatur.

¶ Item statuimus, & ordinamus, quod si in Villis capitur, seu detinetur aliquis, & cõducatur in fortias Tridenti, quòd quilibet de familia, & quilibet alius, qui iuerit ad adiuuandum capere, habeat duplum illius, quod haberet, si iuisset pignoratum aliquem ad dictas Villas iuxta salaria statuta de pignoribus &c. Caualerius verò eandem mercedem habeat, quã habet vnus de familia, & tertiam partem eius de pluri, quòd vnus de familia habet, & nihil vltrà recipere possit: & si non conducitur capiendus, soluatur pro familiaribus tantum pro itinere, quantum solueretur, & daretur pro pignore, si verisimiliter fecerit suum posse in volendo capere: Et si potuissent ipsum capere, & non caperent, tunc nihil habeant. Et in omnibus, & singulis casibus supradictarum taxarum, si Officialis receperit vltra quantitates eidem taxatas, quoties id fecerit, quadruplum restituere teneatur, & nihilominus ipso iure suspensus sit ab Officio per mensem, & prouideat Prætor, qui pro tempore erit, ne in capiendis delinquẽtibus vadant Officiales superflui, vel non necessarij, sed fiant capturæ à tot, quot qualitas casuum exigere videbitur.

¶ Item si familia Domini Capitanei Castri Boni Consilij aliquem delinquentem caperet, dum esset in custodia de nocte in Ciuitate, & etiam familia Domini Prætoris, & facerent aliqui ex eis aliquam inuentionem armorum, vel aliam inuentionem, quòd soluatur pœna applicanda Domino nostro secundum formam statutorum, & fiat solutio inuentoribus, vt suprà, in præcedenti proximo statuto.

¶ Item statuimus, & ordinamus, quòd Dominus Prætor, vel Iudex, quãdo contingit eum ire ad inspicienda loca differentiæ, & in rem præsentem in causa turbatæ possessionis, vel simili, non possit, neque debeat secum conducere nisi tres Officiales, & si plures Officiales iuerint, nihil habeant illi plures, vltra tres: & fiat solutio nisi pro tribus.

¶ Item statuimus, & ordinamus, quòd Prætor pro relationibus faciendis in causa ciuili, vel criminali non possit aliquod salarium recipere, nec sportulas aliquas habere, vel exigere in causis, quæ per ipsum, vti ordinarium, sunt decidendæ, etiam si per rescriptum a partibus, vel earum altera impetratum eius Iurisdictio alterata dici possit.

¶ De

¶ De Statutis Tridenti seruandis per diœcesim Trident. Cap. 144.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd omnia statuta Ciuitatis Tridenti, seruentur, & seruari debeant, tam in criminalibus, quàm in ciuilibus in omnibus Iurisdictionibus nostris, suppositis nobis, & per totam diœcesim Tridentinam, & in foro Ecclesiastico, in causis, & casibus merè prophanis, cum membra secundum caput debeant gubernari.

¶ De compromissis extra Ciuitatem non fiendis. Cap. 145.

ITem statuimus, & ordinamus, quod nullum compromissum, seu arbitrium fiat aliquo iure, vel ingenio, siue causa per aliquos de Iurisdictione Tridenti extra Ciuitatem Tridenti, & quod in compromissis prædictis eligi non debeat per partes, vel per Iudicem de medio aliquis Officialis, vel familiaris Dominorum, nec in Iudicem Ordinarium compromitti possit, & quatenus compromittatur, nihil nomine sportularum accipi possit, sicut non acciperetur, si velut Ordinarius iudicaret, nec sententia vigore dicti compromissi, vel laudum feratur extra Palatium, vbi ius redditur ex compromisso, vel arbitrio aliquo: & si contrafactum fuerit, ipso iure non valeat, nec quicquid sequitur ex eo, vel ob id, & quòd non possit huic præsenti statuto renunciari aliqua iuris causa, vel ingenio, & si renunciatum fuerit per partes, etiam iuratum, præsumatur illud iuramẽtum metu, & dolosè factum, & promissum, & quicquid exindè sequitur, sit nullum, nec possit aliquid fieri in fraudem ipsius statuti, & hoc statutum tamen non habeat locum in causis à libris quinquaginta denariorũ monetæ Maranensium infrà, quod statutum antiquitus per Dominos Episcopos Tridenti est obseruatum.

¶ Statuta Collegij Notariorum Tridenti, &c. Cap. 146.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd vnusquisq; Aduocatus, & Procurator, & Tabellio societatis, & Collegij Notariorum Tridenti, circa reuerentiam Sanctissimi Martyris, Patroni nostri Beati Vigilij, in die Festiuitatis suę, & in die Annunciationis, & Assumptionis Virginis Gloriosæ, & alijs Festiuitatibus solemnibus, quæ indictæ fuerint per Pedellum Collegij de mandato Prioris, seu Rectoris ipsius Collegij, & eius Consiliariorum, se præsentare, & conuenire debeant ad requisitionem dicti Pedelli in loco deputato, & vnà cum dicto Rectore visitare prædictam Ecclesiam Patroni nostri prædicti, secundum quod per dictum Dominũ Rectorem ordinatum, & iniunctum fuerit, sub pœna charentanorum quatuor pro quolibet, & qualibet vice, qua fuerit contrafactum.

¶ Item

¶ Item quòd quilibet de Collegio prædicto, quotiescunque societatem Aduocatorum, Procuratorum, & Tabellionum ad Ecclesiam cum eorum Rectore ire contigerit, honestè bini sequendo suum Rectorem incedere debeant, sub pœna charentanorum duorum à quolibet contrafaciente aufferenda pro qualibet vice, qua fuerit contrafactum.

¶ Item quòd nullus de Collegio, cum conuenerint alicubi, ratione Collegij, de societate recedere præsumat, nisi fuerit de licentia, & consensu Domini Rectoris, vel eius Consiliariorum, sub pœna charentanorum duorum prædicta pro quolibet, & qualibet vice.

¶ Item quòd quilibet de Collegio prædicto in sponsalibus, seu coniugio cuiuslibet de Collegio, sibi prius facta notificatione per Pedellum, vel alium de Collegio personaliter, vel ad domum suæ solitæ habitationis, conuenire, & interesse debeat, sequendo Rectorem suum, vel eius Consiliarios, sub pœna charentanorum octo pro quolibet, & qualibet vice, nisi fuerit iustè impeditus.

¶ Item simili modo in funeralibus, & exequijs cuiuslibet de Collegio interesse debeat, sibi prius facta notificatione, & vsq; ad exequiarum finem debitum permanere, sub pœna simili proximè dicta. Et prædicta intelligantur de ascendentibus, & descendentibus, ac etiam collateralibus, & vxoribus Collegiati.

¶ Item quòd nullus de Collegio ad Palatiũ incedere debeat in habitu, & in statu inhonesto, sub pœna charen. quatuor pro quolibet, & qualibet vicè.

¶ Item quòd nullus de Collegio ad ludum, seu ad ludendum ire, & vbi luditur pecuniam mutuare debet, nec debeat, vel præsumat, sub pœna librarum duarum bonæ monetæ, pro quolibet, & qualibet vice.

¶ Itẽ quòd nullus de Collegio prædicto ad aliquẽ ludũ taxillorũ audeat ludere denarios, excepto quã ad ludũ tabularũ, & excepto quã in Festiuitatibus Natalicijs, sub pœna charen. octo pro quolibet, & qualibet vice.

¶ Item quòd quilibet Tabellio de Collegio prædicto ad officium suum necessaria ad imbreuiandũ, seu notandũ, videlicet quaternellum, penarolum cum atramento, & calamo ad minus continuè secum portet, & portare debeat, sub pœna charen. octo pro quolibet, & qualibet vice, & quilibet de Collegio conscius de prædictis, pœna simili Rectori, seu eius Consiliarijs manifestare teneatur.

¶ Item si quis in taberna ex necessarijs ad officium suum obligaueri,

soluat charen. octo, & per quatuor menses ab officio suo suspendatur.

¶ Item si quis Tabellio extra domum suæ solitæ habitationis ex necessarijs prædictis ad officium suum deputatis, negligentia vel obliuione dimiserit, soluat charentanos quatuor pro quolibet, & qualibet vice.

¶ Item quòd nullus de Collegio prædicto contra Rectorem suum, vel eius consiliarios, vel alterum eorum, de ipsis, vel altero eorum verba injuriosa proferat irato animo, vel proferri faciat, sub pœna charentanorum sexdecim pro quolibet, & qualibet vice,

¶ Item quòd nullus de Collegio prædicto contra aliquē de dicto Collegio verba iniuriosa dicat, seu dici faciat, sub pœna charen. octo, pro quolibet, & qualibet vice exigenda ad arbitriū Rectoris, & eius Consiliariorū,

¶ Item quòd quilibet Rector dicti Collegij, qui nunc est, vel pro tempore erit, habere debeat quatuor Cōsiliarios, vnum Massarium, vnum Notarium, & duos Pedellos, qui sint de Collegio prædicto, eligendos per omnes de dicto Collegio, vel eorum maiorem partem.

¶ Item quòd ipsi Consiliarij quandocunq; ad requisitionem Rectoris, qui nunc est, vel pro tempore erit, se debeant præsentare, vbi fuerit præceptum eisdem, sub pœna charentanorum quatuor pro quolibet, & qualibet vice, nisi iusta causa quis eorum fuerit impeditus.

¶ Item simili modo, & similiter Massarij, & Notarij prædicti, & similiter omnes alij de dicto Collegio, cum fuerint moniti, vel requisiti, sub pœna charentanorum quatuor pro quolibet, & qualibet vice, se debeant præsentare, nisi fuerint legitima causa impediti.

¶ Item quotiescunq; vel plures Tabelliones de dicto Collegio fuerint vocati, vel rogati ad aliqua acta publica in Iudicio conscribenda, ipsi vocati communiter, & concorditer in ipso loco, vel saltem in eo, quo fuerint rogati, scribere, & notare teneantur: Ita quòd vtriusq; scriptura nullam in aliquo pariat contrarietatem, vel ostendat, sub pœna charentanorum octo pro quolibet, & qualibet vice.

¶ Item quòd nullus Aduocatus, Procurator, seu Tabellio possit scribere, aduocare, seu procurare in Ciuitate Tridenti, nisi fuerit descriptus in Collegio prędicto, sub pœna librarū decem pro quolibet, & qualibet vice.

¶ Item quòd nullus admittatur in matricula, & Collegio prædicto, nisi fuerit examinatus, & approbatus pro sufficienti, per examinatores dicti

Col-

Collegij deputatos.

¶ Item quòd cuilibet de dicto Collegio per ipsum Collegium communiter in casu necessitatis, videlicet infirmitatis, infortunij, ignis, aquæ, vel alterius casus inopinati superuenientis debeat, prout expediet, prouideri, & subueniri iuxta consilium, & terminationem Rectoris, & consiliariorum.

¶ Item quòd omnes de dicto Collegio expensas omnes, quas ipse Rector de consensu suorum Consiliariorum, & maioris partis dicti Collegij occasione dictæ societatis, seu Collegij, seu in ipso Collegio legitimè duxerit fiendas, reficere, & soluere teneantur.

¶ Item quòd totum Collegium siue omnes, & singuli de Collegio, ipsum Rectorem, & Consiliarios ab omni dãno, quod legitimè incurreret occasione societatis dictæ, seu Collegij indemnes conseruare teneantur.

¶ Item quòd vnusquisq; de Collegio officium sibi commissum, seu præceptum per ipsum Dominũ Rectorem, & eius Consiliarios, vel maiorem partem eorum, prout, & secundum quod fuerit legitimè sibi commissum, & iniunctum adimplere, & executioni mandare teneatur, sub pœna charentanorum octo pro quolibet, & qualibet vice, & nihilominus officium prædictum exercere teneatur.

¶ Item quòd Massarius dictæ Societatis, seu Collegij infra quindecim dies ab expiratione sui officij, Consiliarijs, & Deputatis ad hoc, de receptis, & datis rationem reddere teneatur, cum integra resiuorum consignatione, sub pœna ad arbitrium dicti Collegij imponenda.

¶ Item quòd quilibet Rector duret, & durare debeat in officio sui rectoratus per annum vnum, & non vltrà, & omnes alij Officiales dicti Collegij in officio suo permanere debeant per quatuor menses, & non vltra, & illud denuntiare teneantur octo diebus ante finem sui officij Rectori, & Consiliarijs, sub pœna charentanorum octo, pro quolibet, & qualibet vice, & hoc nisi fuerint in officio suo confirmati de nouo.

¶ Item quòd omnes pœnæ suprascriptæ, & infrascriptæ, & quicquid ratione dicti Collegij prouenit ad manus Massarij dicti Collegij, peruenire debeant, & in vtilitatem communem ipsius Collegij conuerti.

¶ Item quòd nullus Tabellio audeat scribere acta Iudicialia in aliqua propria causa Patris, & Matris, Fratris, Patrui, Soceri, vel Domini, vel

in qua prædicti procuratuerint, in quibuſcunque arduis cauſis, & quod quælibet cauſa intelligatur ardua à vigintiquinque libris ſuprà. Alioquin talis proceſſus taliter ſcriptus ipſo iure ſit nullus, & ſub pœna charentanorum ſexdecim pro quolibet, & qualibet vice, niſi de partium proceſſerit voluntate: & hoc locum habeat non in pendentibus, ſed in futuris cauſis.

¶ Item quòd quilibet Tabellio, cui per Pedellum de mandato Rectoris, vel eius Conſiliariorum iniunctum fuerit, ordine tamen ſeruato in præcipiendo, inſpecta qualitate cadaueris, & Tabellionis portaturi cadauer alicuius de Collegio, vel de eius coniunctis, de quibus ſuprà fit mentio in capitulo, de exequijs, & funeralibus &c. portare teneatur, ſub pœna charentanorum octo, pro quolibet, & qualibet vice.

¶ Item quòd quæcunq; lis, quæſtio, ſeu controuerſia ciuilis, ſeu pecuniaria, quæ verteretur, & eſſet inter aliquos de dicto Collegio, vaq; ad quantitatem decem librarum denariorum, Tridenti incluſiuè per Rectorem, vna cum Conſiliarijs debeat cognoſci, finiti, & terminari.

¶ Item quòd nullus de Collegio audeat blaſphemare Deum, nec eius Matrem ſub pœna charentanorum quadraginta pro quolibet, & qualibet vice, & quilibet ſit accuſator, & qui de Collegio audierit, & prædicta non denuntiauerit, ſeu manifeſtauerit, ſoluat eandem pœnam.

¶ Item quod nullus de Collegio audeat ire, vel conuerſari in tabernis, ſub pœna charentanorum octo, pro quolibet, & qualibet vice, & cuilibet accuſanti credatur, dummodo ſit perſona fide digna.

¶ Item pro augmento, & bona diſpoſitione dicti Collegij, quilibet de Collegio conueniat, & ſe præſentet, cum fuerit requiſitus per Pedellum, vel monitus ad locum deputatum, ſub pœna charentanorum quatuor, pro quolibet, & qualibet vice, niſi fuerit legitima cauſa impeditus, & nullus inde abſq; licentia Rectoris, vel Conſiliariorum recedat, ſub pœna prædicta.

¶ Item quòd quilibet honeſtæ vitæ, bonæ famæ, & conditionis cupiens eſſe in dicto Collegio, ſeu matricula in manibus Rectoris dicti Collegij, & eius Conſiliariorum ſolemniter promittat, & iuret obſeruare, & manutenere omnia, & ſingula ſtatuta, & ordinamenta dicti Collegij, facta, & fienda, & ipſis, vel alicui eorum non contrafacere, vel cõtrauenire, ſub pœnis in eis contentis: Et pro veſtigali, vel prouentu ſoluat libras decem denariorum Tridentinorum, à quibus abſolui non poſſit.

¶ Item

¶ Item quòd nullus, qui non sit descriptus in Collegio, seu matricula Collegij prædicti, possit, vel audeat scribere Instrumenta, vel vltimas voluntates, vel acta aliqua Iudicialia, vel officium Notariæ, aut Procuratoris, vel Aduocati exercere aliqualiter in Ciuitate Tridenti, & alijs locis pertinentibus ad Curiam Tridenti, sub pœna librarum decem denariorum Tridenti pro quolibet, & qualibet vice, & nihilominus Instrumenta, & vltimę voluntates, & acta scripta, & notata per eos, vel aliquem eorum careant iuris effectu.

¶ De Notarijs. Cap. 147.

ITem disponimus, & ordinamus, quòd acta Iudicialia scribantur per Notarios coram Iudice, & non domi, tamen extensio ipsorum actorum poterit domi fieri per dictos Notarios, sub pœna, de qua suprà Fisco applicanda.

¶ Item volumus, quòd Notarij, qui perdiderint, aut finxerint se perdidisse acta Iudicialia testamenta, Instrumenta, seu alia quæcunq; acta publica sibi data, aut de quibus fuerint rogati, incurrant pœnam quatuor florenorum Rhenensium, exigendorum, & applicandorum, vt suprà. Et teneantur parti ad totale eius interesse, & damnum de facto emendandum, & refarciendum, nisi causa aliqua, vt puta incendio, ruina, vel alio casu fortuito amisissent; quos casus inde probare teneatur Notarius, seu Procurator, & Potestas arbitretur interesse partis, si pars illud deducet, aut alios duos idoneos, & expertos ad arbitrandum deputet, omni appellatione remota.

¶ Item statuimus, quòd Notarij teneãt sua Prothocolla non in scedulis, sed in libris ligatis ad hoc deputatis, ne ita de facili perdantur, prout etiã in statutis nostris iam dispositum est, quibus pena contrafacienti addatur Rhenensium decem exigendorum, & applicandorum, vt suprà.

¶ Item declaramus, & volumus, q; Notarij teneantur prothocolla, matrices, & originalia Instrumentorum, & aliorum quorumcunq; actorum publicorum penes se seruare, nec illa partibus dare, vel alijs præter quam Iudici: Cui originalia actorum exhibeantur; Instrumentorum verò non nisi dubitaretur de extenso: Et hoc sub pœna decem Rhenensium pro qualibet vice, qua quis contrauenerit, quam ipso iure incurrat Notarius, siue Procurator, si contrafecerit, exigendorum, & applicandorum, vt suprà: debeat tamen ipse Notarius, siue Procurator dare extensa, aut copias cum requisitis suis, & cum subscriptionibus.

¶ Taxatio mercedum Notariorum. Cap. 148.

PRimo pro mercede vnius Instrumenti emptionis simplicis, & de re simplici, cum clausulis consuetis, à vigintiquinq; libris, vsq; ad quinquaginta, habeat Notarius libras duas. A vigintiquinq; libris infra idem seruetur.

¶ A libris quinquaginta, vsq; ad centum, libras duas, charen. sex.

¶ A libris centum, vsq; ad ducentas, libras tres.

¶ A libris ducentis, & quinquaginta, vsq; ad quingentas, libras quinq;.

¶ A libris verò quingentis supra, adiungantur charentani duodecim vltra suprascriptas libras quinq; : pro quolibet centenario Rhenensium, videlicet libram vnam vsq; ad summam trium millium librarum.

¶ Abindè verò supra, quantumcunque fuerit pretium de vna re, merces non excedat summam librarum quadraginta bonæ monetæ.

¶ Si verò fuerit de pluribus rebus, soluantur pro quaq; re vltrà suprascriptum salarium, charentani quatuor.

¶ Si verò super his interuenerit authoritas Prætoris, vel affinium consensus, seu cognatorum, soluantur pro ipsa authoritate, vel consensu tantùm libra vna.

¶ Et si in Instrumento emptionis, & venditionis interuenerit pactum de retrouendendo, idem sit, quod proximè suprà fuit dispositum.

¶ Si verò pars voluerit habere dictum pactum, de per se, si emptio fuerit vigintiquinq; Rhenen. soluantur pro dicto Instrumento libræ duæ.

¶ Abindè supra, quantum est ratione pacti, vsquè ad centum Rhenenses soluantur libræ duæ, grossi sex.

¶ Vbi verò emptio excedit dictam summam Rhenensium centum, & de pacto fuerit conficiendum Instrumentũ per se, tunc pro summa cuiuslibet centenarij Rhenensium habeat Notarius vltra taxam proximam charentanos sex: & vlteriùs, quanta etiam fuerit summa, non possit merces sua excedere Rhenenses quatuor,

¶ Pro Instrumentis cessionum, permutationum, dationum insolutum, & diuisionum idem, quod suprà de emptione seruetur.

¶ De Instrumentis locationum perpetualium, simplicium, duplicatis sine refutatione, libras quatuor.

¶ Et cum refutatione vltra dictas libras quatuor, habeat Notarius libram vnam.

¶ Et si in dicta locatione fuerint plures res quàm tres, soluantur pro qualibet re, vltra dictas libras quinq; charentani duo, siue fuerint cum refutatione, siue sine.

¶ De Instrumento verò locationum temporalium, simplicium, vsq; ad tres res, soluantur Notario libræ duæ, charentani sex.

¶ De Instrumento socedę, quanta etiam fuerit magna, seu magnę summæ,

mæ, cum quibuſcunque clauſulis conſuetis, & non conſuetis, habeat tantum Notarius libras duas.

¶ Pro Inſtrumento dotium ſponſi, & ſponſæ, vſq; ad ſummam librarum centum, & quinquaginta, & cum donatione propter nuptias, habeat Notarius libras duas, charentanos ſex.

¶ Si verò dos exceſſerit dictam ſummam, ſoluantur pro quolibet centenario librarum, vltra ſupraſcriptam ſummam pro ſorte, charentani ſex.

¶ Et pro contradote, alij charentani ſex, vt ſuprà.

¶ Et hęc omnia intelligantur ſecundum ſummam Inſtrumentorum emptionis, & venditionis, de quibus ſuprà proximè, & ſecundum illorum taxam reſpectu centenarij, & milliariorum Rheneſ. vt in ſuis locis ſuprà proximè notatis, & deſcriptis &c. Addendo tamen, ſupraſcripta ſibi vendicare locum in Ciuitate Tridenti, vbi autem ire contigerit extra Ciuitatem, tunc aut conueniatur de via, aut arbitrio Iudicis, hoc eſt Poteſtatis iuſtæ taxationi ſtetur.

¶ Pro Inſtrumentis verò pacis, & finis, idem ſeruetur quod in taxa Inſtrumentorum emptionum, & venditionum, de quibus ſuprà ad ſaturitatem, excepto quod ſi pax, & finis fiet ſimul, & ſemel cum Inſtrumento dotis, tunc Notarius tantummodo habere debeat dimidium eius, quod ſecundum taxam emptionum, & venditionum habere deberet.

¶ Et pro Inſtrumentis donationum inter viuos ſimpliciter factarum ſuccedentibus ab inteſtato, vſq; ad ſummam Rheneſ. 50. libras tres.

¶ A Rhenenſibus quinquaginta vſq; ad centum, libras quinq;.

¶ Abindè verò ſupra, pro quolibet centenario Rheſ. libram vnam.

¶ Si verò fiant extraneis, hoc eſt non ſuccedentibus ab inteſtato, duplicentur dicta ſalaria.

¶ De Inſtrumento mutui ſimplicis vſq; ad libras centum, ſoluantur libra vna, charentani ſex.

¶ Si verò tale Inſtrumentum fuerit cum pactis, libræ duæ.

¶ Abindè ſupra pro centenario Rhenenſium ſoluantur charentani ſex.

¶ De Inſtrumentis depoſitis, delegationis, indemnitatis, & ſolutionis debiti, idem, vt ſuprà proximè.

¶ Pro Inſtrumento procuræ ſimplicis, libra vna, charentani ſex: ſi cum alijs clauſulis non ita generalibus libræ duæ, charentani ſex.

¶ Pro compromiſſi Inſtrumento vſq; ad Rhenenſium centum incluſiuè libræ tres.

¶ Abindè verò ſupra, pro quolibet centenario Rheneſ. groſſi ſex.

¶ Pro tranſactione ſimplici vſquè ad ſummam centum Rhenenſium incluſiuè libræ quinque.

¶ Abindè ſupra pro quolibet centenario Rheneſ. groſſi ſex.

¶ De Inſtrumento tutelæ vſq; ad ſummam Rheneſ. centum incluſiuè libra vna, charentani ſex.

Abindè

Abindè verò supra pro quolibet centenario Rhenen. charentani sex.
Et pro quolibet inuentario, vsquè ad libras centum, libræ duæ, charentanisex.
Abinde supra, pro quolibet centenario grossi sex; Ita tamen, quòd prædicta taxa non excedat summam quadraginta librarum, quanta etiam fuerit summa.
Pro Instrumento tutelæ rationis reddendæ, & administratione, vsque ad Rhenenses quinquaginta inclusiuè, libræ tres.
A Rhenensibus quinquaginta, vsq; ad centum, libræ quatuor.
Abinde supra pro quolibet centenario Rhenensium. charentani sex. Ita tamen, quòd non excedat, vt suprà.
Pro Instrumento emancipationis, arrogationis, adoptionis, & reductionis, ad patriam Potestatem, libræ tres.
¶ Et pro imbreuiatura simplici, extra librum Notarij notata, suprascriptorum Instrumentorum habeat Notarius charen. quatuor.
¶ Et his casibus, quoniam extat statutum, illud obseruetur, & possint contrahentes per Notarios cogi ad dicta Instrumenta extensa exigenda, exceptis Instrumentis de creditis contra debitores, de locationibus temporalibus, de mandatis Procuratorijs, & de compromissis, nisi compromissa extenderentur cum sententijs. Et hoc tam in Instrumentis quàm in breuiaturis contractuum tam præcedentium quam sequentium, & super hoc seruentur statuta de hoc disponentia.
¶ De testamento, & qualibet alia vltima volùtate pro mercede Notarij seruetur taxa respectu numeri, vel omnium centenariorum, milliariorum, tàm Rhenen. quàm librarum, vt de Instrumentis emptionis, & venditionis supra fuit conclusum, & decisum.
¶ Duplicetur tamen merces, & salarium ipsius Notarij, quod solueretur pro hærede legitimo, si hæres institutus fuerit extraneus, vel non Ciuis, sed forensis, & Ciuis non intelligatur extraneus hæres.
Eodem modo salarium Notarij duplicetur, si testator fuerit infirmus morbo pestifero, aut contagioso.
¶ Pro vno quoq; legato librarum centum, & abindè infra cuiuscunque summæ libram vnam, charentanos sex.
¶ Abinde verò supra, pro quolibet centenario, tam librarum quam Rhenensium seruetur taxa Instrumentorum emptionum, & vẽditionum, de quibus supra.
¶ Et pro legato facto in piam causam non excedente quantitatem librarum. 50. soluatur dimidia eius, quod pro alijs legatis soluitur.
¶ Pro legato ex causa dotis, vel augmenti dotis, etiam excedendo dictas libras quinquaginta, soluatur dimidia, de qua suprà in pximo versiculo.
¶ Pro legato ex causa, ad quam testator tenebatur, etiam dicta dimidia soluatur.

¶ Pro

¶ Pro substitutione vniuersali in testamento, quotcunq; fuerint substituti, charentani sex.

¶ Si verò conuentum fuerit aliter inter ipsas partes, quo ad has solutiones, & mercedes, tunc ipsi conuentioni stetur, & hæredes teneantur soluere pro legatarijs, & postea præfatos legatarios ad soluendum astringere, aut id totum sibi retinere, quod pro dictis legatarijs soluerint, & exbursauerint: Non possit tamen hæres cogi ad exbursandum, & soluendum pro legatario vltra portionem hæreditatis sibi obuentam.

¶ De pronunciatione sententiæ diffinitiuæ, condemnatione, vel absolutione, eadem taxatio per omnia seruetur, quæ suprà exprimitur de Instrumentis emptionum, & venditionum.

¶ In laudis, & arbitramentis arbitrorum, seu arbitramentorum idem, reseruata semper temporis amissione, quam ipsi arbitri taxent, & taxare debeant.

¶ Si vero sententia sit mera interlocutoria non magni negotij, & scripta manu Notarij actorum, soluatur libra vna.

¶ Si verò manu Potestatis fuerit scripta, libra vna, charentani octo.

¶ Et si fuerit magni negotij, habeat Notarius, si sua manu scripta sit, libras duas: Si verò Potestatis, libram vnam, charentanos quatuor.

¶ Idem seruetur, si fuerit quæstio facti, quæ æstimationem recipiat, videlicet pro rata examinationum, & quantitate prædictarum habeat Notarius salarium suum.

¶ Si verò fuerit super re, uel facto, quæ, uel quod æstimationem non recipiat, relinquatur arbitrio eius, coram quo quæstio agitabitur, taxationem faciendo moderatam, attentis salarijs, & mercedibus suprà limitatis, &c.

¶ De interlocutoria contra contumacem lata, habeat Notarius, usq; ad summam centum librarum incluſiuè, charentanos sex.

¶ A centum verò libris, usq; ad ducentas, libram unam.

¶ Et abinde suprà, habeat Notarius pro quolibet centenario charentanos sex.

¶ De copijs scripturarum. Cap. 149.

PRo qualibet copia scripturarum medij folij, & faciat Notarius, pro qualibet linea litteras triginta sex, & in qualibet facie medij folij lineas triginta sex, uel triginta septem, & habeat, tunc pro quolibet folio, ita integro, charentanos tres.

¶ Pro originali in actis, & causis actitatis coram Potestate, pro unoquoque medio folio, charentanos quatuor.

¶ In causis verò coram Vicario nostro in Spiritualibus, Delegato Arbitro, & Arbitratore, pro quolibet medio folio originalis, habeat Notarius charentanos sex.

¶ De

¶ De præceptis. Cap. 150.

ET de præceptis habeat Notarius pro quolibet præcepto sine pœna, & pro vna persona tantùm facto, seu vni personæ tantum, si mittitur ad pignorandum per familiam, & ad publicandum processum, & ad concludendum in causa chareñ. vnum.

¶ Et si tale præceptum fieret pluribus personis, & pro pluribus, tunc pro quolibet capite, seu persona habeat Notarius charentanum vnum, saluo nisi esset Vniuersitas, cui præceptum fieret, aut cuius nomine fieret præceptum ipsum, quoniam tunc Notarius habeat tantum chareñ. quatuor.

¶ Eodem modo, vbi essent plures fratres simul habitantes, aut plures pupilli, aut minores simul stantes, & habitantes, aut viuentes ad vnum panem, & vnum vinum, habeantur omnes hi pro vna persona tantum, & Notarius contentus sit de duobus charentanis, & plures intelligantur, quando sunt tres, quatuor, quinq; & sic de singulis.

¶ De sequestro, aut captura, & pignoratione fienda per vim, pro quolibet mandato cum pœna, habeat Notarius charentanos duos.

¶ De proclamationibus cum via, hoc est, si fiant in tribus locis Ciuitatis nostræ, secundum morem, & antiquam consuetudinem, videlicet pro qualibet vice, qua fient, libram vnam.

¶ Pro petitione facta penes acta de vna re tantùm, siue posita, charentanos duos.

¶ Abinde verò supra pro qualibet re, seu posita habeat Notarius charentanum vnum, & nihil habeat vlterius Notarius, videlicet pro responsione, & replicatione, nisi vt infrà sequitur: & prædicta intelligantur in maiori summa, secundum formam statutorum nostrorum.

¶ Pro productionibus libellorum, responsionum, replicationum, triplicationum, quadruplicationum, exceptionum, positionum, Instrumentorum, & capitulorum, interrogatoriorum, oppositionum, & generaliter quorumcunq; quæ in Iudicio producuntur, habeat Notarius charentanos duos pro notando quamlibet dictarum productionum, etiam si essent tres res, vel quatuor.

¶ Abinde verò supra, pro quaq; re recipiat Notarius chareñ. vnum.

¶ Pro vno quoq; termino ad probandum, siue pro publicatione processus, & conclusione in causa, idem quod suprà, videlicet chareñ. duos.

¶ De examine testium. Cap. 151.

DE examinatione Testium super quibuscunq; capitulis, & interrogatorijs, pro vna facie tantum medietatis medij folij, quæ facies constituit quartam partem vnius folij, habeat Notarius charentanos tres.

¶ Et

¶ Et pro vna charta integra, videlicet pro medio folio chareñ. quinque. Verùm si testes examinentur super interrogatorijs, pars, quę ipsa interrogatoria producit, contribuat ad ratam, & medietas solij, & chartæ sit secundum taxam rigarum, & litterarum supra positam, & vbi minus fuerit, tantum eidem soluatur, hoc est, si quarta pars solij non esset plena, soluatur tantum pro vno quarto chartæ, & idem in charta integra siue non integra, dum tamen sit excessa pars quarta chartæ, etiam si per lineam fuisset excessa.

¶ Pro examinante, videlicet Potestate, vel alio, ad quem spectaret onus examinationis, idem soluatur, vt suprà.

¶ Si verò testis fuerit examinatus coram Vicario nostro in Spiritualibus, vel Delegato, seu Subdelegato, vel Arbitro, seu Arbitratore ad ratam, vt supra dictum fuit, habeat Notarius de pluri charentanum vnum.

¶ Pro continuis processuum, Instrumentorum, iurium, & aliorum deductorum in Iudicio soluantur Notario pro rata charentani tres, & pro copijs idem, vt supra de copijs.

¶ De possessionibus dandis. Cap. 152.

PRo imponendo unum ad possessionem corporalem, uel dationem in solutum, habeat Notarius pro eius scriptura, uidelicet pro una re tantum libram unam, charentanos sex.

¶ Abinde uerò supra pro qualibet re charentanos sex: salua semper in his omnibus, & super his mercede, & ratione itineris, de quibus inter partes conueniatur, uel per Iudicem taxetur, & prædicta omnia locum habeant inter Ciues, & districtuales, & habitantes in Iurisdictione Ciuitatis, & alios, qui sunt in temporalibus sub Episcopatu nostro Trideñ.

¶ Item prædicta locum habeant, & sibi uendicent in futuris, & in præteritis, quo ad Instrumenta nondum facta, & extensa, non autem quoad iam facta, & extensa.

¶ Sen-

¶ Sententia ſuper Cuſtodijs portarum.

BERNARDVS DEI GRATIA EPISCOPVS TRIDEN.

COgnoſcentes,ac cognoſcere,& diffinire volentes cauſam, litem, & quæſtionem vertentẽ inter Honorabiles Fideles noſtros Dilectos N. Conſules Ciuitatis noſtræ Tridẽ. ſeu Odoricum de Calapinis, & Auguſtinũ aurificẽ eiuſdem Ciuitatis noſtræ Procuratores ex vna, Balthaſſarem &. N. fratres de Rochabruna, Gallum mõtoſoner, Magiſtrũ Veralricum Creuczer ſutorem, tanquã factorẽ Mertenſtorffer de Trameno, Mariam Balduinam,& Margaretham Morzãtem ex altera conuentos, de, & ſuper cuſtodijs, & guardijs portarũ Ciuitatis Tridẽ, ad quas cuſtodias per præfatos omnes, & eorum ſingulos, ſimul cum cæteris Ciuibus faciẽdis Procuratores prædicti inſtabant, eos,& eas ſententialiter condẽnari, & ex aduerſo prætẽdebatur hoc fieri non debere, ſtãte exemptione,& immunitate, quã allegabant. Vndè volentes huic cauſæ, & liti, quę ſub quondam Prędeceſſore noſtro ſelicis recordationis ortum habuit, & coram ſe ſæpius ventillata fuit, finem imponere, Conſiderata inſtãtia,& requiſitione, vt ſupra facta pro parte prętatę Ciuitatis Tridentinæ,& eius Procuratorũ, & allegata in contrariũ exẽptione, & immunitate,attento ꝙ intentio Ciuitatis tã per ſtatuta Ciuitatis, quã ẽt ipſa ratione,& honeſtate fundata remanet,& procedit, & ꝙ de allegatis exceptionibus,nec de legitima conſuetudine ſufficienter fides facta fuit, quòdque plurimũ cõuenit, vt omnes, qui intra eoſdem muros Ciuitatis claudũtur, ſimiliter,& pariter onera,maximè cuſtodiarum, ſubeant, niſi aliqui ſpecialiter à Iure,vel à cõſuetudine priuilegiati reperiantur,quorũ neutrum ad cauſã allegatæ ĩmmunitatis facit: Viſis ẽt litteris Cæſareæ Maieſtatis in hac materia emanatis, declarãtibus litteras familiaritatis alicui cõceſſas debere intelligi citra derogationẽ iurũ Dominorũ, & particularium perſonarũ, & poſtremò viſa citatione ꝓ hac die, & hora ad hãc ſententiã proferri audiendã emanata,& executa: His igitur,& alijs animũ noſtrum mouentibus pleniùs conſideratis,ac habita in prętenti cauſa conſultatione cum peritis in Iure,ſententiando,& pronunciãdo condẽnamus,ſupranominatos,& nominatas,ad faciendum de cætero cuſtodias, & guardias portarũ Ciuitatis noſtrę Tridentinę,ſimul cũ cęteris noſtris Ciuibus,quibuſcunq; in contrariũ adductis non obſtantibus. In quorũ fidem,& teſtimonium præſentes fieri, noſtriq; ſigilli appenſione iuſſimus communiri. Datum Tridenti, in Caſtro noſtro Boni Conſilij. Die vigeſima quarta Iulij. Anno Domini,milleſimo quingenteſimo decimo octauo.

¶ Explicit Liber primus Statutorum, De Ciuilibus.

BERNARDVS
DEI GRATIA
EPISCOPVS TRIDEN-
TINVS ETC.

TRIDENTI.

Per Ioan. Baptistam Gelminum nouiter impressum. Anno M DC. XIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

INCIPIVNT RVBRICAE
SECVNDI LIBRI STATVTORVM SYNDICORVM CIVITATIS TRIDENTI.

A

Aliquis non vadat ad lacus ad emendum pisces. cap. 41.
Aliquis non faciat herbam in alienis possessionibus. cap. 61.
Ad brachium mensuræ Tridenti vendantur panni, & telæ. cap. 98.
A sententia infra decem libras non appelletur. cap. 89.
Aromatarij non possint habere societatem cum Medicis in arte speciariæ, vel medicinarum. cap. 123.
A sententijs Iudicum appelletur ad Consules Ciuitatis. cap 90.
Ad officium Dominorum Consulum. cap. 126.
Ad quæ teneantur pistores, & alij vendentes panem, & de calmerio panis. cap. 131.

B

Blado ad Ciuitatem ad vendendum conducto ad plateam discargando. cap. 42.
Blado non emendo vltra quatuor staria in die. cap. 43.
Bubulcis per Ciuitatem antè plaustrum ire debentibus. cap. 66.
Bubulcis, & alijs operarijs, qui promiserint seruire, & qui fuerint conducti. cap. 68.
Bestijs comedibilibus, & victualibus non exportandis extra districtum Tridenti. cap. 91.
Bladum ab equis vendatur à retentionibus ea mensura qua emunt. cap. 100.

C

Carnibus per lanios, siue becharios occultè in domibus vel alibi non tenendis. cap. 12.
Carnibus morticinis non vendendis sub macello. cap. 20.
Conducentibus caseum, oua, saluaticinas ad vendendum portanda ad plateam. cap. 49.
Carezatoribus alienarum possessionum. cap. 85.
Conducentibus victualia ad Ciuitatem. cap. 112.
Candelis ex sepo. cap. 121.

E

Ementibus saluaticinas, vel victualia in via, dum ducuntur ad Ciuitatem ad vendendum. cap. 69.
Eligendis æstimatoribus carnium. cap. 95.

F

Forensibus non debentibus cum aliquibus bestijs pasculare super Communibus Tridenti. cap. 7.
Forensibus tenentibus occidere, & vendere ad macellum quintam par-

tem beſtiarum, quas extra diſtrictum conducere velint. cap. 8.
Fimo, & alijs ſordibus exportandis. cap. 67.
Fornaſerij de laborerio fornacis cocto teneantur prouiſores requirere. cap. 79.
Ferro non exportando extra Ciuitatem. & diſtrictum. cap. 92.
Forenſibus non recipiendis ad officia niſi emerint poſſeſſiones. ca. 96.
Fæno, & charetijs non ſegandis ſuper communibus niſi ad terminum. cap. 113.
Foſſatis communibus mundandis, & cauandis, & ſepibus reficiendis, ſi alter ipſorum voluerit. cap. 118.

G

Gallinis, anſeribus, & pullis repertis dare damnum. cap. 125.

H

Hominibus non debentibus tenere beſtias ſuper Communibus Trideſi, ad paſcualandum vltra vnam diem. cap. 6.
His qui vendiderint vinum ad minutum, & falſam menſuram tenentibus. cap. 32.
His qui herbas comeſtibiles furtiuè acceperint, vel rapas. cap. 56.
His qui cæſas, vel ſepes alienas mciderint. cap. 57.
His qui fregerint portas hortorum clauſurarum. cap. 58.
His qui inuenti fuerint in alienis hortis, vel clauſuris. cap. 59.
His qui abſtulerint legumina, vel blada de alienis hortis. cap. 60.
His qui fecerint panigales alienas, vel meiaras. cap. 62.
His qui herbam vel fœnum de alienis pratis acceperint. cap. 64.
His qui accuſauerint aliquem falsè de aliquibus poſtis in hoc libro deſcriptis. cap. 65.
His qui foderint ſtratas, vel vias publicas puniendis. cap. 72.
His qui aliquas vias communes, vel vicinales, vel rſtuos ſcienter occupauerint. cap. 93.
His qui aliquas falſas menſuras tenuerint, & eis vſi fuerint emendo, vel vendendo. cap. 94.
His qui non iuerint ad cuſtodiam. cap. 103.
Habentibus officia non excuſandis à cuſtodia, ſeu ſcorta. cap. 104.

I

Iunctis non dandis carnibus ad penſam. cap. 23.
Iudicibus appellationum Ciuitatis Tridenti. cap. 98.
In vijs, & ſtratis non ſint, neq; diſcurrant ſeclarij, aquaroli, plazoli, latrinæ, & ſeu neceſſaria latrinæ, & dugariæ niſi fuerint coopertæ. cap. 116.
In vijs, & ſtratis nemo audeat per teneſtras, aut oſtia proijcere aquas, vel immundicies aliquas. cap. 117.

L

Liceat ſyndicis ſiue eorum ponderatoribus inquirere in omnibus locis becha-

bechariorum, & videre an contrauenerint statutis. cap. 30.
Lignamine percutiente in ponte Athesis, ne ipse pons cum maximis expensis factus destruatur. cap. 102.
Lignis ab igne. cap. 4.

M

Macellatoribus non debentibus aliquas bestias viuas conducere, nec vendere, nisi mortuas ad macellum. cap. 10.
Macellatoribus non debentibus accipere pinguedinem de carnibus. cap. 13.
Macellatoribus non debentibus incidere carnes inferius post Aue Maria de sero, & ante Aue Maria de mane. cap. 14.
Mezenis non emendis per aliquem vltra vsum suum, & familiæ suæ. cap. 16.
Macellatoribus carnes inferius incidere non debentibus, nisi fuerint æstimatæ per supraftantes. cap 18.
Macellatoribus carnes pro carnibus vendentibus. cap. 19.
Macellatoribus scrofas brustolare debentibus, & in macello non vendendas. cap. 21.
Macellatoribus non debentibus testiculos alicui becho, vel montono, nec vbera capris, & pecudibus abscindere. cap. 22.
Macellatoribus dare debentibus cuilibet emere volenti ad mẽdiam libram. cap. 23.
Macellatoribus rectam pensam dare debentibus. cap. 24.
Macellatoribus vendere debentibus carnes infrascriptas pro precijs infrascriptis, pro præsenti tempore impositis. cap. 25.
Macellatoribus qui tenuerint ad macellum suum falsum plumbinum siue stateram. cap 26.
Macellatoribus debentibus præstare securitatem. cap. 28.
Macellatores postquam inceperint vendere carnes vnius bestiæ, residuum dictarum carnium tenere debeant super zoccum macelli, siue rastello macelli. cap. 31.
Molendinarijs emere, nec ad vrnas accedere non debentibus. cap 44.
Molendinarijs equitare non debentibus super farinam. cap 45.
Molendinarijs vltra molturam conductam accipere non debentibus. cap. 46.
Molendinarijs tenentibus macinare cuicunq; requirenti. cap.47.
Mensuris rectè tenendis. cap. 51.
Mensura scandularum. cap. 74.
Mensura tegularum. cap.77.
Mensura laterum. cap. 78.
Minoribus, & senibus non admittendis ad custodias. cap. 105.
Medicis forensibus. cap.122.

Men-

Mensura palorum de larice, latarum, seu stellonorum. cap. 129.

N

Nullus esse debeat intermediator. cap. 36.
Non exportandis piscibus de Ciuitate Tridenti. cap. 39.
Numero circulorum. cap. 75.
Numero torquium. cap. 76.
Ne in publico loco liceat ædificare. cap. 120.

O

Onerationibus, & exonerationibus nauium, ratum, & zatarum. ca. 109.
Ordinamento familiarium, & operariorum. cap. 115.
Omnes infrascripti saltuarij Ciuitatis, & infrascriptarum villarum teneantur denunciare querelas de damnis datis Notario, & ad officium Syndicorum Ciuitatis Tridenti. cap. 124.

P

Porcis pinguibus conductis non extrahendis, nec emendis in grosso. cap. 15.
Piscibus portandis in forum piscarium. cap. 35.
Piscibus recentibus portatis ad vendendum non salandis, & candis corum tronchandis. cap. 37.
Piscibus recentibus extra cistas extrahendis. cap. 38.
Piscibus conductis in Ciuitatem ad plateam ad pischariam dischargandis. cap. 40.
Palis non exportandis de vineis super humeris. cap. 53.
Probationibus contra macellatores, tabernarios, molendinarios, & alias personas. cap. 71.
Patolarijs non debentibus vendere ferrum cum ramo. cap. 80.
Precijs piscium limitatis, cap. 81.
Precijs siue salarijs laboratorum, siue operarum. cap. 82.
Payfatoribus non debentibus in bladis aucupari. cap. 100.
Portantibus bladum extra diœcesim Tridenti. cap. 111.
Palis seu latis, charocijs extra possessiones non portandis. cap. 128.
Pesatore, & Officiali ad pondus farinæ. cap. 132.

Q

Quadrupedibus damnum dantibus in vineis, & arboribus, & possessionibus. cap. 2.
Quilibet maior domus debeat in festis solemnibus audire missam in Ecclesia Cathedrali. cap. 50.
Quinto pinguedinis in Ciuitate dimittendo. cap. 87.
Quilibet possidens bona in Ciuitate, & in eius districtu, teneatur factiones sustinere. cap. 97.
Quanto spatio arbores, & vineæ plantari debeant à termino confinium, & de cesis. cap. 119.

Qua-

Qualiter menſurari debeant panni cuiuslibet ſortis in vendendo. c.127
R
Reuenditores non emant bladum in locis infraſcriptis inducendo chareſtiam. S cap. 99.
Syndici cognoſcere debeant de quęſtionibus ad oculũ inſpiciendis. ca.1.
Scandulis,& douis extra diſtrictum non conducendis, cap.3.
Societate non fienda per macellatores vltra tres pro qualibet bancha ſiue macello, cap. 11.
Stazonerijs,& artificibus non debentibus tenere ſtationes apertas. c.48.
Sarmentis,ſtraminibus,paleis in periculo prope ignẽ non tenendis.c.52.
Saltuarijs qui furtiuè vuas acceperint. cap. 55.
Saltuarijs qui commiſerint fraudem in ſua ſaltaria. cap. 63.
Salarijs Syndicorum. cap. 72.
Solicitudine cuſtodiæ Ciuitatis. cap. 83.
Solicitudine aptationis viarum,& pontium. cap.84.
Starijs,brentis,& alijs menſuris aptandis,& bulandis. cap.86.
Somis,& ponderibus diſcargandis in Ciuitate, cap. 106.
Scrouis non ſpadatis tenendis in ſtallis. cap. 114.
Syndicis ſiue ſuperſtañ. negligentibus eſtimare carnes. cap. 27.
Saltuarijs debentibus bis in hebdomada comparere coram Syndicis ad videndum ſi aliquæ querelæ fuerint contra eos datæ. cap. 130.
Statuta facta per ſapientes contra molendinarios ad euitandum eorum malitias, quæ quotidie committuntur in graue damnum, & præiudicium totius populi Trideñ. & reuiſa per deputatos vt infra. cap.133.
Sepone,& coriamine,quod fit in Tridento non exportando. cap.5.
T
Terrigenis debentibus occidere, & vendere ad macellum medietatem beſtiarum ã carnibus, quas extra diſtrictum conducere vellent. ca. 9.
Tabernarijs,& alijs perſonis vendentibus vinum ad minutum, & falſam menſuram tenentibus, cap. 33.
Tabernarijs,qui tenuerint nappos,coppas,ciatos, minores menſura communis. cap.34.
Tempore Officialium Ciuitatis permanere debentibus in ſuo officio. cap. 108.
V
Venditoribus carnium ſalitarum lardi, caſei, & aliarum rerum commeſtibilium tenentibus dare iuſtam penſam. cap. 17.
Vuis furtiuè acceptis ex alieno vineali,ſiue loco vitibus inſito. ca.54.
Vacarijs,& Cauallarijs conſtituendis. cap.73.
Venditione ſalis fienda vt infra, cap.101.
Venditione pannorum. cap.107.

Explicit tabula Syndicorum.

INCIPIT LIBER SECVNDVS STATVTORVM TRIDENTINORVM,

spectantium ad Officium Syndicorum.

¶ PROPOSITIO

HÆC sunt statuta, & ordinamenta secundum antiquissimam consuetudinem ad Officium Syndicorum Tridenti spectantia, ad laudem, & gloriam Domini Nostri Iesu Christi, eiusq; Virginis Gloriosæ, & totius cælestis Curiæ triumphantis, Reuerendissimi in Christo Patris, & Principis Serenissimi, & Domini, D. nostri Domini Alexandri Dei gratia Episcopi Triden. digniſſimi, Ducisque Maczouiæ, per ipsum suo tempore, deinde per Reuerendissimum Dominum D. Bernardum Clesium Dei gratia Episcopum Tridentinum successiuè aucta, declarata, & confirmata ad bonum, quietum, & pacificum statum suum, & eius Ciuitatis Tridentinæ, & ad reprimendum animum malorum preponentium vtilitatem suam bono publico, & inobedientium.

¶ Quod Syndici cognoscere debeant de quæstionibus ad oculum inspiciendis. Cap. 1.

PRimo statuimus, & ordinamus, quòd Syndici Ciuitatis Tridenti, cognoscant, & cognoscere debeant de omnibus quæstionibus, rixis, & differentijs viarum, terminorum, rozalium, canalium, stillicidiorum, ædificiorum, murorum, latrinarum, columnarum, & earundem similium quæstionum, quæ inspiciuntur ad oculum: & prædicta omnia cognoscantur per eos summariè, de plano, sine strepitu, & figura iudicij, & absq; libelli oblatione, & fine debito terminentur cum Consilio bonorum hominum iuratorum, & quòd victus soluere victori expẽsas condemnetur, non obstãte, quòd litis contestatio non sit facta, & iuris solen-

nitas non fuerit obſeruata, & quòd talis condemnatio, tam ſuper principali, quam ſuper expenſis modis, omnibus executioni mandetur, ſtatuto termino tamen ad ſuam defenſionem facien. parti petenti; niſi Syndici contra iuſtitiam grauaſſent partem, quæ tunc poſſit appellare ad Iudices Appellationum Ciuitatis Tridenti, qui debeant cognoſcere, & diffinire ſecundum leges, & ſecundum formam ſtatuti poſiti ſub rubrica, De cognoſcendis cauſis appellationum. Et ſi ipſi Iudices Appellationum grauarent partes, quòd à ſententia ipſorum appelletur ad Conſules, & Prouiſores Ciuitatis Tridenti, qui cum conſilio Iuriſperitorum dictam cauſam diffinire, & ſententiare debeant, qui Iuriſperiti eligi debeant de voluntate partium, & ſi partes non concordarent, tunc Conſules in eligendo Iuriſperitos, quibus cauſa committatur, ſeruent formam ſtatuti, De commiſſionibus cauſarum fiendis, & De modo, & forma interponendi Appellationem, & de ſalarijs Iudicum: Cauſas autem mercedum, & laborum, vsq; ad ſummam librarum quindecim bonæ monetæ de Marano audire, & diffinire debeant ſummariè, & oretenùs ſine aliqua ſcriptura Procuratorum, vel Notarij, ſola veritate facti inſpecta, ſententiam ipſam ſolummodo redigendo in ſcriptis, & in actis Notarij Syndicorum, à qua appellari non poſſit, nec de nullitate dici, ſed tãtum ſupplicare liceat, vel recurrere ad Conſules, à quibuſmetipſis cauſa determinetur, nec ſit locus delegationi: ad hoc etiam officium Syndicorum pro Notarijs aſſumi debeant perſonæ ſufficientes, practicæ, & in officio Notariatus exercitatæ.

¶ De quadrupedibus damnum dantibus in vineis, & arboribus, & poſſeſſionibus. Cap. 2.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ipſi Syndici procurent, quod ſi qua beſtia magna, vel parua comederit, vel deuaſtauerit alienas vineas, vel arbores fructiferas, vel ſalices, vel ſtroparios, ſoluantur charentani octo per dominum beſtiæ, aut per cuſtodem, ſi Dominus conueniri non poteſt per Syndicos Communis Tridenti, pro quolibet pede vineæ, arboris, ſalicis, aut ſtroparij comeſto, uel vaſtato in die: in nocte verò duplum, & damnum reſtituat paſſo in æſtimatione bonorum virorum in duplum, & credatur vni ſoli teſti bonæ famæ, & opinionis, uel etiam credatur damnum paſſo cum ſacramento, ſi ſit bonæ famæ, vel ſaltuario, ſi dixerit ſe vidiſſe beſtias in poſſeſſione, in qua datum eſt damnum. Si verò reperta fuerit in bladis, vel vineis, uel horto, ſoluat charentanos octo pro qualibet beſtia magna, & charentanos quatuor pro qualibet beſtia parua, ſiue minuta in die: in nocte verò duplum, & reficiat damnum paſſo, & credatur, vt ſuprà: Si verò comederit, & damnum dederit in pratis alienis, ſoluat charentanos quatuor pro qualibet beſtia magna, & charentanos duos pro qualibet beſtia

minuta

minuta in die, in nocte verò duplum, in quibus pratis tantummodo liceat pasculari à primo Octobr. vsq; ad duodecimum diem inclusiuè mensis Aprilis, exceptis tamen broilis, & alijs locis facientibus tertium fœnum, in quibus nec hoc tempore liceat pasculari. Quarum pœnarum medietas applicetur Communitati, alia verò medietas accusatori, & Syndici teneantur facere rationem Communitati, sub pœna dupli, & credatur, vt suprà: & si Dominus bestiæ non possit per Syndicos de iure conueniri, tunc custos bestiarum puniri possit, vt suprà, & damnum patiens possit impunè quadrupedem accipere, & retinere, quousq; de pœna, & dano ei fuerit integrè satisfactum, & saltuarius, vel dominus rerum impunè porcum, vel capram, vel asinum in damno repertos, interficere in quacunq; possessione possit, & nihilominus satisfacere teneatur dominus animalis damnum passo, & pœnam Communitati, non obstante aliqua consuetudine pasculandi ante hac obseruata vsq; ad Festum Sancti Georgij, cui consuetudini per hoc statutum expresse derogatum esse intelligatur, & similiter de cætero inhibitum esse volumus, aliqua consuetudine non obstante, ne quis cum bestijs grossis, vt sunt boues, asini, vaccæ, equi, capræ, vinealia, vel possessiones alienas, & aliena ingrediatur à duodecimo die mensis Aprilis inclusiuè, vsq; ad Kalendas Octobris, sub pœnis prædictis, exceptis ouibus, quæ possint pasculari in vinealibus facta vindemia, & in possessionibus non seminatis, & quòd saltuarius lata denuncia teneatur auisare dominum, cui factum est damnum, sub pœna amissionis suæ partis condemnationis.

¶ De scandulis, & douis extra districtum non conducendis. Cap. 3.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd procurent, quod scandulę, circuli, douæ, pali, perticæ, asseres, castellatæ, ligna ab igne, lattæ, canterij, & trabes, qui, & quæ conducuntur de plebibus Pinedi, & Perzini, & qui, & quę fiunt super pertinentijs, & districtu Tridenti, & in pertinentijs Viguli Vatarij, Matarelli, Noualinæ, Romagnani, Pisauacæ, Rauinæ, Sardagnæ, Supramontis, Cadeni, Trilaci, Pedegazæ, Albiani, Meani, Gardulis, & de alijs locis suppositis Iurisdictioni, & baculo Ciuitatis Tridenti, per aliquem, cuiuscunq; conditionis existat, non debeant aliquo modo, vel ingenio conduci extra Districtum ipsius Ciuitatis Tridenti, pœna librarum decem denariorum Tridenti, & amissionis rei, pro quolibet, & qualibet vice, cum opus sit eis in Ciuitate Tridẽ. & q aliquis Syndicus, vel Officialis nõ possit, nec debeat, sub pœna vigintiquinq; librarũ denariorũ, à quolibet contrafaciente aufereda pro qualibet vice, qua contrafactum fuerit, & sub pœna valoris dictarum rerũ, dare alicui licentiam conducendi prædictas res, vel aliquã earũ, extra dictũ Districtũ, quarum pœnarum

medietas applicetur Cameræ Episcopali, & alia medietas Communitati, & inuentoribus, siue accusatoribus de prædictis. Et quod incontinenti, cum dicte res fuerint conductæ apud aliquod vadum Athesis, vel in Ciuitate, vel extra, sint, & esse debeant applicatæ, vt supra, & cadant ad pœnam prædictam. Et quilibet sit accusator, & credatur vni soli testi bonæ opinionis, & famæ. Et idem per omnia intelligatur in planconis, planis, & cuiuscunq; generis lignaminibus.

¶ De lignis ab igne. Cap. 4.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nulla ligna ab igne, quæ sint incisa à Tridento superiùs extra Iurisdictionem possint conduci de Tridento inferius, sub dicta pœna, & quòd nullus Officialis sub dicta pœna possit dare licentiam conducendi, & cum appulerint ad vadum Ciuitatis, debeant poni de rate incontinenti, antequam ratis transeat pontem Athesis à turri de Vanga, sub dicta pœna applicanda, vt in proximo statuto. Et quòd nullus Officialis, sub pœna contenta in præcedenti statuto, possit dare licentiam, nec gratiam facere de prædictis, & credatur, vt suprà.

¶ De seuo, & coriamine, quod sit in Trident. non exportando. Cap. 5.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd procurent, quòd nulla persona, cuiuscunq; conditionis, & qualitatis existat, audeat, nec præsumat seuum, songiam, coria, & coramen, quod sit, & quę fiunt in Ciuitate Tridenti, cuiuscunq; conditionis, & qualitatis existant, conducere, portare, seu conduci, & portari facere aliquo modo, vel ingenio extra ipsam Ciuitatem, pœna decem librarum denariorum Tridenti, & amissionis rei, pro quolibet, & qualibet vice, qua fuerit contrafactum, auffereńda, cum opus sit eis in ipsa Ciuitate, & quòd incontinenti, cùm prędictæ res sunt portatæ ad vadum Athesis, vel ad portam Ciuitatis, intelligantur esse portatę extra Ciuitatem, & cadat ad pœnam, & quòd aliquis Officialis non possit dare licentiam, vt præmissum est in proximo præcedenti statuto, quę pœnæ applicentur, vt in prędcedentibus describitur, & credatur, vt suprà. Et quicunq; vendiderit seuum, aut candelas forensibus non facientibus factiones cum Ciuitate, in eandem pœnam incurrat toties quoties contrafactum fuerit.

¶ De hominibus non debentibus tenere bestias, super Communibus Tridenti, ad pasculandum vltra vnam diem. Cap. 6.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd procurent, vt nullus tam terrigena quam forensis, audeat, vel præsumat tenere aliquas bestias

ſtijs cuiuſcunque conditionis exiſtant à carnibus, exceptis porcis, ſuper Commune Tridenti, & in eius pertinentijs, vltra vnam diem, & vnam noctem, ſaluo, quòd ſi ipſas beſtias vellent occidere, & vendere ad macellum in Tridento impunè poſſint tenere, & paſculare, & ſaluo quod Ciues impunè poſſint pro vſu ſuo eas tenere, & paſculare: & qui contrafecerit, ſoluat pro qualibet beſtia bouina charentanos quadraginta, pro qualibet parua charentanos octo, cuius pœnæ medietas applicetur Communitati, & alia medietas accuſatori, & credatur, vt ſuprà.

¶ De forenſibus non debentibus cum aliquibus beſtijs paſculare ſuper Communibus Tridenti. Cap. 7.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd procurent, quòd nullus forenſis cum aliquibus beſtijs, cuiuſcunque generis ſint, audeat, vel præſumat paſcere, ſeu paſculare ſuper Communibus Tridenti vltra vnam diem, & vnam noctem, vt ſuprà dictum eſt, ſub pœna charentanorum quadraginta pro qualibet beſtia bouina, & charetanorum octo pro qualibet parua, cuius pœnæ medietas applicetur, vt ſuprà: Saluo, & excepto, quòd illi de Diœceſi Tridenti, qui ſunt conſueti tempore Veris cum pecudibus ſuis paſculare ſuper Communibus ipſis, poſſint impunè cum ſuis beſtijs paſculare ſuper dictis communibus, à Purificatione Beatæ Mariæ Virginis Glorioſæ vsq; ad Feſtum Sancti Georgij; ad voluntatem tamen Conſulum, & Prouiſorum, & Ciuium Tridenti: Et non audeant ſuper diuiſis dicto tempore paſculare, ſub dicta pœna, & credatur, vt ſuprà, & pœna applicetur, vt ſuprà.

¶ De forenſibus tenentibus occidere, & vendere ad macellum quintam partem beſtiarum, quas extra diſtrictum conducere velint. Cap. 8.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quælibet perſona forenſis conducens aliquas beſtias à carnibus, vndecunq;, & cuiuſcunq; conditionis exiſtant, exceptis porcis non pinguibus, & volens tranſire extra diſtrictũ Tridenti, teneatur, & debeat quintam partem dictarum beſtiarum, quas vias conducere vellet occidere, & vendere ad macellum Communis Tridenti: Et qui contrafecerit, & non notificauerit Procuratoribus communis, vel deputatis ad quintum, vt veniant recepturi quintum, cadat ad pœnam: Et intelligantur eſſe aſportata extra diſtrictum incontinenti, cum ſunt conducta vltra Eccleſiam Sanctæ Crucis propè portam, & extra portã Aquilæ, & S. Martini, & extra portã pontis, vel poſita eſſent

super rate, naui, vel zata, & soluat pro qualibet bestia bouina charetanos quadraginta, & pro qualibet parua charentanos octo, cuius pœnę medietas applicetur communi Tridenti, & alia medietas accusatori, & credatur vni soli testi bonæ famæ, si dixerit per sacramentum se scire, quod aliquis conduxerit extra districtum Tridenti dictam quintam partem.

¶ De terrigenis debentibus occidere, & vendere ad macellum medietatem bestiarum à carnibus, quas extra districtum conducere vellent. Cap. 9.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quælibet persona terrigena, quæ vellet conducere aliquas bestias à carnibus cuiuscunq; generis existãt extra districtum Tridenti, teneatur, & debeat medietatem earum bestiarum, exceptis porcis non pinguibus occidere, & vendere ad macellum Tridenti, & qui contrafecerit, & non notificauerit, puniatur, vt supra. Et intelligantur esse asportata, vt supra in proximo præcedenti statuto continetur, & soluat pro qualibet bestia bouina charentanos quadraginta, & pro qualibet parua charentanos octo, cuius pœnę medietas applicetur, vt supra in præcedenti proximo describitur, & credatur, vt supra in proximo præcedenti statuto.

¶ De macellatoribus non debentibus aliquas bestias viuas conducere, nec vendere, nisi mortuas ad macellum. Cap. 10.

ITem statuimus, & ordinamus, vt Syndici procurent, quòd nullus macellator Tridenti audeat, vel præsumat vendere aliquas bestias à carnibus cuiuscunq; conditionis existãt, & habuerint eas vndecunq; velint, nisi mactatas, & iugulatas ad macellum Tridenti, nec eas per se, vel interpositam personam directo, vel per obliquum extra Ciuitatem, & districtum Tridenti conducere, aut conduci facere; & qui contrafecerit soluat pro qualibet bestia bouina charẽtanos quadraginta, & pro qualibet parua charentanos octo, applicandos, vt supra in proximè suprascriptis, & credatur, vt supra proximè.

¶ De societate non fienda per macellatores vltra tres pro qualibet banca, siue macello. Cap. 11.

ITem statuimus, & ordinamus, vt procurent ipsi Syndici, quòd macellatores Tridenti non audeant, nec præsumant facere aliquam societatem, siue conuentionem simul vltra tres pro qualibet banca macelli, & qui contrafecerit soluat pro qualibet vice, & pro quolibet contrafaciente

libras

libras trigintaquinque bonæ monetæ, cuius pœnæ medietas applicetur Communitati, & vt supra in alijs.

¶ De carnibus per lanios, siue becharios occultè in domibus, vel alibi non tenendis. Cap. 12.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nullus lanius, siue macellator audeat, vel præsumat carnes aliquas portare, vel tenere occultè in domibus aliquibus, vel in alio loco extra macellum, aut portari, vel teneri facere directo, vel per obliquum, nisi de nocte, sub pœna decem librarum denariorum Tridenti pro qualibet vice aufferenda à quolibet contrafacientes, cuius pœnæ medietas applicetur Communitati, & alia medietas accusatori, & credatur vni soli testi bonæ famæ cum iuramento, vt supra.

¶ De macellatoribus non debentibus accipere pinguedinem de carnibus. Cap. 13.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nullus macellator audeat, vel præsumat accipere pinguedinem de carnibus in aliqua parte sub pœna librarum decem denariorum Tridenti pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafactum fuerit applicanda, vt supra proximè, & credatur, vt supra proximè.

¶ De macellatoribus non debentibus incidere carnes inferius post Aue Maria de sero, & ante Aue Maria de mane. Cap. 14.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nullus macellator audeat, vel præsumat incidere inferius aliquas carnes ante sonum campanæ, quæ pulsatur pro Aue Maria de mane, & post tertiam campanam de sero sub pœna librarum decem denariorum Tridenti pro quolibet, & qualibet vice aufferenda, & applicanda, vt supra in alijs, & credatur, vt supra vni soli testi.

¶ De porcis pinguibus conductis non extrahendis, nec emendis in grosso. Cap. 15.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd porci pingues per quoscunque conducti ad Ciuitatem, non possint de Ciuitate prædicta extrahi vsq; ad tres dies, postquam fuerint conducti ad Ciuitatem, & nullus durantibus illis tribus diebus audeat, vel præsumat ipsos porcos in grosso emere causa eos conducendi extra districtum sub pœna perdendi porcos, & charenta-

rentanorum ſexdecim pro quolibet porco aufferenda, & applicanda, vt ſupra in alijs: & tranſactis illis tribus diebus, dimiſſo quinto, ſiue quinta parte, ſecundum antiquiſſimam conſuetudinem Ciuitatis, reſiduum poſſit conducere, quò voluerit, & credatur vni ſoli teſti, vt ſuprà: Et Officialis, qui dederit licentiam conducendi contra ſtatutum, cadat etiam in eandem pœnam applicandam, vt ſuprà: & in omnibus caſibus ſuprà ſcriptis quilibet poſſit accuſare, & credatur ei cum ſacramento, ſi fuerit bonæ famæ, & opinionis in determinatione dominorum Syndicorum, & teneatur in ſecreto, ſeu credentia, & habeat quartam partem pœnarum prædictarum.

¶ De mezenis non emendis per aliquem vltra vſum ſuum, & familiæ ſuæ. Cap. 16.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd nulla perſona cuiuſcunq; conditionis exiſtat, audeat, vel præſumat emere, vel emi facere per ſe, vel alium directò, vel per obliquum in Ciuitate, vel in diſtrictu Tridenti ſine licentia Conſulum, & Prouiſorum, carnes porcinas, ſiue mezenas vltra vſum ſuum, & familiæ ſuæ, ne caritudo inducatur, exceptis tamen mezenis ſalſis, quæ ducuntur ſalſæ de Alemania: Et hoc ſub pœna perdendi mezenas, & charentanorum ſexdecim, pro qualibet perſona, & qualibet vice, qua contrafactum fuerit, applicanda vt ſuprà in alijs dictum eſt.

¶ De venditoribus carnium ſalitarum, lardi, caſei, & aliarum rerum comeſtibilium, tenentibus dare iuſtam penſam. Cap. 17.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quælibet perſona Ciuitatis, & diſtrictus Tridenti, quæ vendiderit carnes ſalitas, lardum, caſeum, pepinam, oleum, butyrum, frumentum, bladum, legumina, & cætera alia mercimonia comeſtibilia, teneatur, & debeat dare bonum, & iuſtum pondus, & menſuram: & qui contrafecerit puniatur in charentanis octo Communitati applicandis totics, quoties fuerit contrafactum, pro quolibet ſtario, & qualibet libra rerum venditarum, & quilibet ſit accuſator, & habeat medietatem pœnæ.

¶ De macellatoribus carnes inferius incidere non debentibus, niſi fuerint æſtimatæ per Supraſtantes. Cap. 18.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd nullus Becharius audeat incidere beſtias aliquas inferiùs, nec vendere, niſi prius per Supraſtantes fuerint æſtimatæ, ſub pœna librarum ſeptem bonæ monetæ Communitati appli-

applicanda toties, quoties fuerit contrafactum.

¶ De macellatoribus carnes pro carnibus vendentibus. Cap. 19.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd aliquis Becharius non debeat vendere carnes alicuius beſtiæ, pro carnibus alterius beſtiæ, ſub pœna, vt in proximo ſtatuto, Communitati applicanda toties, quoties fuerit contrafactum.

¶ De carnibus morticinis non vendendis ſub macello. Cap. 20.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd aliquis Becharius non audeat vendere carnes morticinas in aliquo macello ſub pœna librarum decem & ſeptem bonæ monetæ Communitati applicanda toties, quoties fuerit contrafactum. Et intelligantur morticinæ carnes, quæ non ſunt iugulatæ, dum eſſent viuæ, & ſanæ.

¶ De macellatoribus ſcrophas bruſtolare, & in macello non vendere debentibus. Cap. 21.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd macellatores debeant bruſtolare ſcrophas omnes, & non pilare, & non debeant eas vendere ſub macello, ſub pœna charentanorum octo, applicanda, vt ſupra in proximo.

¶ De macellatoribus non debentibus teſticulos alicui becho, vel montono, nec hubera capris, & pecudibus abſcindere. Cap. 22.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd nullus macellator audeat alicui hirco, vel montono, quando eos interfecerit, incidere teſticulos, vel incidi facere, & alicui capræ, & pecudi, nec vaccæ incidere vbera, ſub pœna charentanorum octo Communi applicanda toties, quoties contrafactum fuerit, & quilibet poſſit eſſe accuſator, & habeat medietatem pœnæ de omnibus ſupraſcriptis proximis ſeptem ſtatutis.

¶ De macellatoribus dare debentibus cuilibet emere volenti ad mediam libram. Cap. 23.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quilibet macellator teneatur vendere cuilibet perſonæ petenti, & volenti emere carnes ad mediam libram, & plus ad voluntatem petentis, ſub pœna charentanorum octo toties exigenda, & Communi applicanda, quoties fuerit contrafactum.

¶ De

¶ De macellatoribus rectum pondus dare debentibus. Cap. 24.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quilibet macellator teneatur vendere, & dare cuilibet rectum pondus, & qui contrafecerit, soluat Cõmuni pro qualibet vncia deficiente charentanos duos pro qualibet vice, qua contrafactum fuerit, & reficiat damnum passo, & quilibet sit accusator, & habeat medietatem pœnæ, & credatur accusatori, vt suprà in alijs statutis contra macellatores factis.

¶ De macellatoribus vendere debentibus carnes infrascriptas pro precijs infrascriptis pro præsenti tempore impositis. Cap. 25.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quilibet macellator, & quælibet persona vendens carnes in Ciuitate Tridenti debeat eas vendere pro pretio limitando per Dominos Consules, & quæ limitatio debeat fieri tempore quadragesimę quolibet anno, & casu, quo nulla limitatio fieret, tunc vendi debeant, vt infrà. Primo carnes vitulinas, agninas, & veruecinas pro pretio decem & octo den. Tridenti, libram grossam, & nõ pluris sed minoris secundum bonitatem, & peioritatem bestiæ æstimandæ per Suprastantes deputatos, & carnes de capreto pro quatuor quartinis libram, & non pluris, &c. vt suprà, carnes manzinas tenentes dentes vitulinos pro pretio quindecim denariorum Tridenti, libram, & non pluris, sed minoris secundum, vt suprà proximè, carnes bouinas, vaccinas, peccudinas, caprinas, hircinas, pro pretio duodecim denariorũ libram, & non pluris, vt suprà: Et vituli carnes non possint vendi, nisi saltem habeant mensem, hędi verò, & agni habeant tres septimanas ad minus sub eadem pœna, quam etiam incurrant vendentes ante eandem ætatem, sub pœna vigintiquinque librarum denariorum Tridenti pro quolibet, & qualibet vice aufferenda, qua contrafactum fuerit, cuius pœnæ medietas applicetur Communitati, & alia accusatori.

¶ De macellatoribus, qui tenuerint ad macellum suum falsum plumbinum, siue stateram. Cap. 26.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis Becharius tenuerit ad bechariam suam aliquod falsum plumbinum, siue stateram falsam, condemnetur in decem libris bonæ monetę applicandis Communi pro qualibet vice, qua repertus fuerit, & quilibet sit accusator, & habeat partem dictæ pœnæ.

¶ De

¶ De Syndicis, siue Supraſtantibus negligentibus æſtimare carnes. Cap. 27.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi Syndici, vel Supraſtantes carnes omiſerint æſtimare, vel fraudulenter æſtimauerint, vel negligentes fuerint ad æſtimandum, ſoluat qui negligens fuerit charentanos octo Communi, qui fraudem commiſerit charentanos ſexdecim pro qualibet vice, & ab officio remoueatur, & teneantur ipſi Supraſtantes denunciare delinquentes Syndicis ea die, vel ſequenti ad minimum à commiſſo delicto ſub pœna charentanorum ſexdecim prædicta.

¶ De macellatoribus debentibus præſtare ſecuritatem. Cap. 28.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quilibet macellator, & quælibet alia perſona, qui, ſeu quæ voluerit exercere artem bechariç, & vendere carnes ad minutum, teneatur quolibet anno in principio anni per totum menſem Ianuarij præſtare idoneam fideiuſſionem Communi Ciuitatis Tridenti, ſiue Procuratoribus, ſub pœna vigintiquinque librarum Communi applicanda, de vendendo ſuas carnes ſecundum formam ſtatutorũ Ciuitatis: Et tempore quadrageſimæ, quando pretia limitabuntur, fideiubeat de attendendo omnia, & ſingula, quæ in ſtatutis ſuper facto macellatorum, & carnium continentur: quam fideiuſſionem facere teneantur pro ſe, & omnibus vendentibus carnes ad ſuas bechariaſ, & ſi quis carnes uendiderit, ſeu exercuerit artem bechariæ, non præſtita prius fideiuſſione, condemnetur pro qualibet uice in decem libris applicandis, ut ſupra.

¶ De iunctis non dandis carnibus ad pondus. Cap. 29.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd macellatores non debeant uendere capita, nec pedes, nec inteſtina cum alijs carnibus miſta, ſeu miſtos, nec etiam ad pondus, ſed per ſe ſeparatim uendere poſſint: & contrafaciens pro qualibet uice puniatur in una libra bonæ monetę applicãda Communitati, exceptis tamen capitibus agnorum, & hædorum, & maxillis, ſiue ſguancijs bouilibus.

¶ Quod liceat Syndicis, ſiue eorum ponderatoribus inquirere in omnibus locis bechariorum, & uidere, an contrauenerint ſtatutis. Cap 30.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd Syndici poſſint, & eis liceat, quotieſcunq; uidebitur, inquirere, & inquiri facere in domibus ipſorum ma-

macellatorum, & apothecis, & alijs quibuſcunque locis beccharíorum, & aliorum quorumcunque vendentium carnes, vel alterius eorum, & aliorum quorumcunq; habitantium in Ciuitate Tridenti, vt videre poſſint, an in aliquibus ex prædictis contraueniant, & ſi reperierint aliquem contrafacere in prædictis, debeant ipſum talem punire, & condemnare in libris decem bonæ monetæ, Communitati applicandis, quam pœnam etiam incurrant macellatores, ſi reſtiterint, & paſſi non fuerint huiuſmodi inquiſitionem fieri.

¶ Quod macellatores poſtquam inceperint vendere carnes vnius beſtiæ, reſiduum dictarum carnium tenere debeant ſuper zoccum macelli, ſiue raſtello macelli. Cap. 31.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd macellatores, & quicunque alij vendentes carnes, poſtquam inceperint vendere de carnibus alicuius vituli, manzij, vel bouis, vel alterius beſtiæ, tenere debeant ſuper macello, ſuper quo vendere inceperint, vel in raſtello totum reſiduum dictarum carnium, quæ reſtabunt huiuſmodi beſtiæ, & ſi quis in aliquo prædictorum contrafecerit, cadat in pœnam duarum librarum bonæ monetę, pro quolibet, & qualibet vice, applicandam, vt ſuprà.

¶ De his, qui vendiderint vinum ad minutum, & falſam menſuram tenentibus. Cap. 32.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quælibet perſona vendens vinum ad minutum in Ciuitate, Territorio, & Diſtrictu Tridenti, teneatur, & debeat menſurare vendendo cum iuſta menſura Communis Tridenti, & non cum nappis, nec cyathis, & dare bonam, & iuſtam menſuram, & qui contrafecerit puniatur, & condemnetur pro qualibet vice, qua fuerit contrafactum, in charentanis duobus, & quilibet ſit accuſator, & habeat medietatem dictæ pœnæ, & ſi inuentor fuerit Officialis iuratus, credatur ei, & ſi non fuerit Officialis iuratus, credatur ei cum iuramento, & vni teſti ſoli credatur.

¶ De Tabernarijs, & alijs perſonis vendentibus vinum ad minutum, & falſam menſuram tenentibus. Cap. 33.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi quis Tabernarius, vel Tabernaria, ſiue venditor vini ad minutum repertus fuerit tenere in ſua taberna falſam menſuram à vino, puniatur, & condemnetur in quinque libris denariorum Tridenti, applicandis Communi pro qualibet vice, qua reperius

pertus fuerit, & quilibet ſit accuſator, & habeat medietatem pœnæ prædictæ, & credatur Officiali iurato, & ſi inuentor non fuerit Officialis iuratus, credatur ei cum iuramento ſi fuerit bonæ famæ, vel etiam credatur vni ſoli teſti bonæ famæ.

¶ De tabernarijs, qui tenuerint nappos, coppas, cyathos minores menſura Communis. Cap. 34.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi quis tabernarius, & quilibet vendens vinum ad minutum tenuerit in ſua taberna aliquem nappũ, coppam, vel cyathum de minori menſura Communis Tridenti, condemnetur in charentanis duobus, pro quolibet, & qualibet vice applicandis Communi, & quilibet ſit accuſator, & habeat, vt ſuprà.

¶ De piſcibus portandis in forum piſcarium. Cap. 35.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd omnes piſces, & cancri, qui portantur ad Ciuitatem ad vendendum, portentur ad Plateam Communis ad banchum, vel lapidem piſcarię conſuetum, ante Palatium, ad vendendum, exceptis cauedunculis, & piſcibus minutis: & qui contrafecerit, ſoluat charentanos octo Communi, & perdat piſces, & quilibet ſit accuſator, & credatur, vt ſuprà: Et hoc etiam vendicet ſibi locum in piſcatoribus, ſeu conductoribus lacuum Reuerendiſſimi Domini, qui poſtquam acceſſerint ad Caſtrum, & muniuerint coquinam Reuerendiſſimi, teneantur illico reſiduum piſcium portare ad vendendum, vt ſuprà, ſub penis de quibus ſuprà, aliqua conſuetudine, vel exemptione non obſtantibus.

¶ Quod nullus eſſe debeat intermediator. Cap. 36.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd nullus ſit nec eſſe debeat mediator ad vendendum, nec ad emendum piſces, ſub pœna charentanorum octo Communi applicanda pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafactum fuerit.

¶ De piſcibus recentibus portatis ad vendendum non ſalandis, & caudis eorum tronchandis. Cap. 57.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd piſces recentes, poſtquam portati fuerunt ad Ciuitatem ad vendendum, ſalari non debeant, & ſtatim cauda truncetur per venditorem piſcis ſi piſcis valuerit vltra duo-

decim denarios antequam portetur extra piſcariam,& qui contrafecerit, ſoluat pro qualibet vice Communi ſolidos ſexaginta denariorum,& perdat piſces, & quilibet ſit accuſator, & credatur, vt ſuprà, & habeat partem, vt ſuprà.

¶ De piſcibus recentibus extra ciſtas extrahendis. Cap. 38.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd cum piſces recentes ducti fuerint ad Plateam, incontinenti, cum venduntur, debeant extrahi de ciſtis, & de vaſis,in quibus ducti ſunt, & poni in bancho, vbi venduntur,& qui contrafecerit,& tenuerit in ciſtis ipſis,ſeu vaſis aliquos piſces, quòd illos piſces perdat.

¶ De non exportandis piſcibus de Ciuitate Tridenti. Cap. 39.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd nullus debeat exportare piſces de Ciuitate, ſiue extra Ciuitatem ad partes ſuperiores cũ equis,plauſtris, vel aliquo alio modo, ſine licentia Syndicorum, ſub pœna amiſſionis piſcium, & non ſolutis mudis conſuetis,quæ ſolui debent, tam in Ciuitate quam extra, ſub pœna prædicta, & credatur, vt ſuprà, & inuentor habeat dimidiam partem pœnæ: hoc addito, quòd Syndici pœnam librarum quinque incurrant applicandam Communitati: quoties licentiam fecerint alicui, vel aliquibus ducendi piſces extra Ciuitatem, priuſ ipſa Ciuitate non prouiſa de ea quantitate, quæ Ciuitati ſit neceſſaria,& credatur, vt ſuprà.

¶ De piſcibus conductis in Ciuitatem ad Plateam ad piſcariam diſcargandis. Cap. 40.

ITem ſtatuimus,& ordinamus, quòd omnes piſces, qui conducũtur in Ciuitatem debeant ad Plateam ſuper lapide piſcariæ diſcargari, & ibi morari vsq; ad horam tertiarum,& qui contrafecerit,ſoluat charentanos ſexdecim Communi, & perdat piſces. Et hoc etiam intelligatur de piſcibus, qui ducuntur ad vendendum ad partes ſuperiores cum licentia Syndicorum, donec fuerit eis data licentia abducendi illos, quæ non aliter dari debeat, quam ſicut proximo ſtatuto cautum eſt.

¶ Quod aliquis non vadat ad lacus ad emendum piſces. Cap. 41.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd aliqua perſona non vadat ad lacus, nec ad alia loca ad emendum piſces cauſa reuendendi, excepto quàm ad lacum Rippæ Tridenti, nec in Ciuitate Tridenti piſces aliquos

quos emere causa reuendendi, nec societatem aliquam habeat, seu contrahat cum aliquo piscatore, nec cum aliquo venditore piscium. Et qui contrafecerit soluat charentanos sexdecim Communitati, & perdat pisces, & credatur, vt suprà, & inuentos habeat partem, vt suprà.

¶ De blado ad Ciuitatem ad vendendum conducto ad plateam discargando. Cap. 42.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd totum bladum, quod exteriùs ducitur ad vendendum, in Tridento ad Plateam Communis, vel in alijs locis per Communitatem designandis, & non alibi deponatur, pœna charentanorum quatuor Communitati Tridenti applicanda, pro quolibet stario, & amissionis bladi toties, quoties fuerit contrafactum. Et aliquis in Ciuitate, aut extra Ciuitatem in districtu Tridenti, non audeat ipsum bladum in domo recipere, nec emere per se, nec alterius nomine, sub pœna prædicta.

¶ De blado non emendo vltra quatuor staria in die. Cap. 43.

ITem statuimus, & ordinamus quòd aliqua persona, Ciuis, aut forensis non debeat emere, nec emi facere in Platea vltra quatuor staria bladi in die, sub pœna charentanorum octo Communi applicanda, & amissionis bladi pro quolibet stario, & qualibet vice, sine licentia Consulum, & Prouisorum Ciuitatis.

¶ De molendinarijs emere, nec ad vrnas accedere non debentibus. Cap. 44.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd aliquis molendinarius non debeat accedere, nec se approximare ad vrnas bladi, seu saccos, nec bladum emere, nec emi facere pro aliquo, sub pœna charentanorum octo, & amissionis bladi pro quolibet stario Communi applicãda toties, quoties fuerit contrafactum.

¶ De molendinarijs equitare non debentibus super farinam. Cap. 45.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd aliquis molendinarius non audeat, nec præsumat equitare super bladum, aut farinam, sub pœna charentanorum octo, toties committenda, quoties fuerit contrafactum, cuius pœnæ medietas applicetur Communi, alia medietas accusatori.

¶ De molendinarijs vltra molturam consuetam accipere non debentibus. Cap. 46.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd molendinarij non debeant accipere de moltura bladi alicuius personæ vltra illud, quod statutum est, videlicet de sexdecim vnum, & qui contrafecerit pro qualibet, & vna quaq; vice, qua contrafactum fuerit, in charentanis vigintiquatuor condemnetur Communi applicandis, & quilibet sit accusator, & habeat partem dicti banni, & si soluere non poterit ponatur ad berlinam, & ibi stet ad arbitrium Syndicorum, & credatur conquerentis sacramento, si fuerit bonæ famæ, & opinionis: Et etiam credatur conquerenti, vt suprà, si dixerit farinam fuisse destructam, & reficiatur sibi farina per molitorē, & pro tertia vice, qua fuerit repertus contrafecisse, fustigari debeat, & exercitio molendi priuari.

¶ De molendinarijs tenentibus macinare cuicunque requirenti. Cap. 47.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quilibet molendinarius, cùm requisitus fuerit ab aliqua persona, teneatur requirenti macinare infra tertiam diem à requisitione facta, etiam si esset solum medium starium bladi macinandum, & hoc sub pœna charentanorum quadraginta, cuius pœnæ medietas applicetur Communitati, alia medietas accusatori, toties committenda, & aufferenda, quoties fuerit contrafactum, & credatur illi, qui vult dare ad macinandum cum sacramento.

¶ De staconerijs, & artificibus non debentibus tenere stationes apertas diebus festiuis. Cap. 48.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nullus artifex audeat tenere stationem apertam, sub pœna charentanorum sexdecim Communitati applicanda toties, quoties fuerit contrafactum in diebus festiuis infrascriptis, videlicet, diebus Dominicis, diebus Apostolorum, Beatæ Mariæ Virginis, Natiuitatis Domini, Circuncisionis, Epiphaniæ, tribus diebus Paschalibus, Resurrectionis, Ascensionis, Penthecostes, Sancti Laurentij Martyris, Beati Vigilij Patroni nostri, & Beatæ Maxentiæ, etiam si aliquod dictorum festorum inciderit in Nundinas Tridenti.

¶ De

¶ De conducentibus caſeum, oua, ſaluaticinas ad vendendum portanda ad Plateam. Cap. 49.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quilibet conducens caſeum pouinam, oua, fructus, ſaluaticinas, & res huiuſmodi ad vendendum ad Ciuitatem Tridenti debeat, & teneatur ipſas res ad Cantonum, ſiue ad Plateam portare, & ea quidem nõ abſcondita ſub veſtibus ſed palam, & apertè, & ibi vendere, ſub pœna charentanorum octo, applicanda Cõmunitati toties, quoties contrafactum fuerit: Et quod nullus reuenditor, & reuenditrix aliquod prædictorum emere debeat ante nonam, ſed tranſacta nona poſſit prædicta impunè emere, ſaluo eo quod caſeum excedẽtem pretium viginti ſolidorum denariorum Tridenti emere non debeat, niſi ſolus caſeus excederet illam ſummam, & qui contrafecerit perdat ipſam rem emptam, ſeu pretium ipſius, & ſi conducens veniret ad Plateam tranſacta nona, nullus reuenditor emat, nec præſumat emere prædicta, ſiue aliquod prædictorum vsq; ad ſequentem diem ad horam nonæ, ſub dicta pœna, & perſona quæ emerit, & vendiderit alibi quam in Cantono, vel in Platea ſoluat charentanos octo Communi pro qualibet vice, qua contrafactum fuerit, vt præmiſſum eſt, & perdat res, quas vendiderit, & pœna duplicetur contra eos, qui emerint, & vendiderint res extra Ciuitatem, quæ venales portabantur ad Ciuitatem.

¶ Quod quilibet maior domus debeat in feſtis ſolemnibus audire miſſam in Eccleſia Cathedrali. Cap. 50.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quilibet maior domus maſculus, & fœmina teneatur ſub pœna charentanorum octo in diebus tribus Feſtis Natiuitatis, in feſto Circuncifionis, Pentecoſtes, Reſurrectionis Domini, Aſcenſionis, in quatuor feſtis Beatæ Virginis, in omnibus feſtis Apoſtolorum, in feſto Beati Vigilij, & Beatæ Maxentiæ, & omnibus diebus Dominicis de mane ſaltem audire vnam miſſam in Eccleſia Cathedrali, & quod etiam meliores Ciues, & Ciuiſſæ, niſi habeant iuſtam cauſam abſentiæ, debeant in maiori miſſa in Eccleſia ſtare, quouſque miſſa finita fuerit, pro fabrica Eccleſiæ applicandorum.

¶ De menſuris rectis tenendis. Cap. 51.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quælibet perſona debeat habere, & tenere rectos cyathos, vrnas, brentas, ſtarios, modios, galetas, quartarolos, ſtarios ab oleo, & ſtarios, & quartas à blado, & à ſale, paſſos, paſſetos, & omnes alias menſuras, ſtateras, peſarolos, plumbinos, marchas, libras, vncias, balanzas, & omnia alia pondera, nec menſurare nec ponderare

derare debeãt, nisi sint bullata bullo Communitatis,& Syndicorum,vel alterius eorum: Et qui contrafecerit, & falsam mensuram seu pondus tenuerit, uel habuerit,& dederit, soluat libras decem denariorum Tridenti pro qualibet vice,cuius pœnæ medietas applicetur Communitati, & alia medietas inuentori, seu accusatori, quam pœnam si soluere non poterit incidens in eam, ponatur in fundo turris, & ibi stet per tres menses: Et quilibet fartor debeat tenere rectum passetum, & mensurare pannum emptum cum fuerit ad stationem,antequam incidatur,& qui contrafecerit soluat communi charentanos octo pro qualibet vice,& quilibet sit accusator,& credatur vni testi bonæ famæ,& opinionis: Et Syndici,& Procuratores Communis Tridenti teneantur sacramento cum quatuor hominibus expertis, quos ipsi,& Consules Ciuitatis duxerint eligendos,ire ad examinandum mensuras, & pondera semel in anno,& toties,quoties etiam Consulibus,& Prouisoribus Ciuitatis videbitur expedire.

¶ De sarmentis, straminibus,paleis in periculo propè ignem non tenendis. Cap. 52.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd aliquis non debeat in aliqua domo,in qua ignem facit, & fit de propè,& circa, uel supra ignem tenere sarmenta,paleas,fœnum,stramen,& his similia, ita quòd exinde incendiũ leuiter oriri possit:& qui contrafecerit soluat libras quinq; Communitati Tridenti pro qualibet vice: Et quòd Syndici, & Prouisores Ciuitatis sæpè in præmissis prouidere debeant, & procurent ire visum per domos, & loca suspecta ab igne.

¶ De palis non exportandis de vineis super humeris. Cap. 53.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd aliquis postquam vineæ aptatæ, & palificatæ fuerint,non debeat palos, nec latas vinearum, nec suos, nec alienos accipere,nec ad vendendum,nec ad domum portare,vsq; ad aliud tempus aptationis vinearum inficando, etiam si licentiam habuerit à Domino vineæ,quam dare non possit:& qui contrafecerit soluat pro qualibet vice de suis charẽtanis quatuor Communi,& de alienis charentanos octo in die,in nocte verò duplum,& reficiat damnum passo, cuius pœnæ medietas applicetur communi,& alia medietas accusatori: Et in præmissis habeant procurare, & prouidere Syndici,& eorum Officiales, & credatur saltuario vel vni testi bonæ famæ, & opinionis, & etiam credatur damnum passo,si iurauerit se vidisse,& quòd custodes portarum teneantur recipere huiusmodi lignamina ad portas, sub pœna dupli, & si receperint ligna habeant medietatem pœnæ supra impositę.

¶ De

¶ De vuis furtim acceptis ex alieno vineali, siue loco vitibus consito. Cap. 54.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd qui furtim de alieno vineali, vel horto, vel alijs possessionibus vuas, vel alios fructus acceperit, soluat charentanos quatuor pro qualibet vua in die, & in nocte verò duplum, & grossos similiter quatuor pro quolibet pomo, vel pyro, aut ficu, & reficiat damnum passo, cuius pœnæ medietas applicetur, vt supra, & si soluere non poterit ponatur ad berlinam per dies, & credatur, vt supra de palis. Si verò simul in vna vice acceperit decem vuas, poma, pyra, vel ficus soluat libras quinq; & pro secunda vice libras decem bonæ monetæ, & in vtroque casu ponatur ad berlinam. Si verò locus sit circundatus muris, vel sepibus, tunc incurrat duplum pœnæ prædictæ, nec credatur domino loci asserenti se licentiam dedisse ante datum damnum, nisi iurauerit se dedisse.

¶ De saltuarijs, qui furtim vuas acceperint. Cap. 55.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis saltuarius vinearum furtim vuas, uel alios fructus acceperit, & eos uel eas uẽdiderit, uel donauerit fraudulenter, stando in saltaria, soluat charentanos duodecim pro qualibet vua, & pro quolibet pyro, pomo, vel ficu, communi de die, de nocte verò duplum, & restituat damnum passo in duplo: & si soluere non poterit ponatur ad berlinam, & ibi stet arbitrio Syndicorum, & Consulum, secundum exigentiam delicti: Sed si simul, & semel surripuerit decem vuas, poma, ficus, uel pyra, tunc soluat, vt in proximo statuto, & ponatur ad berlinam, & banniatur per quinquenium, & pœna duplicetur in locis cinctis, nec credatur domino de licentia nisi, vt supra in proximo statuto.

¶ Item & si ipse saltuarius non diligenter procurauerit, & perquisiuerit damna inferentes, vel fraudem in sua, vel aliena saltaria commiserit, condemnetur in charentanis vigintiquatuor, & restituat damnum passo in duplo, & si soluere non poterit, ponatur ad berlinam, ut proximè supra notatur, & credatur, ut suprà de palis, & si damnum dantem nescierit nominare, & non sit in culpa, tunc solum reficiat damnum passo.

¶ De

¶ De his, qui herbas commestibiles furtim acceperint, vel rapas. Cap. 56.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quicunque rapas, uel herbas cõmestibiles, seu rosas, lilia, & his similia, de vineis, hortis, clausuris, pratis, & terris alienis acceperit, soluat libras duas Maranenses, si fructus surrepti valuerint grossos duos, vel minus grossis duobus, sed si plus valuerint pœna sit librarum quatuor, & berlinæ de die, in nocte verò duplum, & reficiat damnum passo in duplum, & ponatur ad berlinam, vt suprà: & quilibet sit accusator, & habeat medietatem banni, & credatur vni testi bonæ opinionis, & famæ, vt suprà de palis.

¶ De his, qui cesas, vel sepes alienas inciderint. Cap. 57.

ITem statuimus, & ordinamus quòd quicunque inciderit, vel fregerit, seu abstulerit sepes, spinas, seu clausuras, seu de eis asportauerit, soluat medium Rhenensem in die, in nocte verò duplum, & restituatur damnum passo, & si pœnam incursam non soluerit, seu soluere non poterit, ponatur ad berlinam, & stet, vt suprà, & credatur, vt suprà de palis.

¶ De his, qui fregerint portas hortorum, clausurarum. Cap. 58.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quicunq; fregerit, vel abstulerit portas alienas hortorum, clausurarum, vinearum, vel camporum, seu seraturam, uel seraturas acceperit, soluat libras decem bonæ monetæ in die, in nocte uerò duplum, & ponatur ad berlinam ac buletur, & stet bannitus per triennium, & restituat damnum passo, & credatur, ut suprà de palis.

¶ De his, qui inuenti fuerint in alienis hortis, uel clausuris. Cap. 59.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si aliquis fuerit inuentus in alienis hortis, pratis, clausuris, uel uineis tempore, quo fructus seu herbæ in eis fuerint, & in eis iuerit sine licentia domini dictarum rerum, siue damnum fecerit, siue non, soluat communi medium Rhenensem, & damnum reficiat passo, & credatur, ut suprà de palis.

¶ De

¶ De his, qui abſtulerint legumina, vel blada de alienis hortis. Cap. 60.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi quis de alienis agris abſtulerit legumina, vel blada alicui, ſi ſurreptum aſcenderit ad groſſos duodecim, & infra, ſoluat Communi Rhenenſem de die, de nocte verò duplum, & reſtituat damnum paſſo: Si verò exceſſerit groſſos duodecim, pœna ſit librarum decem Maranenſium de die, & ponatur ad berlinam, de nocte verò ſoluat duplum, & vltra bulletur, & credatur, vt ſuprà de palis.

¶ Quod aliquis non faciat herbam in alienis poſſeſſionibus. Cap. 61.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd nulla perſona audeat, vel præſumat facere herbam aliquam in poſſeſſione alterius, ſub pœna groſſorum duodecim pro quolibet faſce, & qualibet vice, de die, de nocte verò duplum, Communi, & ſi ſoluere non poterit ponatur ad berlinam, & ibi ſtet per diem, & credatur, vt ſuprà de palis.

¶ De his qui fecerint panni galeas alienas, vel meiarias. Cap. 62.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi quis fecerit, ſiue acceperit ex alienis agris de pannigalibus, vel de meiarijs, vel forgalibus de die, ſoluat Communi charentanos duodecim, de nocte verò duplum, & ſi ſoluere non poterit ponatur ad berlinam per diem, & credatur, vt ſuprà de palis.

¶ De ſaltuarijs, qui commiſerint fraudem in ſua ſaltaria. Cap. 63.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi quis ſaltuarius campaneæ, vel vinearum, vel pratorum fraudem commiſerit in ſua ſaltaria, uel ab aliquo pretium, vel donum recipiendo occaſione dimittendi beſtias paſculare, vel herbam facere in ſua ſaltaria, ſeu pretio, dono, vel amore, ſiue aliqua alia cauſa non accuſauerit damna dantes, condemnetur in tribus libris denariorum Tridenti, & in pluri ſecundum qualitatem delicti, in arbitrio, & declaratione Syndicorum, & Prouiſorum Tridenti, & credatur, vt ſuprà de palis, & reficiat damnum paſſo in duplum, & nihilominus ponatur ad berlinam.

¶ De

¶ De his, qui herbam, vel fenum de alienis pratis acceperint. Cap. 64.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd aliqua persona non debeat herbam facere, neq; fenum in aliquo alieno prato, vel possessione aliena accipere, nisi fuerit super pratis Communis: & qui contrafecerit soluat pro qualibet torsa, siue fasso libras duas Maranenses in die, in nocte verò, duplum, & damnum reficiat passo in duplum: & si soluere non poterit ponatur ad berlinam per diem: pro secunda verò vice sit pœna librarum quatuor, & berlinæ in die, in nocte verò duplicetur pœna cum berlina, & qui super presis Communis prohiberet fieri herbam, vel fenum accipi, soluat tantundem Communi pro qualibet vice, & credatur, vt suprà de palis.

¶ De his, qui accusauerint aliquem falsò de aliquibus postis in hoc libro descriptis. Cap. 65.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd qui falsò accusaret aliquem de aliquibus postis in hoc libro descriptis, eandem pœnam patiatur, & soluat, quam accusatus soluere, & pati deberet.

¶ De bubulcis per Ciuitatem ante plaustrum ire debentibus. Cap. 66.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quilibet bubulcus per Ciuitatē, & villas districtus Tridenti ante plaustrum, & boues ire debeat, & tenere manum super timone, ne alicui personæ, seu animali, vel aliquibus alijs rebus damnum, vel læsionem inferat: quod si contrafecerit, soluat, charentanos duos, etiamsi damnum non dederit, eo tamen saluo, quòd in rugijs non teneatur tenere manum super timone, sed tamen ante boues ire teneatur, sub pœna charentanorum duorum, vt suprà dictum est, & si negligentia, vel culpa ipsius damnum, vel læsionem fecerit, soluat charentanos quatuor pro qualibet vice, & reficiat damnum, & læsionem emendet, & plus pro qualitate delicti arbitrio Officialis limitandum. Et si aliquis bubulcus per Ciuitatem super plaustro iuerit soluat charentanos sex: pro qualibet vice, & quilibet sit accusator ad hæc.

¶ De simo, & alijs sordibus exportandis, Cap. 67.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd procurent, vt simus, & alia sordida, quæ sunt in stratis publicis in hyeme, videlicet post festum

Sancti

Sancti Michaelis, vsq; ad festum Annunciationis portentur extra Ciuitatem infra sex dies, postquam fuerint ibidem, vel posuerint. In æstate verò videlicet, à festo Annunciationis vsq; ad Festum Sancti Michaelis infra tres dies, sub pœna librarum quinq; toties, quoties contrafecerint, pro medietate accusatori applicanda, & quòd in plateis non ponatur fimus, nisi ea die, vel sequenti remoueatur, sub pœna prædicta, pro quolibet die.

¶ De bubulcis, & alijs operarijs, qui promiserint seruire, & qui fuerint conducti. Cap. 68.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si aliquis bubulcus promiserit seruire cum plaustro alicui, vel aliquis operarius promiserit seruire, & laborare alicui, & postea non iuerit (vt promisit) soluat bubulcus communi charentanos quatuor, & operarius soluat charentanos duos, & illi cui promiserit pretium vnius diei, excepto, nisi iusta causa hoc fecerit, & ille verò, cui seruire promiserit si prædictos, quos conduxit ad opus, & seruitium non receperit nihilominus pretium diei soluat eisdem, nisi eo die fuerit cum alio in opere, vel nisi iusta, & legitima causa fuerit impeditus.

¶ De ementibus saluaticinas, vel victualia in via, dum ducuntur ad Ciuitatem ad vendendum. Cap. 69.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd aliqua persona non debeat emere saluaticinas, carnes viuas, vel mortuas, caseum, pullos, ouas, smalzum, fructus, & his similia in aliquo loco extra Ciuitatem ab aliquo, qui prædicta conduceret ad Ciuitatem ad vendendum, dum ipse conducens, vel portans erit, & est in itinere veniendi, sub pœna, de qua in statutis, & amissionis rei venditæ, applicanda Communitati, & accusatori, & credatur ei cum sacramento, si fuerit bonæ famæ, vel cum vno teste.

¶ De his, qui foderint stratas, vel vias publicas puniendis. Cap. 70.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si qua persona foderit, seu deuastauerit cum zappis, palseris, vel aliquo alio instrumento, seu modo, sine causa legitima aliquas stratas, vel vias publicas, vel aquam posuerit per stratas, puniatur, & condemnetur in libris tribus bonæ monetæ Marancnsis pro vnoquoq;, & vnaquaq; vice, & in reaptatione viarum, & stratarum destructarum, cuius pœnæ medietas applicetur Communi, & alia medietas accusatori, & credatur ei, vel cuilibet alij testi, si fuerit bonæ opinionis & famæ, cum sacramento.

¶ De

¶ De probationibus contra macellatores, tabernarios, molendinarios, & alias personas. Cap. 71.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd in omnibus suprascriptis statutis facientibus mentionem de macellatoribus, & de piscatoribus, & de molendinarijs, & de blado, & de mensuris rectis tenendis, & de dantibus damnum in alienis possessionibus, credatur damnum passo cum sacramento, vel etiam credatur vni soli testi cum sacramento, si sit bonę famæ.

¶ De salarijs Syndicorum. Cap. 72.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd Syndici, si quæstio, siue causa de confinibus, muris, ædificijs, rozalibus, & his similibus inspiciendis ad oculum moueretur, si esset in Ciuitate, & cõtingeret eos ire visum ad cognoscendum, examinandum, & terminandum, pro eorum salario, & mercede accipere possint à qualibet partiũ litigantium charentanos quatuor, & non vltra, & si questio esset extra Ciuitatem in continentibus ędificijs, videlicet in suburbijs, vt suprà de salario famulorum, recipere possint charentanos octo à qualibet parte litigante, & non vltra, in Villis verò secundum eorum discretionem, & qualitatem causæ. Item pro qualibet bolatura cuiuslibet rei bullandæ charentanum vnum.

¶ De Vacarijs, & Cauallarijs constituendis. Cap. 73.

ITem quòd ipsi Syndici procurent ponere, & constituere tempore debito, & solito Vacarios, Cauallarios, Saltuarios, secundum antiquam consuetudinem in Tridento obseruatam, & nemo admittatur ad hæc officia, nisi præstita fideiussione idonea de officio benè gerendo.

¶ De mensura scandularum. Cap. 74.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd Syndici sollicitent, seu procurent, quòd scandulæ, quę ducuntur ad vendendum, sint & esse debeant longitudinis duorum pedum cum dimidio mensuræ Tridenti, secundum antiquissimam consuetudinem Communitatis Tridenti, & qui de minori mensura portauerit, siue conduxerit, soluat Communitati charentanos octo pro quolibet passo, qui etiam passus scandularum debeat continere centum scandulas.

¶ De

¶ De numero circulorum. Cap. 75.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd circuli à caſtellatis, & à boteſinis paruis ſint triginta p quolibet faſſo, & alij circuli ab omnibus alijs vaſis exceptis ceueis, ſiue tinacijs, ſint vigintiquatuor pro quolibet matio, ſiue duodecim pro quolibet faſſo: & qui conduxerit de minori numero, ſoluat pœnam prædictam, & amittat circulos, & circuli cuiuſcunq; generis in cingendis vegetibus debeant ſe coniungere per vnum brachium, ſub eadem pœna.

¶ De numero torquium. Cap. 76.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſtropæ ſciſæ ad circulos in qualibet manu debeant eſſe vigintiſeptem ad minus, ſub pœna groſſorum duorum pro qualibet manu.

¶ De menſura tegularum. Cap. 77.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd tegulæ coctæ ſint, & eſſe debeant longitudinis vnius pedis cum dimidio, & vnius vnciæ ad minus, & latitudinis à capite lato medij pedis, & groſſitudinis vnius boni pollicis, vel duarum vnciarum cum dimidia.

¶ De menſura laterum. Cap. 78.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd lateres cocti ſint longitudinis vnius pedis, & latitudinis medij pedis, & groſſitudinis duarum vnciarum cum dimidia.

¶ Item fornaſerij, qui de minori menſura fecerint, cadant in pœnam charentanorum duorum pro qualibet tegula, & quolibet latere de minori menſura exiſtente reperto, applicanda Communi toties, quoties fuerit contrafactum.

¶ Quod Fornaſerij de laboretio fornacis cocto, teneantur prouiſores requirere. Cap. 79.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd Fornaſerij non audeant, nec debeant vendere tegulas, nec lateres, niſi primo fuerint viſi, & viſæ, an ſint benè coctæ, & cocti, & qui vendere voluerint, quod prius requirere teneantur Prouiſores, & Conſules Ciuitatis Tridenti, qui pro tempore fuerint, qui ire debeant, vel mittere ad videndum, & æſtimandum

si laborerium fornacis est benè coctum: & si non esset benè coctum, vel reperiretur eum non benè coctum ad faciendum defalcationem de non benè cocto: & fornaserij, qui contrafecerint prædictis, cadant in pœnam quinquaginta librarum Maranensium pro qualibet vice, qua fuerit per eos contrafactum, cuius pœnæ medietas applicetur Communitati Tridenti, & alia medietas accusatori.

¶ De eodem.

ITem quòd tegulæ benè coctæ, & mensuræ prædictæ visæ, examinatæ, etiam approbatæ per Prouisores, vel aliquos eorum de consensu reliquorum, non vendantur maiori pretio librarum quindecim bonæ monetæ, pro quolibet milliario, sub pœna prædicta aufferenda, & applicanda, vt suprà; nisi essent tegulę mensura maiores, quam contineatur in statutis Ciuitatis.

¶ De eodem.

¶ Item quòd lateres benè cocti visi, examinati, & approbati, vt suprà in tegulis non vendantur maiori pretio librarum decem Maranen. pro quolibet milliario, sub pœna prædicta aufferenda, & applicanda, vt suprà, nisi essent lateres maiores mensura Ciuitatis.

¶ Item quòd zarlinus calcis debeat esse capacitatis quatuor stariorum rasorum à blado, & debeat dari culmus de calce, & non pro maiori pretio quam quatuor charen. cum dimidio, si fit de fornace, & conducta in Ciuitate Tridenti: Si verò sit de calcarea, non excedat pretium zarlini conducti in Ciuitate grossos quinque, & vendi non possit calx, nisi ad mensuram, vt suprà, non ad oculum: & prædicta fieri debeant, sub pœna de qua suprà.

¶ De Parolarijs non debentibus vendere ferrum cum ramo. Cap. 80.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd Syndici procurent, quòd Parolarij de cætero non audeant, nec præsumant vendere ferrum annexum, seu affixum cum ramo, sed vasa de ramo vendant de per se, & ex ære, vel ramo manubria, vel manicos, & reclaras de ferro de per se, à vasis de ramo, & hoc in pœna, & sub pœna decem librarum Maranensium toties, quoties contrafactum fuerit, & amissionis vasis de ramo venditi simul cũ manico de ferro, cuius pœnæ medietas Communitati, & alia medietas accusatori applicetur.

¶ De

¶ De precijs piſcium limitatis. Cap. 81.

ITem ſtatuimus,& ordinamus, quòd ipſi Syndici procurent quod omnes piſces cuiuſcunq; conditionis exiſtant vendantur ad libram groſſam, & vendi debeant in Ciuitate Tridenti, & in eius diſtrictu pro precijs limitandis per dictos Dominos Syndicos, iuxta tempora, ſecundum eorum arbitrium, & quòd pro dicta æſtimatione dicti Syndici habeant libram vnam piſcium tantum,& non vltra,ſub pœna infraſcripta.

¶ Primo libram truitarum, lutiorum,carpionum, & aliorum piſcium recentium de lacu Benaco, ſiue Gardæ, & aliorum laudabilium lacuum,& fluminum Ciuitatis,& Diœceſis Tridenti,exceptis ſaperdis,ſiue ſardenis, ſauelis,ſcardulis, & piſciculis, vt infrà pro duobus charentanis, ſiue quinque ſolidis denariorum Tridenti, excepta quadrageſima, in qua vendi poſſit libra pro duodecim quatrinis, & poſt quadrageſimam vsq; ad Feſtum Sancti Michaelis non vendantur niſi octo quatrinis.

¶ Item libram piſcium de vallibus recentium pro tribus ſolidis denariorum Tridenti, ſed in quadrageſima pro octo quatrinis.

¶ Item libram agonum, & omnium ſaperdarum, ſiue ſardenarum recentium pro vno charentano cum dimidio, & in quadrageſima pro duobus charentanis.

¶ Item libram ſcardularum, ſauelorum,& piſciculorum, exceptis cauedonculis pro vno charentano, & in quadrageſima pro ſex quatrinis.

¶ Item libram carpionum coctorum pro tribus charentanis.

¶ Item libram piſcium falſorum de vallibus pro vno charentano.

¶ Item libram anguillarum,truitarum, lutiorum,& aliorum laudabiliũ, & bonorum piſcium falſorum lacus Gardæ, & aliorum laudabilium lacuum, & fluminum pro duobus charentanis.

¶ Item quòd quilibet vendens piſces teneatur, & debeat dare, & vendere cuilibet perſonæ rectum pondus ad libram groſſam,vt præmiſſum eſt, ſub pœna charentanorum duorum pro qualibet vncia, & amiſſionis piſcium pro quolibet, & qualibet vice,qua fuerit contrafactum,Communi applicanda.

¶ Item quòd nulla perſona cuiuſcunq; conditionis, & qualitatis exiſtat emens,& emere volens piſces in Ciuitate,& diſtrictu prædictis, audeat, vel præſumat publicè,vel occultè, per ſe,vel per interpoſitam perſonam, aliquo modo, vel ingenio dare, & ſoluere plus, ſeu vltra pretium antedictum limitatum,vt ſuprà, ſub pœna decem librarum denariorum Tridenti,pro quolibet,& qualibet vice, qua contrafactum fuerit,cuius pœnæ medietas applicetur Communitati, & alia medietas accuſatori, ſiue inuentori.

¶ De precijs, siue salarijs laboratorum, siue operarum. Cap. 82.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd ipsi Syndici procurent, quòd nulla persona audeat, vel præsumat dare, & soluere laboratoribus vinearum, videlicet hominibus, mulieribus, & pueris à sexdecim annis infra pro eorum labore, vel mercede vltra pretia infrascripta, secundum tempora infrascripta, distincta, & limitata cum expensis secundum stylum Ciuitatis Tridenti dari consuetis, nec ipsi laboratores, mulieres, & pueri audeant, vel præsumant petere, aut recipere pro eorum laboribus, & mercede vltra pretia infrascripta, sub pœna charentanorum quadraginta pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafactum fuerit, tam à conducente, quam à conducto aufferenda, cuius pœnæ medietas applicetur Communitati, & alia medietas accusatori.

¶ Primo de mensibus Martij, Aprilis, Septembris, & Octobris, non detur, nec recipiatur vltra quatuor charentanos pro quolibet homine, & qualibet die, & duos charentanos pro qualibet muliere, & quolibet puero ætatis prædictæ.

¶ Item de mensibus Maij, Iunij, Julij, & Augusti, non dentur, nec recipiantur vltra quinq; charentanos pro quolibet homine, & qualibet die, & vltra charentanos tres pro qualibet muliere, & quolibet puero ætatis prædictæ.

¶ Item de mensibus Nouembris, Decembris, Januarij, & Februarij, non dentur, nec recipiantur vltra tres charentanos pro quolibet homine, & qualibet die, & duos charentanos pro qualibet muliere, & puero ętatis, vt suprà. Saluo eo, quòd ad ligonizandum, siue ad zappandum vineas quolibet tempore impunè dari, & recipi possint charentani quinq;, pro quolibet homine, & qualibet die, & non vltra, sub pœna prædicta.

¶ De sollicitudine custodiæ Ciuitatis. Cap. 83.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd ipsi Syndici procurent, & cum grandi sollicitudine sollicitēt circa custodiam Ciuitatis, videlicet portarum, & murorum, ne deficiant custodiæ in locis deputatis, & quicquid exindè percipitur, & exigitur sit eorundem sollicitantium, sub pœna aliquin quinq; librarum, nisi saltem semel in septimana sollicitauerint, vt supra.

¶ De sollicitudine aptationis viarum, & pontium. Cap. 84.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd ipsi Syndici procurēt, vt vię, pontes, rozalia, & his similia aptentur, & ad hoc exercendum possint precipere

pere magistris muratorijs, carpentarijs, bubulcis, & quod ad illud exercendum adsint, prout eis videbitur expedire, & pœnam imponere possint charentanorum sexdecim in die, & ipsam exigere à contrafacientibus, quam etiam augere possint, vsq; ad decem libras, nec aliquis, cui fuerit imperatum, possit se excusare prætextu alicuius priuilegij, vel alterius causæ, quo minus pareat, habita tamen sua condigna mercede. Quod si Syndici prædicta facere neglexerint, postquam eis fuerit notificatum, tunc pœnam incurrant librarum quinque, pro medietate Communitati, alia medietate accusatori applicandam.

¶ De Carrezatoribus alienarum possessionum. Cap. 85.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis intrauerit carrezando possessionem alicuius sine licentia Domini possessionis, condemnetur in libris quinq; bonæ monetæ, pro vna quaq; vice, qua carrezauerit, cuius pœnæ medietas applicetur Communi, & alia medietas Domino possessionis, & credatur vni testi, vel etiam Domino possessionis, cum sacramẽto tamen, & damnum passo reficiatur.

¶ De starijs, brentis, & alijs mensuris aptandis, & bullandis. Cap. 86.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd starij, brentæ, galetę, quartæ, quartaroli, pesaroli, stateręs, balanciæ, vncię, passeti, & his similia aptentur, & bulentur ad minus in anno bis, & maximè de mense Septembris, & de mense Martij, & toties, quoties videbitur esse expediens, & quod mensuræ, & pondera debeant esse eadem, & Communia in districtu Tridenti.

¶ De quinto pinguedinis in Ciuitate dimittendo. Cap. 87.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd aliquis Ciuis, vel forensis conducens de aliquo loco in Iurisdictionem Tridenti, seuum, axungiam, smalzum, caseum, & salsas carnes, & bestias à macello, & porcos pingues, & alias pinguedines, & mezenas, de quibus debet dimitti quintum per forenses, & dimidium per Ciues ad vendendum in Ciuitate Tridenti, si est forensis, vel dimidia, si est Ciuis, vel districtualis, cum illis debeat Ciuitatem intrare, & non ducere extra portas Ciuitatis, vel dissoluere ratem, vel nauem si essent in rate, vel naui, nisi dimissa illa dimidietate, vel illo quinto, quod dimitti debet, & illud consignare Procuratori communis, vel Deputato ad recipiendum quintũ, sub pęna amissionis rerum

prædictarum, quarum pœnarum media pars applicetur Communitati, & alia pars inuentori.

¶ De Iudicibus Appellationum Ciuitatis Tridenti. Cap. 88.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd Iudices Appellationum Communis Tridenti per Prouiſores eligantur Communis Tridenti, homines, quorum vnus ſaltem ſit Iuriſperitus de Ciuitate, ad quos ſpectet cognitio Appellationum à ſententijs Syndicorum Communis Tridenti, & quòd durent per quatuor menſes, prout alij Officiales.

¶ Quod à ſententia infra decem libras non appelletur. Cap. 89.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd in cauſis ciuilibus, vel criminalibus, quæ cognoſcuntur per Syndicos Communis Tridenti, non poſſit appellari à ſententijs ipſorum Syndicorum à quindecim libris infra bonę monetæ, nec dici ſententia nulla; ſaluo tamen iure grauaminis ad Conſules, ſicut in fine primi ſtatuti præſentis voluminis cautum fuit.

¶ Quod à ſententijs Iudicum appelletur ad Conſules Ciuitatis. Cap. 90.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd cauſæ Appellationum, quæ interponuntur à ſentẽtijs Iudicum Appellationum Communitatis Tridẽti, qui eliguntur per Conſules Ciuitatis, deuolui poſſint, & debeant ad ipſos Conſules Ciuitatis, qui Conſules, cum conſilio Iuriſperitorum partibus non ſuſpectorum, debeant dictas cauſas finire, & determinare. Eo ſaluo, quod in committendo ipſas cauſas Iuriſperitis, ſeruetur modus, & forma ſtatutorum Communitatis Tridenti, ſub rubrica, De cognoſcendis cauſis appellationum, & ſub rubrica, De ſalarijs Iudicum.

¶ De beſtijs comedibilibus, & victualibus non exportandis extra diſtrictum Tridenti. Cap. 91.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd aliquis non debeat conducere, ſeu conduci facere extra diſtrictum Tridenti, & eius Epiſcopatũ, abſq; licentia Conſulum & Prouiſorum Tridenti, aliquas beſtias viuas, ſeu mortuas, nec cotia, aut pelles confectas, vel non confectas, nec caſeum, ſmalzum, ſeuum, pinguedinem, nec alia victualia comeſtibilia, exceptis illis, quæ conducuntur de extra diſtrictum ad alienas partes, facientibus tranſitum; non derogando tamen iuri, & conſuetudini antiquæ dimit-

mittendi quintum per forenſes, & medietatem per Ciues, & diſtrictuales: & qui contrafecerit, perdat res, & quilibet ſit accuſator, & habeat quartam partem banni, & credatur vni ſoli teſti bonæ opinionis, & famę: ſaluo quòd ex mercatis generalibus poſſint abduci animalia viua, & non mortua, quæ ſuper foro Tridenti empta ſint, ſine dolo, & fraude, in ipſis quatuor mercatis generalibus Ciuitatis Tridenti ſuperius in alijs ſtatutis expreſſis, & quòd nullus Officialis poſſit dare licentiam conducendi contra dictum ſtatutum, ſub pœna prædicta, cuius medietas pœnæ applicetur Communitati, & alia medietas accuſatori.

¶ De ferro non exportando extra Ciuitatem, & Diſtrictum. Cap. 92.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd nullus audeat ferrum extra Ciuitatem, & diſtrictum Tridenti ſine licentia Domini exportare, & qui contrafecerit, perdat ferrum, & quilibet portans ferrum ad Ciuitatem teneatur ipſum manifeſtare Dominis Conſulibus, & Prouiſoribus prædictis, ſub pœna amiſſionis ferri non manifeſtati. Et ſi aliquis in rate, zata, vel alio quocunq; modo ferrum abſconditum portauerit, perdat ferrum, & dominus zatæ, ratis, & alterius artificij, in quibus ferrum abſconditum portabitur, ſoluat decem libras denariorum Communitati Tridenti, & quarta pars accuſatori ſoluatur.

¶ De his, qui aliquas vias communes, vel vicinales, vel riuos ſcienter occupauerint. Cap. 93.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quælibet perſona Ciuitatis, & diſtrictus Tridenti, quæ occupaſſet ſcienter aliquas vias communes, vel vicinales aquas, & riuulos Ciuitatis, & diſtrictus Tridenti, debeat eas liberas dimittere, & expedire infra quindecim dies poſtquam denunciatum fuerit eis, vel eridatum in illo loco, vbi habitat occupans: quod ſi nõ fecerit, ſoluat Communitati libras decem bonæ monetæ, & nihilominus compellatur ad ipſam viam, aquam, & riuolum expediendum, & Syndici, & Prouiſores Ciuitatis Tridenti, teneantur illud denunciare Domino, quòd occupans non velit obedire.

¶ De his, qui aliquas falſas menſuras tenuerint, & eis vſi fuerint, emendo, vel vendendo. Cap. 94.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi qua perſona Ciuitatis, & diſtrictus Tridenti, tenuerit in domo, vel ſtatione ſua, aliquam falſam menſuram,

furam, vel pondus, & ea, vel eis vſus fuerit, emendo, vel vendendo, puniatur, & condemnetur in viginti quinq; libris denariorum Tridenti, & quilibet ſit accuſator, cuius pœnæ medietas applicetur Communitati, & alia medietas accuſatori.

¶ De eligendis æſtimatoribus carnium. Cap. 95.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd eligantur boni, legales, & bonæ opinionis, & famæ, Supraſtantes, qui ſupereſſe debēt ad æſtimandum carnes, & ad videndum ne falſa dentur pondera, & ne carnes vnius beſtię vendantur pro alijs carnibus, & ne Becharij faciant contra ſtatuta.

¶ De forenſibus non recipiendis ad officia, niſi emerint poſſeſſiones. Cap. 96.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd nullus forenſis, licet verbo ſit factus Ciuis recipiatur ad officia Communitatis, niſi emerit domos, vel poſſeſſiones ſecundum facultatem bonorum ſuorum in æſtimatione, & voluntate Conſilij: Et hoc locum habeat in præſentibus, & futuris.

¶ Quod quilibet poſſidens bona in Ciuitate, & eius diſtrictu teneatur factiones ſuſtinere. Cap. 97.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quilibet poſſidens bona in Ciuitate, & eius diſtrictu, cuiuſcunq; ſtatus, & conditionis, & præeminentiæ exiſtat teneatur facere, & ſuſtinere factiones, & ſubire onera realia, & perſonalia vna cum Ciuibus, ſecundum facultatem rerum, quas poſſidet in Tridento, & in eius diſtrictu: & hoc ſtatutum non vendicet ſibi locum in illis perſonis, quæ de iure ciuili, vel canonico non tenentur.

¶ Quod ad brachium menſuræ Tridenti vendantur panni, & telæ. Cap. 98.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quęcunq; res cuiuſcunq; cōditionis exiſtant, quæ venduntur ad menſuram, vendantur ad menſuram brachij Tridenti, & non alterius menſuræ, in pœna, & ſub pœna librarum quinq; bonæ monetæ pro quolibet brachio, & amiſſionis rei venditę, exceptis telis albis, terlicijs, pannis lineis teutonicis ſpinatis, & alijs ſimilibus ſolitis vendi ad menſuram brachij de Monacho, quæ vendantur ad ipſum brachium de Monacho, excepto tamen fuſtano, qui debeat vendi ad menſuram Tridenti, ſub pœna prædicta.

¶ Quod

¶ Quod reuenditores non emant bladum in locis infraſcriptis inducendo careſtiam. Cap. 99.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, ne inducatur careſtia bladi in Tridento, quòd nullus reuenditor cuiuſcunq; conditionis exiſtat, audeat, nec præſumat emere caſeum, butyrum, nec bladum cuiuſcunq; conditionis generis exiſtat, nec facere forum de eis citra forum Egnæ, nec citra Tramenum, nec citra pontem Alpinum, nec citra Villam Faij, nec in Iuriſdictione Tridenti, ſub pœna charentanorum octo pro quolibet ſtario, & amiſſionis bladi, & caſei, & butyri, & charentanorum viginti pro quolibet ſtario, & vnius libræ pro quolibet caſeo, & vnius groſſi pro qualibet libra butyri, ſine licentia Prouiſorum, & Conſulum Ciuitatis: & reſeruato, quòd ipſi reuenditores impunè, & ſine licentia poſſint emere, & forum facere in Ciuitate, & extra cum forenſibus, & conducentibus bladum de Valle Lagarina, & Vicentina, & diſtrictu Veronæ, Mantuæ, Brixiæ, & aliarum Ciuitatum circunſtantium.

¶ Quod bladum ab equis vendatur à reuenditoribus ea menſura, qua emunt. Cap. 100.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quilibet reuenditor teneatur, & debeat vendere bladum ab equis ea menſura, qua emunt, ſub pœna charentanorum octo pro quolibet ſtario, & amiſſionis bladi.

¶ De venditione ſalis fienda, vt infra. Cap. 101.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſal vendi debeat in tocchis ſicut emitur, & quarta ſalis impleatur tribus vicibus, ſiue batilatis ad plus, ſextarius verò cum decem batilatis, & quilibet Ciuis, & diſtrictualis ſuppoſitus Poteſtariæ, & Iuriſdictioni Tridenti, habeat facultatem pro vſu ſuo emendi de ipſo ſale, quod erit conductum in Ciuitatem ad eandem menſuram, & pro eodem pretio, quo illud emitur à conductore ſalariæ ab ipſo mercatore ſalis, & non poſſit ſal menſurari, niſi de die, & non de nocte, & in ſtrata publica ante fonticum ſalis per menſuratores Communis, ſub pena Rhenenſium decem, diuidenda æqualiter inter Fiſcum, Cõmunitatem, accuſatorem, & partem læſam, in quam incurrat ipſe conductor ſalis, qui teneatur de facto ſui ſuperſtantis, & menſurator contrafaciens officio priuetur, & amplius ad illud, nec ad alia officia Communitatis recipi poſſit.

¶ De

¶ De lignamine percutiente in ponte Athesis, ne ipse pons cum maximis expensis factus destruatur. Cap. 102.

ITem statuimus,& ordinamus,quòd quandocunq; ,& quotiescunque, & quomodocunq; aliquod lignamen percusserit in aliqua pila,seu ædificio , siue lignamine dicti pontis, pro qualibet rate percutiente , & pro qualibet vice ratiarius , seu dominus ratis,siue lignaminis,quicunq; sit ille,masculus,vel fœmina,terrigena,vel forensis,soluat Communitati nostræ Tridenti,siue eius Procuratori pro ea libras quinquaginta bonæ monetæ, pro qualibet rate percutiente , & pro qualibet zatta libras viginti quinque , & pro quolibet plancono de per se charentanos octo , & pro qualibet bora charentanos quatuor , & amissionis lignaminis , & medietas dictæ pœnæ sit Domini , alia medietas Communitatis Tridenti , & damnum,& interesse dicti pontis,vltra dictas pœnas reficiat.

¶ Item quòd quicunq; ducens ratem , zattam, vel lignamen aliquod per ipsum flumen Athesis,teneatur , & debeat antequam applicet ad dictum pontem , & in eius pertinentijs notificare Procuratori dictæ Communitatis , vel Capitaneo portæ dicti pontis euentum ipsius ratis, zattæ, vel lignaminis , quod conducitur, & hoc in pœna , & sub pœna vigintiquinq; librarum denariorum , & amissionis lignaminis , cuius pœnæ medietas applicetur Domino,& alia medietas Communitati Tridenti toties,quoties contrafactum fuerit.

¶ De his, qui non iuerint ad custodiam. Cap. 103.

ITem statuimus,& ordinamus, quòd quilibet, cui præceptum fuerit , si ad custodiam portarum,siue murorum Ciuitatis non iuerit , & fecerit custodiam , soluat charentanos quatuor , pro quolibet , & qualibet vice, qua contrafactum fuerit , & ponatur vnus alius per officiales suis expensis.

¶ De habentibus officia non excusandis à custodia , seu scorta. Cap. 104.

ITem statuimus , & ordinamus, quòd aliquis non debeat excusari,nec possit excusari propter aliquod officium Communis, vel Domini , in quo positus esset,nec propter aliquam Capitaneatum, siue Castri custodiam , quam haberet , seu faceret , dummodo habeat salarium ab aliquo exercitu,seu cauakata , vel Officio , & si idoneum hominem non miserit loco sui, puniatur pro qualibet vice in vna libra bonæ monetæ.

¶ De

¶ De minoribus, & senibus non admittendis ad custodias. Cap. 105.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd Syndici non admittant ad custodiam murorum de nocte, nec ad portas, vel alias vigilias Nocturnas minores. xviij. annis, nec antiquiores septuaginta annis, sed eorum expensis ponant sufficientes, sub pœna charentanorum quadraginta.

¶ De somis, & ponderibus discargandis in Ciuitate. Cap. 106.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd omnes, & singulæ somæ, vegetes, & alia onera, & pondera, quę conducuntur cum equis, plaustris, & carretis ad Ciuitatem Tridenti, debeant in ipsa Ciuitate discargari, & deponi, & extra Ciuitatem non debeant conduci cum plaustris alienis, & nisi solummodo, cum bobus, & plaustris hominum Ciuitatis Tridenti, qui sustinent onera Ciuitatis, ita quod ibi sit emolumentum, vbi est onus, & sub pęna charentanorum quadraginta pro quolibet plaustro, seu pondere: exceptis mercimonijs Ciuium, qui possint dare sua mercimonia, cui voluerint ad ducendum.

¶ De venditione pannorum. Cap. 107.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd aliquis forensis extra Episcopatum natus, vel qui non sit Ciuis, & habitator Tridenti, non audeat vendere pannum de garzatura factum, nec ad retaium, seu ad scauezandum, nec caligas, nec alia mercimonia ad minutum, nisi tempore mercati, seu nundinarum generalium suprascriptarum: & qui contrafecerit, soluat pœnam decem librarum bonæ monetæ, pro vnaquaque vice, qua contrafactum fuerit, cum ipsius rei amissione.

¶ De tempore, quo Officiales Ciuitatis permanere debent in suo officio. Cap. 108.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd omnes Officiales electi per Cõmune, & Consilium generale Ciuitatis Tridenti, debeant permanere in officio sibi locato per quatuor menses duntaxat, & vltra ipsum tempus quatuor mensium se in ipso officio impedire non debeant, nec intromittere, sub pœna charentanorum quadraginta pro qualibet vice, & qui fuerit electus, infra annum ad aliquod aliud officium eligi nõ possit, & quòd Consules electores de se ipsis in Officiales electionem facere nõ possint exceptis Prouisoribus, qui debeant permanere per annum, & Procuratoribus

toribus Ciuitatis, qui si erunt idonei, & sufficientes possint in officio remanere per duos annos tantum.

¶ De onerationibus, & exonerationibus nauium, ratium, & zatarum. Cap. 109.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nullus audeat, nec debeat onerare, nec exonerare cum aliquibus mercimonijs extra Ciuitatem in villa, vel cirea, vel alibi, nisi in Ciuitate, & vadis ipsius Ciuitatis, sub pœna quinquaginta librarum denariorum Tridenti, cuius medietas applicetur Cameræ Episcopali, & alia pars Communitati, & accusatori, ne defraudetur muda, tam Domini, quàm Ciuitatis.

¶ De paysatoribus non debentibus in bladis aucupari. Cap. 110.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd aucupes, siue paysatores non debeant aucupari, siue paysare in milcis, pannicis, & alijs bladis intrando in eis, sub pœna librarum quinq; bonæ monetæ, pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafactum fuerit, & refectionis damni, & hoc vsq; ad diem Sanctæ Marię de Septembri, & quòd transacto illo die possint, cum minori tamen damno quo possunt, paysare impunè, & quòd non habentes accipitrem, siue sparauerium, & fuerint in societate habentis sparauerium, non audeant intrare campum à blado, sub pœna prædicta.

¶ De portantibus bladum extra Diœcesim Tridenti. Cap. 111.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nulla persona de quacunq; Ciuitate portet bladum cuiuscunq; generis sit, extra districtum Tridenti, & Episcopatum, sine licentia Consulum, & Prouisorum Ciuitatis, sub pœna vigintiquinq; librarum denariorum, & amissionis bladi, cuius pœnæ medietas applicetur Communitati, & reliqua pars inuentori pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafactum fuerit, & credatur vni testi bonæ opinionis & famæ cum sacramento.

¶ De conducentibus victualia ad Ciuitatem. Cap. 112.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quælibet persona de quacunq; Ciuitate, Episcopatu, & districtu, & de omnibus alijs locis, & partibus vndè voluerit, possit securè, & liberè sine contradictione aliqua victualia, excepto vino forensi non nato infra confines statuti vini, ad Ciuitatem, Districtum, Episcopatum, Ducatum, & Comitatum Tridenti con-

conducere, & conduci facere, & venire, secure stare, & inde ad eius libitum recedere, fiduciam in personis, & rebus eisdem victualia sic conducentibus concedendo ita quòd possit stare, ire, & redire sine contradictione alicuius personæ, exceptis tamen bannitis à Ciuitate, & districtu, & exceptis illis, contra quos represaliæ essent concessæ: Ita tamen quod conducentes ipsa victualia non possint, nec debeant aliquid conducere extra Ciuitatem, & Districtum, quod sit prohibitum exportari per statuta ipsius Ciuitatis per se, vel per alium: faciendo tamen rationem cum Ciuibus, & alijs districtualibus, quibus essent obligati, & satisfacere eisdem de his, quæ sibi tenerentur, non obstante priuilegio fori, vel aliqua alia exceptione, quam possent opponere, quod non essent de Iurisdictione Tridenti, vel quod essent nundinæ generales.

¶ De seno, & carectijs non segandis super Communibus, nisi ad terminum. Cap. 113.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nulla persona tam de Ciuitate, quam ab extra audeat, vel presumat secare, vel secari facere senum, vel carectias super Communi Ciuitatis Tridenti, sine speciali licentia Consulum, & Prouisorum Ciuitatis Tridenti, nisi post quindecim dies post Festum Sancti Michaelis, post quem terminum quilibet de districtu, ac faciens, & subiens onera Ciuitatis possit licitè, & impunè secare, & secari facere, & qui contrafecerit, soluat libras decem denariorum Tridenti, pro quolibet plaustro seni, vel carectiæ secatæ, cuius pœnæ medietas applicetur Communitati, & alia medietas accusatori, siue notificanti.

¶ De scrophis non spadatis tenendis in stallis. Cap. 114.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nulla persona debeat tenere in Ciuitate Tridenti, nec in eius Burgis aliquam scrophan, siue porcam non spadatam, siue castratam, nisi eam cõtinuè inclusam in stallis teneuerit: quæ, si exiuerit, & inuenta fuerit extra stalas vagari per Ciuitatem, vel eius suburbia, Dominus, vel Domina, cuius fuerit, soluat charetanos vigintiquatuor Communi pro qualibet vice, non obstante quod Dominus domus, in qua habitat ipsa porca, diceret, non est mea ista scropha, sed est vxoris meæ, vel familiaris mei: Et licitè, & impunè possint scrophę non spadatæ repertæ vagari per Ciuitatem, occidi.

¶ De ordinamento familiarium, & operariorum. Cap. 115.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd famuli, & famulæ, ſiue ancillæ, qui ſe aptant cum dominis, & dominabus aliquibus in Ciuitate Tridenti, & promiſerint ſeruire, & famulari ad annum, ſeu ad annos, ſiue ad aliquem terminum, non audeant, nec præſumant ante terminum, de quo conuenerint, recedere, ſed cum eis permanere debeãt, vt promiſerunt ad ſeruiendum eiſdem, niſi fuerint iuſta cauſa excuſatæ, vel excuſati, & hoc ſub pœna decem librarum denariorum, & amiſſionis ſalarij, & refectionis damni, & intereſſe, & ſi reficere, & refarcire non poſſunt, ſtent in carceribus arbitrio Dominorum Syndicorum Ciuitatis Tridenti.

¶ Item quod finito termino, de quo conuentum fuerit, & poſt tempus ſui receſſus, ſi neglexerint per duos menſes poſt receſſum ſuum petere ſalarium ſuum, & non petierint in iudicio, intelligatur, quod eiſdem fuerit integraliter ſatisfactum, & vlterius audiri non debeant, iurante domino, vel domina ſe integraliter ſatisfeciſſe, vel non teneri de iure ad ſolutionẽ dicti ſalarij ex aliqua cauſa: & ſi ipſi famuli, vel famulę petierint ſalarium ſuum infra menſem, habeant deinde ſpatium petendi ſuum ſalarium infra vnum alium menſem, & vlteriùs non audiantur, nec audiri debeant.

¶ Item quod operarij, & laboratores, qui vadunt ad opus in Ciuitate Tridenti habentes opus ea die, qua opus habuerint, & promiſerint laborare, non audeant, nec præſumant ire ad plateam, nec ſtare ſuper plateã ad male informandum, & impediendum alios laboratores, ſub pœna charentanorum vigintiquatuor pro quolibet, & qualibet die, qua contrafecerint prædictis.

¶ Item quod operarij, & alij laboratores, qui vadũt ad opus in Ciuitate Tridenti de die in diem ſeruientes Ciuibus, & alijs de Tridento, ſi non petierint mercedem, ſiue ſalarium ſuum infra menſem, in Iudicio habeantur, & intelligantur pro ſatisfactis, & vlteriùs non audiantur iurante domino, vel domina, ſe integraliter ſatisfeciſſe, vel non teneri de iure ad ſolutionem dictæ mercedis.

¶ Quod in vijs, & ſtratis non ſint, neq; diſcurrant ſeclarij, aquaroli, plazolæ, ſedilia, & ſeu neceſſaria latrinæ, & dugariæ, niſi fuerint coopertæ. Cap. 116.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd nulla perſona cuiuſcunque conditionis exiſtat, habeat vel tenere audeat aquarolum, vel ſeclarium ſuper viam, & ſtratam publicam, nec aliud, ex quo aqua immunda, vel

vel immundicies, aut putredo aliqua cadat, aut decurrat, vel decurrere poſſit in viam, aut ſtratam publicam, nec etiam audeat tenere latrinas, vel cloacas, neceſſaria, plazolas, aut dugarias in domo, vel infrà domos ſuas per modum, quo putredo, vel immundicies diſcurrere apertè poſſit in viam, aut ſtratam, vel contratam publicã, vel per modum, quo diſcoperte appareant in via, & ſtrata publica, in quam non poſſint etiam habere caput, niſi illud benè fuerit coopertum, & muratũ, ita quod nec videri, nec ex eis fetor ſentiri poſſit, & qui contrafecerit, ſoluat pro pœna libras quinque pro quolibet, applicandas Communi, & vlterius cogatur incontinẽti ad remouendum, & deſtruendum dictum aquarolum, ſeclarium, neceſſarium, latrinam, & dugariam, & ad illud, ſeu illam reaptandum, & reficiendum ita, & taliter, quòd putredo, & immundicies decurrere, cadere, exire, & ſtrauinare non poſſit in viam publicam, & contra hoc ſtatutum conſuetudo aliqua non valeat allegari in futurum, nec in præteritum.

¶ Quod in vijs, & ſtratis nemo audeat per feneſtras, aut oſtia proijcere aquas, vel immundiciem aliquam. Cap. 117.

NEmo proijcere audeat ex domo, vel Apotheca per feneſtras, nec per oſtia in viam, aut ſtratam publicam aquam immundam, vel ruſcum cineratium, ſpazaturã, vel aliquam immundiciem, & ſeu aliquod letamen, ſub pœna charentanorum octo, applicandorum Communi pro quolibet, & qualibet vice, nec etiam quis proijciat aquam claram per feneſtras, vel oſtia, niſi primo egrediatur oſtium, vel feneſtram cum per ſona quantum poteſt, ita quod videat tranſeuntes, ſub pœna charentanorum quatuor applicanda, vt ſuprà, ſi aliquem non balneauerit, ſi autem balneauerit, vel proiecerit ſupra dorſum aliquam immũdiciem, vt ſuprà, cadat in pœnam decem librarum bonæ monetæ, applicandam vt ſuprà, & in omni caſu teneatur ad damna, & intereſſe partis, & caput familiæ teneatur pro quolibet de familia ſua ad pœnas prædictas.

¶ De foſſatis communibus mundandis, & cauandis, & ſepibus reficiendis, ſi alter ipſorum voluerit. Cap. 118.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi aliqui conſortes inter ſe habuerint foſſatum commune in confinibus prædiorum ſuorum, & alter ipſorum voluerit mundari, vel cauari facere foſſatum, quòd alter compellatur pro parte ſua idem facere, vel ſoluere expenſas cauaturæ pro parte ſua, ſi hoc neceſſe fuerit: idem intelligatur, ſi aliquis habuerit foſſatum in parte ſuperiori, quod foſſatum conſueuit deriuare ad terram, vel

fossatum inferioris vicini, si vicinus superiorior voluerit cauare fossatum suum indigens cauatura, quòd inferior vicinus similiter teneatur cauare, vel cauari facere suum fossatum, ita quòd aqua liberè possit decurrere, dummodo prædictis suppetant facultates ad prædicta facienda: quod si facultates non suppetierint, alius tamen vicinus, qui velit cauare, possit id facere, & pro rata expensarum alium tangente, eundem valeat facere pignorari super fructibus talis prædij, non autem super ipso prædio, nec alijs stabilibus: hoc idem obseruetur in sepibus reficiendis, in confinibus casamentorum, hortorum, siue aliorum prediorum.

¶ Per quantum spatium arbores, & vineæ plantari debeant longè à termino confinium, & de cesis. Cap. 119.

ITem statuimus, quòd quilibet consors, seu quælibet alia persona volens plantare aliquam arborem fructiferam, vel non fructiferam, illam debeat plantare longè à termino confinium per tres pedes, & non minus: vineam verò si plantare voluerit, ipsam plantare possit, & debeat longè ab ipso termino per vnum pedem, & non minus: & si aliqua arbor fructifera, vel non fructifera nasceretur prope dictum terminum infra dictos tres pedes, quod ipsa debeat extirpari per eum, in cuius terra nata fuerit, infra tres dies, postquam eidem præceptum fuerit, & qui contrafecerit, soluat charentanos sexdecim pro quolibet, & qualibet vice, & arborem, & ipsas arbores remouere teneatur, exceptis cesis, quæ possint in confinibus plantari, quæ tamen ascendere non possint in altitudinem vlra quantitatem octo pedum, & hoc statutum futuris det formam negocijs, & non ad preterita reuocetur, & non habeat locum in cesis extantibus prope vias, nec in nemoribus.

¶ Ne in publico loco liceat ędificare. Cap. 120.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nemini liceat ædificare, vel aliquod ædificium remouere causa reædificandi, vel ponere, aut fundare in vijs, vel locis publicis absq; licentia Consulum Ciuitatis Tridenti, sub pœna arbitrio eorum imponenda, quam licentiam Domino Episcopo inconsulto facere alicui non possint ipsi Consules.

¶ De candelis ex seuo. Cap. 121.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quilibet faciens candelas de seuo in Ciuitate Tridenti, vel eius districtu, & dominio pro vendendo

teneatur, & debeat eas facere bonas, & de bono, & puro seuo, & non ponere in seuo, seu candelis, aliquam songiam, siue pinguedinem, vel farinam fabæ, vel aliquid aliud, propter quod candelæ reddantur deteriores. Item non possint ponere stopinos de stoppa, vel alia materia præter quã de bombyce, & si quis repertus fuerit habere candelas non bonas, vel aliter in præmissis contrafecerit, condemnetur pro qualibet libra candelarum in charentanos quinque, quorum dimidia applicetur Communi Tridenti, alia verò dimidia inuentori, & nihilominus candelæ non bonæ comburantur in Platea Ciuitatis Tridenti.

¶ De medicis forensibus. Cap. 122.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nullus forensis admittatur ad medicandum in Ciuitate, vel Districtu Tridenti, nisi se præsentauerit coram Dominis Consulibus Ciuitatis Tridenti, & eisdem ostenderit priuilegium Doctoratus obtentum in publica Vniuersitate, & nisi fuerit approbatus per Dominos Consules Ciuitatis Tridenti, ad tale officium exercendum, quorum approbatio Domino præsentetur, vt ab eodem, si videbitur, confirmetur, & si quis contrafecerit, incidat in pœnam librarum quinquaginta bonæ monetæ, pro qualibet vice, qua contrafactum fuerit, cuius pœnæ medietas applicetur Cameræ Fisci, & alia medietas Communitati Tridenti.

¶ Quod Aromatarij non possint habere societatem cum Medicis in arte speciariæ, vel medicinarum. Cap. 123.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd de cætero nullus Aromatarius, siue Speciarius, aut quilibet alius habens, tenens, siue faciens Apothecam speciarię, siue medicinarum audeat, vel præsumat quoquomodo per se, vel alium contrahere societatem, vel conuentionem aliquam facere in ipsa arte speciarię, & medicinarum cũ aliquo Medico, siue persona exercente artem medicinarum, & seu eidem Medico dare, seu promittere aliquid, vt vadat ad eius Apothecam ex causa medicinarum, sub pœna librarum quinquaginta bonæ monetæ, applicandarum, vt suprà in proximo statuto: Et ne prætextu rerum aromatarię, quæ plerumq; sunt reprobę, contingat homines periclitari, aut diutius in infirmitatibus teneri, Statuimus, & ordinamus, quòd omnes res aromatariarum venales sint bonæ, & sufficientes, & singulis annis semel tantum renouentur, præcipuè illę, quæ pro qualitate sua sunt renouandæ, aut etiam toties, quoties opus fuerit, & Medici duo cum duobus Aromatarijs, quibus iuramentum deferri debeat à Prætore, eligi debeant à Consulibus, & in eorum

negligentia, à Prætore, qui semel in anno visitare teneantur singulas apothecas aromatarias, & prouidere de rerum venalium sufficientia, iuxta proximè dicta: & quicquid per eosdem quatuor statutum fuerit, id sub pœna prædicta obseruetur, applicanda vt suprà, & sub pœna periurij officium suum fideliter, & sine personarũ acceptione exercere teneantur.

¶ Quod omnes infrascripti Saltuarij Ciuitatis, & infrascriptarum villarum teneantur denunciare querelas de damnis datis Notario, & ad Officium Syndicorum Ciuitatis Tridenti. Cap. 124.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd omnes Saltuarij Ciuitatis, & Plebis Supramontis, seu Basilicæ, Viguli, & Cadeni: Item Villarum Pisauacæ, Rauinæ, & Romagnani, Sardagnæ, Matarelli, Noualinæ, Viguli, Vatarij, Busentini, Mugazoni, Plebis Pahi, Cognolæ, Montagnæ, Gardularum, & Plebis Meani, & Albiani, teneantur, & debeant, quam primum constituti fuerint Saltuarij per eorum vicinos, se præsentare coram Syndicis Ciuitatis, & eorum officio, & iurare officium suum diligenter, & fideliter exercere, & omnes querelas de damnis datis, & illatis, dare, & denunciare ad ipsum officium Syndicariæ, sub pœna decem librarum Communitati Ciuitatis Tridenti, toties applicanda, quoties contrafactum fuerit.

¶ De gallinis, anseribus, & pullis repertis dare damnum. Cap. 125.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd omnes, & singulæ personæ taliter debeant continere gallinas suas, anseres, & pullos quoscunque, & similia animalia, quòd non inferant damnum in hortis, vineis, clausuris; circunstantibus: quod si non fecerint, liceat quibuscunque reperientibus sibi damnum dari ab ipsis, ipsas capere, & occidere, & pro se retinere, si voluerint pro damno suo; sin autem, quòd liceat accusare seruatis ordinibus suprascriptis de damnis datis per bestias: Adijcientes, quòd nulla persona, cuiuscunq; conditionis sit, audeat occidere columbos, tam domesticos, quam sylueſtres cum sclopis, aut alijs instrumentis, ad hoc, vt columbariæ ad Ciuitatis, & districtus commoditatem possint abundare, sub pœna vnius Rhenensis pro domestico, & medij Rhenensis pro quolibet sylueſtri columbo, cuius tertia pars sit Fisci, tertia Communis, & tertia accusatoris, & credatur vni testi bonæ famæ.

¶ De

¶ De spectantibus ad officium Dominorum Consulum. Cap. 126.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd Consules iuxta consuetudines Ciuitatis omni anno eligant duos viros discretos, & qui sint Ciues, ad officium pesaroli, & vnum ad passetum, videlicet mensurandum pannũ, & telas, quæ venduntur tempore nundinarum, seu mercatorum, & etiam alias, siue in grosso, siue ad minutum, ne aliquis defraudetur in mensuris, & eorum officium duret ad quadrimestre, & etiam eligant vnum virum discretum, & peritum, ad iustandum ballantias, & vnum ad iustandum brentas congiales, staria, & alias mensuras, quibus vina venduntur, motios, galletas, chatias, staria, quartarolos, & alia mensuras, quibus oleum venditur, & vnum ad iustandum staria, quartas, medias quartas, & alias mensuras, quibus venditur bladum, sal, & vnum ad iustandum pesarolos, stateras, plumbinos, & similia; quorum officium sit, & esse debeat annuum, & habeant præfati mensuratores, & iustatores pro mensuratione brentarum charentanos duos pro quolibet capite, pro reliquis verò mensuris, & ponderibus vnum charentanum tantùm pro quolibet capite, & non vltra, pœna quadrupli: & quod omnes Officiales iurent, & iurare debeant in principio sui officij, diligenter & fideliter officium suum toto tempore dicti sui officij exercere, nulla habita acceptatione personarum.

¶ Qualiter mensurati debeant panni cuiuslibet sortis in vendendo. Cap. 127.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quia ab antiquo panni consueti sunt in vendendo mensurari per cimossam, ideo statuimus, & declaramus, quod aliter mensurari non debeant ipsi panni, nisi posito toto digito pollice ad cimossam panni, intrando versus medium panni, & ad caput digiti pollicis, videlicet ad vngulam ponatur passetus, & mensuretur eo modo quodlibet brachium, addito semper cuilibet brachio, & mensuræ pollice ipso, ita quòd inter vnum brachium, & aliud remaneat vnus pollex, & prædicta fiant omni dolo, & fraude semotis: & si quis contrafecerit, puniatur de mensura non rectè data iuxta formam statuti, De mẽsuris rectis tenendis: & prædicta intelligantur de panno basso: de alto verò ille mensuretur, vt in vulgari dicitur, per schena.

¶ De palis, seu lattis, charocijs, extra possessiones non portandis. Cap. 128.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si aliqua persona quocunq; tempore anni reperiatur damnum dare in palis, perticis, seu lattis, charocijs,

cijs, altanis, sepibus, spinis, seu clausuris possessionum condemnetur, & puniatur in charentanis duodecim pro quolibet passio palorum, perticarum, seu latarum, vel clausurarum possessionum, vel similium, & pro quolibet charotio, seu altano in libris quinq; bonæ monetæ, & prædicta si talia damna illata fuerint de die: Si verò illata fuerint de nocte, soluat duplum in quolibet casuum prædictorum, & soluere teneatur damnum passo, in quam pœnam refectionis damni ipso facto intelligatur condemnatus: & si predicti condemnati soluere non poterint, quòd ipsi Syndici debeant eos poni facere ad berlinam, in qua stare debeant arbitrio Dominorum Syndicorum, & credatur, vt suprà in alijs statutis, & etiam liceat cuicunq; personæ apprehendere tales damnificantes, seu portantes similia ligna, & sibi accipere huiusmodi ligna, & denunciare ad officium Syndicatiæ, etiam si non fuerint deprehensi in damno, in quas pœnas, vt suprà, etiã puniantur reperti habere talia ligna in domibus eorum, concurrente eorum fama, cum quandoq; habitantes in suburbijs Ciuitatis credantur ob commoditatem damni dandi frequentiores esse, & audaciores in huiusmodi.

¶ De mensura palorum de larice, latarum, seu stellonorum. Cap. 129.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd de cætero pali de larice ad vites fiant, & fieri debeant grossi vncijs tribus cum dimidia circum circa ad minus, longi verò pedum octo legalium ad minus: perticæ verò, seu stelloni grossi vncijs tribus ad minus, longi verò duobus passibus ad minus, & qui contrafecerit, condemnetur in quatrinis duobus pro singulo palo, vel stellono, & amissione huiusmodi palorum, & stellonorum.

¶ De Saltuarijs debentibus bis in hebdomoda comparere coram Syndicis ad videndum si aliquæ querelæ fuerint contra eos datæ. Cap. 130.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd omnes Saltuarij teneantur, & debeant omni hebdomoda, durante eorum officio bis diebus diuersis cõparere coram Dominis Syndicis, & seu eorum Notario ad respondendum de iure, si quæ de ipsis fient querelæ, aut aliquæ fuerint datæ contra ipsos, occasione damnorum datorum in sua saltaria, & dominis prædictum denunciare, & notificare teneantur damna quę fuerint facta per eos, quos ipsi denunciauerint, sub pœna vnius libræ, & soluendi pœnam condemnationis, & damnum passo de suo proprio.

¶ Ad

¶ Ad quæ teneantur Piſtores, & alij vendentes panem, & de calmerio panis. Cap. 131.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, pro bono publico, quod Piſtores, & quicunque alij vendentes panem, teneantur facere, & fieri facere panem venalem benè coctum, & conſummatum ad ſufficientiam pro perſonis habitantibus in Ciuitate Tridenti, eiusq; diſtrictu, & qui panes venales ſint, & eſſe debeant ponderis, & ſeu ad penſam modo, & forma prout infra videlicet.

¶ Si ſtarium frumenti venditur charentanis duodecim, tredecim, uel quatuordecim, fiat panis duorum quatrinorum de pondere vnciarum tredecim pro pane albo fiorato. Ita tamen quod ſi frumentum uenditur charentanis quatuordecim, & in una bina deficeret una uncia, uel duæ, & ſit benè coctus, & ſeparatus, Syndici non puniant. Si uerò ſtarium frumenti uenditur communiter charentanis quindecim, vel ſexdecim, fiat panis, vt ſuprà, vnciarum duodecim pro ſingulo pane, à duobus quatrinis, ſi venditur ſtarium frumenti decem, & ſeptem, vel decem & octo charentanis, fiat panis vnciarum decem, ſi venditur charentanis decem & nouem, viginti, vel uiginti vno fiat panis unciarum nouem, ſi uenditur charentanis uiginti duobus, uiginti tribus, uel uiginti quatuor, fiat panis de uncijs octo, ſi uerò uenditur charentanis uigintiquinq;, uigintiſex, uel uigintiſeptem, fiat panis de uncijs ſeptem, ſi uerò uenditur charentanis uigintioćto, uigintinouem, uel triginta, fiat panis de uncijs ſex.

¶ Panes uerò ſiliginis bene coćti, & ſeparati uendantur ad pondera ſupraſcripta, iuxta pretium ipſius bladi, ſecundum limitationem de qua ſuprà, eo ſaluo, quòd pro quolibet pane teneatur addere duas uncias.

¶ Panis alemanus poſſit uendi duabus uncijs minus, quàm ſit panis Italus frumenti, pro quolibet pane frumenti, & qui contrafecerit in aliquo caſuum predićtorum puniatur in charentanis duobus pro qualibet uncia, & in amiſſione panis, cuius pœnæ medietas applicetur Communi, alia medietas inuentori, panis verò medietas ſimiliter applicetur inuentori, & alia medietas diuidatur inter pauperes Chriſti.

¶ De Peſatore, & Officiali ad pondus farinæ. Cap. 132.

QVoniam ad comprimendam malitiam molendinatiorum iam dudum inſtitutum fuit, quòd omni anno Domini Conſules eligant vnum virum probum, & bonæ famæ, & opinionis, cum ſalario Rhenenſium decem & octo in anno, & ratione anni, qui iuret ad manus Dominorum Conſulum ad Sancta Dei Euangelia fideliter, & diligenter attendere ad ipſum officium in ponderando blada, deinde farinam, quæ reportatur,

tatur, & singula describere in vno libro bene ligato, quem à principio sui officij sibi suis proprijs sumptibus, & pro toto anno instituat, & non in quinternis, & qui diligenter super attendat in ponderando tam bladum, quam farinam, & examinet, si quem dolum, & fraudem committant in alicuius præiudicium, & quicquid doli, vel fraudis comprehenderit, id in continenti, & per totam illam diem vinculo iuramenti denunciasse debeat ad officium Syndiciariæ fideliter, & quomodo, & qualiter commissa sit fraus, sub pœna charentanorum sex toties, quoties contrafactum fuerit.

¶ Statuta facta per sapientes contra molendinarios, ad euitandum eorum malitias, quæ cottidiè committuntur in graue damnum, & præiudicium totius populi Tridentini, & reuisa per Deputatos, vt infra. Cap. 133.

PRimò ordinatum, & obtentum fuit in pleno, & generali Consilio, quòd nullus molendinarius, nec alius eius nomine, vel familiaris, seu socius suus audeat, vel præsumat de cætero portare bladum ad molendinum suum, causa macinandi, nisi prius fuerit pòderatum per Officiales deputatos ad stateram Communis, sub pœna charentanorum octo, pro quolibet stario, etiam si dominus bladi noluerit ipsum bladum ponderari, cùm sit vtilitas publica, & non priuata.

¶ Item quòd quilibet molendinarius reportare teneatur, & debeat farinam dicti bladi, & de eodem blado ad rectum pòdus, videlicet, defalcando quatuor libras farinæ pro quolibet stario bladi: hoc est tres libras pro minello, & vnam libram pro volatica, & si minus fuerit, restituat incontinenti totum illud, quod defuerit domino bladi, sub dicta pœna.

¶ Item quòd quilibet molendinarius teneatur reportare farinam incontinenti, cum fuerit mazinata ad stateram, vt ponderetur cum eodem facco, cum quo fuerit ponderatum bladum, ne fraus fiat in facco, sub pœna charentanorum octo, pro quolibet stario.

¶ Item quòd nullus molendinarius tenere debeat aliquam stateram, vel pondus ad ponderandum farinam, antequam portet ad Officiū stateræ, ad hoc, vt molendinarius non habeat causam malignandi, & addendi aliquid in farinam, vel aliam falsitatem faciendi, vt veniat ad pondus, sub pœna charentanorum octo, pro quolibet stario farinæ.

¶ Item

¶ Item quòd molendinarij non audeant, vel præsumant facere aliquam falsitatem in blado, nec in farina, nec in facco, sub pœna decem librarum denariorum, pro qualibet vice, qua repertus fuerit in aliqua falsitate.

¶ Item quòd molendinarij non audeant permutare, seu cambiare bladum pro blado, nec farinam pro farina, sub pœna falsi, limitanda per Syndicos Communis Tridenti, & per Officiales ad hoc deputatos.

¶ Item quòd nullus molendinarius, vel alius eius nomine, audeat, vel præsumat bugatare aliquam farinam in molendino suo alicui personæ, postquam ipsa farina fuerit ponderata ad stateram deputatam, sub pœna charentanorum octo, pro quolibet stario farinæ, nisi forte illa persona cuius fuerit farina, vellet personaliter bugatare suam farinam.

¶ Item quòd nullus molendinarius, seu alius eius nomine, audeat, vel præsumat aliquid addere in farina mazinata, vel balneare saccũ, vel farinam, vel aliquam aliam falsitatem facere, vt veniat ad pondus, sub pœna falsi imponenda per Syndicos antedictos.

¶ Item quòd Officiales stateræ, debeant bullare, vel figillare saccos, cum quibus portant bladum, vt cum eisdem saccis dicti molendinarij debeant reportare farinam: & si non reportauerint ipsi molendinarij farinam cum eisdem saccis, puniantur pœna falsi, vt suprà.

BERNARDVS
DEI GRATIA
EPISCOPVS TRIDENTINVS.

COgnoscentes, ac cognoscere, & diffinire volentes causam, litem, & quæstionem vertentes inter fideles nostros Dilectos Ioannem Cosmam Balduinum Ciuem nostrum Tridentinum, tanquam Procuratorem Ciuitatis nostræ Tridentinæ ex vna, & Leonardum Scherer molendinarium fratrum Alemanorum, & Cristanum Herber molendinarium Nobilium de Firmiano Ciuitatis nostræ Tridentinæ parte ex altera, petebat namq; dictus Procurator dictos molendina-

dinarios iuris remedijs cogi, & compelli ad portandum bladum, quod sibi datur ad macinandum, & eiusdem bladi farinam reportandam ad pōdus, & stateram Communis Tridenti, iuxta formam statutorum factorum contra molendinarios, & sicut reliqui molendinarij indistinctè faciunt, & obseruant in Ciuitate, & Burgis macinantes: contradicebant dicti molendinarij negantes, se teneri ad tale onus, & dicentes se exemptos, & immunes vigore immunitatum, & priuilegiorum Dominorum suorum, & nunquam potasse bladum nec farinam ad stateram Communis: replicabat Procurator, negando aliquam immunitatem, saltem talem quæ eos excuset, & liberet, volentes alijs in Ciuitate, vel extra macinare, sicut indies faciunt. Et inquantum domini sui habeant priuilegiū aliquod, illud se non extendit, neq; debet extendere vltra confinia, & limites domorum suarum. Imo allegabat dictos molendinarios, seu eorum prædeceſſores id feciſſe per tempora antiqua, licet ab aliquibus annis citra id facere recuſent. Viſis atteſtationibus deſuper receptis pro parte præfatæ Communitatis, viſa continentia dictorum ſtatutorum viſiſque videndis, & conſideratis conſiderandis, habitoq; ſuper omnibus maturo conſilio, & deliberatione, viſo vltimo loco termino pro hac die, & hora partibus præfixo ad audiendum, & videndum in hac cauſa pronunciari; Chriſti nomine repetito, à quo cuncta recta procedunt iudicia; per hanc noſtram ſententiam diffinitiuam ſententiamus, & declaramus, prædictos molendinarios volentes alijs, quàm dominis, & familiæ dominorum ſuorum macinare, teneri, & obligatos eſſe ad portandum bladum, & deinde eius farinam ad pondus, & ſtateram Communis, & latiùs iuxta continentiam ſtatutorum Communis, & teneri facere circa præmiſſa, ſicut faciunt, & obſeruant cæteri molendinarij tam Ciuitatis noſtræ, quam Burgorum, ad hoc, vt malicijs, & fraudibus, quæ committi poſſunt in huiuſmodi, occurſum eſſe poſſit, & ita dicimus, & ſententiamus omni meliori modo, quibus meliùs de iure poſſumus, & debemus. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.

¶ Harum teſtimonio litterarum ſigilli noſtri appenſione munitarum. Datum Tridenti in Arce noſtra Boni Conſilij, Die vigeſima ſeptima Maij, Anno Domini milleſimo quingenteſimo decimo nono. Præſente dicto Ioanne Coſma Procuratore Ciuitatis, & huiuſmodi ſententiam laudante, & approbante.

¶ Præſente etiam Antonio Carriolo factore præfatorum Nobilium de Firmiano, & dicente, quod in quantum huiuſmodi ſententia continet aliquod præiudicium Dominorum ſuorum Nobilium de Firmiano proteſtatur, quòd illa non habeat præfatis dominis ſuis, nec eorum immunitatibus præiudicare, prædictis etiam molendinarijs præſentibus, & audientibus.

IN Christi nomine Amen. Anno eiusdem Natiuitatis millesimo quadringentesimo quintodecimo, Indictione octaua, die Mercurij quartodecimo mensis Augusti, Tridenti ad plateam Communis in statione Dominorum Syndicorum Tridenti, Præsentibus Honorabilibus Viris Domino Antonio de Molueno Iurisperito, Ser Ioachimo Notario de Mezasomis de Tridento, Ser Nicolao Stationerio de Tridento dicto de Coredo, Nicolao Ser Marcadenti de Mercadentis, Iacobino Notario de Possena, Nicolao Notario quondam Ser Pauli Massarij, Antonio Notario de Nogaredo, omnibus Ciuibus, & habitatoribus Tridenti, & alijs multis, ibidem Clarissimus legum Doctor, & Spectabilis Comes Palatinus, Dominus Laurentius de Gaussinis de Feltro, Vicarius, & Ius publicè dicens in ciuilibus, & criminalibus causis in Ciuitate, & Curia Tridentina pro Serenissimo Principe, & Excelso Domino, Domino Friderico Dei gratia Duce Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Comiteq; Tyrolis, & Ecclesiæ Tridentine Aduocato, & Defensore, & in temporalibus Gubernatore, & Domino dignissimo: Considerato, & attento quòd plures, & pluries oriuntur, & ortæ sunt quæstiones, & controuersiæ inter possidentes molendina super rugia magna molendinorum, discurrente in Ciuitatem Tridenti, tam exteriorum, quàm interiorum ex liuellationibus eorum molendinorum, & cum, vt ibidem dictum fuit, propter facomanum publicum factum in Tridento, non reperiatur, nisi vnum Instrumentum publicum de liuellationibus ipsorum molendinorum infrascripti tenoris, secundum quod Instrumentum ipsa molendina in guerra destructa sunt refecta, & reparata, & ad hoc, vt quilibet habens molendinum super dicta rugia possit videre, & habere recursum ad videndum, & ostendendum quantum altitudinis, & casus, siue descensionis aquæ habeat molendinum suum, commisit mihi Antonio Notario infrascripto, vt ipsum Instrumentum liuellationum penes me existens exemplare, scribere, & continuare debeam super libro statutorum, & designationum Syndicorum, & Communitatis Tridenti, vt insinuetur, & autenticetur, & exinde plena fides habeatur ad perpetuam rei memoriam &c. Cuius tenor sequitur, & est talis.

¶ Hoc est exemplum vnius publici Instrumenti liuellationum molendinorum Tridenti.

IN Christi nomine Amen. Anno eiusdem Natiuitatis millesimo trecentesimo nonagesimoquinto, indictione tertia, die Martis vigesimotertio mensis Martij, Tridenti, in Episcopali Palatio, in loco Iuridico consueto, Præsentibus Prouidis Viris, Domino Presbytero Rambaldo Decano Maioris Ecclesiæ Tridentinæ, Clemente eius

fratre filijs quondam Ser Murlini de Tridento, Ser Marcadento quondam Ser Franciſci Notarij de Tridento, Magiſtro Franciſco Barberio quondam Ser Ioannis de Baſelga, Antonio quondam Ser Ioannis Martini Apothecarij, & Martino Notario filio Ser Franciſci de Auolano Notarij teſtibus, & alijs: Ibidem coram Honorabili, & Sapiente Viro Domino Ioanne de Capitaneis Caſtri Sancti Petri de Bononia, legum Doctore, Vicario, & Ius publicè reddente in temporalibus in Ciuitate, & Curia Tridentina, pro Reuerendiſſimo in Chriſto Patre, & Domino, Domino Georgio Dei, et Apoſtolicę ſedis gratia Epiſcopo Tridentino. Conſtituti Diſcreti viri, Magiſter Dominicus Carpentarius de Verona habitator Sacchi, Vallis Lagarinæ Tridentinæ Diæceſis, et Magiſter Nicolaus dictus ab Organis, habitator Tridenti, expoſuerunt, et retulerunt ipſi Domino Vicario, ſe die heſterna, preſentibus Ser Paulo Maſſario Tridenti, filio quondam Ser Martini de Tridento, Ser Marcadanto teſte ſuprascripto, Ser Blaſio quondam Ser Francheti de Pomarolo Ciue, et habitatore Tridenti, me Franciſco Notario infrascripto, et alijs pluribus, de commiſſione, et mandato eis iniuncto per ipſum Dominum Vicarium, de ſpeciali commiſſione prælibati Domini Epiſcopi, fideliter, diligenter, et bona fide liuellaſſe molendina infrascripta, et liuellando ea reperiſſe per modum infrascriptum videlicet.

¶ Primo quòd molendinum Marci Notarij quondam Ser Odorici de Sporo ſitum ſupra in capite molendinorum ſupra Sanctum Franciſcum prope Tridentum, habet quinque pedes caſus, ſiue deſcenſus aquæ à ſummitate ſitelli, vsq; ad fundum.

¶ Item quòd molendinum prædicti Marci, videlicet à fundo, vſquè ad ſitellum molendini Nicolai Molendinarij, eſt vnus pes caſus, ſiue deſcenſus aquę.

¶ Item quòd ſitellum molendini dicti Nicolai habet quinq; pedes caſus aquæ, minus duobus digitis.

¶ Item quòd à fundo molendini dicti Nicolai, vsq; ad ſitellum molendini Magiſtri Bertholdi ſunt duo pedes, et duo tertij pedis caſus, ſiue deſcenſus aquæ.

¶ Item quòd ſitellum dicti Bertholdi, vsq; ad fundum habet quinq; pedes cum dimidio caſus aquæ.

¶ Item quòd à fundo dicti molendini Magiſtri Bertholdi, vsq; ad ſitellum molendini quondam Presbyteri Thomaſij, eſt medietas pedis, et parum plus deſcenſus aquę.

¶ Item quòd à ſitello dicti molēdini quondā Presbyteri Thomaſij, vsq; ad fundū, eſt quinq; pedū, & vnius tertij pedis caſus, ſiue deſcenſus aquę.

¶ Item quòd à fundo dicti molendini, vsq; ad ſitellum molendini quondā Odorici de Marchadentus, ſiue quondam Dominę Franciſcæ palāchi, eſt

eſt caſus aquæ vnius pedis, et vnius digiti.

¶ Item quòd à ſitello, vsq; ad fundum ipſius molendini quondam Dominæ Franciſcæ, eſt caſus aquæ quatuor pedum minus medio digito.

¶ Item quòd à fundo dicti molendini, vsq; ad ſitellum molendini Antonij quondam Ser Ioannis Martini, ſunt duo tertij pedis caſus aquæ.

¶ Item quòd à ſitello molendini dicti Antonij, vsq; ad fundum, ſunt quatuor pedes, et quartum pedis caſus aquæ.

¶ Item quòd à fundo dicti molendini dicti Antonij, vſquè ad ſitellum molendini Magiſtri Franciſci Barberij, eſt vnius pedis caſus aquę.

¶ Item quòd à dicto ſitello molendini Magiſtri Franciſci, vſquè ad fundum, ſunt quinq; pedes caſus aquę.

¶ Item quòd à fundo molendini dicti Magiſtri Franciſci, vſquè ad ſitellum molendini Franciſci Belinæ, caſus aquæ eſt duorum pedum, et octauæ partis pedis.

¶ Item quòd à ſitello molendini Franciſci prædicti, vsq; ad fundum, eſt caſus aquæ quatuor pedum, et duorum digitorum.

¶ Item quòd à fundo molendini dicti Franciſci, vsq; ad ſitellum molendini Ser Pauli Maſſarij, quondam ſer Martini, eſt caſus aquæ vnius pedis, et duodecimæ partis pedis.

¶ Item quòd caſus aquæ ſitelli dicti molendini Ser Pauli, à ſummo vsq; ad fundum, eſt trium pedum, et duorum tertiorum pedis.

¶ Item quòd à fundo ſitelli dicti Ser Pauli, vſquè ad ſummitatem ſitelli molendini quondam Morzanti, eſt eleuatio aquæ in altitudine quantitatis trium quartorum pedis.

¶ Item quòd ſummitas ſitelli dicti molendini Morzanti, vſquè ad fundum, habet caſum aquæ quatuor pedum cum dimidio.

¶ Item quòd à dicto molendino Morzanti, vsq; ad duos paſſus cum dimidio remotæ à ſitello ſoſinæ Magiſtri Petri à Calderijs, deſcenſus aquæ eſt dimidij pedis.

¶ Item quòd à dictis duobus paſſibus cum dimidio, vsq; ad ſummitatem ſitelli dictæ ſoſinæ, eſt caſus aquæ dimidij pedis.

¶ Item quòd caſus aquę dicti ſitelli, vsq; ad fundum, eſt quatuor pedum, et duorum tertiorum pedis.

¶ Item quòd à fundo dicti ſitelli, vsq; ad ſummitatem ſitelli molendini fratrum Alemanorum, caſus aquæ eſt vnius tertij pedis.

¶ Item quòd ſitellum dicti molẽdini, vsq; ad fundum habet caſum aquæ quatuor pedum, et duorum tertiorum pedis.

¶ Item quòd à fundo dicti molendini fratrum Alemanorum, vſquè ad ſummitatẽ ſitelli molendini Ser Federici Notarij de Paho, eſt æqualitas.

¶ Item quòd à ſitello dicti molendini Ser Federici, vsq; ad fundum, caſus aquæ eſt quatuor pedum, minus vno duodecimo pedis.

¶ Item quòd à fundo molendini dicti Ser Federici, vsq; ad summitatem sitelli molendini Ser Marci quondam Domini Bonauenturæ de Calapinis, casus, siue descensus aquæ est dimidij pedis.

¶ Ego Franciscus filius quondam magistri Iosij, Physici de Ruzia de Tridento, Imperiali authoritate Notarius, suprascriptis liuellationi molendinorum prædictorum, & relationi suprascriptorum Magistrorum Dominici, & Nicolai interfui, & rogatus per suprascriptum Paulum Massarium præsentem, de commissione, & mandato suprascripti Domini Vicarij publicè scripsi.

IN Christi nomine Amen. Anno eiusdem Natiuitatis millesimo quadringentesimo quintodecimo. Inditione octaua, die Sabbati vltimo mensis Augusti, Tridenti in Episcopali Palatio in sala, vbi ius consuetè redditur, Præsentibus sapienti viro Magistro Peregrino Physico de Venetijs, Venerabili viro Domino Zambono Canonico Tridentino, de Tridento, Odorico quondam Ser Federici Notarij de Paho, omnibus Ciuibus, & habitatoribus Tridenti, testibus, & alijs multis vocatis, & rogatis: Ibidem hoc suprascriptum Instrumentum liuellationum scriptum per me Antonium Notarium Ser Bertholasij, & per infrascriptos Notarios subscriptum, sumptum ex authentico originali integro illæso, & sine aliqua vituperatione apparente, scripto manu prædicti Francisci Magistri Iosij, Clarissimo legum Doctore, & Spectabile Comite Palatino, Domino Laurentio de Sauslinis de Feltro, Vicario, & ius publicè reddente in ciuilibus, & criminalibus causis in Ciuitate, & curia Tridentina, pro Serenissimo Principe, & Excelso Domino Domino Friderico Dei gratia Duce Austriæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, comiteq; Tirolis, & Ecclesiæ Tridentinæ Aduocato, & Defensore, & in temporalibus Gubernatore, &c. Insinuatum fuit, & in eius præsentia ibidem ad banchum pro tribunali sedente, per me Antonium Notarium infrascriptum, & alios Notarios infrascriptos, videlicet Nicolaum Rizatum, Marcum Zinellæ, & Iacobum Fanzini, solenniter & diligenter cum ipso authentico auscultatum, & perlectum, & quia ipse Dominus Vicarius, & Comes palatinus cognouit ipsum exemplum cum dicto authentico concordare in omnibus, & per omnia, vt descriptum est in ipso originali, vt eidem exemplo de cætero plena fides adhibeatur, & eundem, quem dictum originale, suum vigorem sortiatur, & de iure, & plena insinuatione solennitate fruatur, ex officio suo, & ex causa antedicta suam, & præhabiti Domini Ducis, & Communitatis authoritatem interposuit, & Iudiciale decretum.

¶ Ego

¶ Ego Marcus filius Ser Valentini de Burgo nouo, Ciuis Tridenti, publicus Imperiali authoritate Notarius, hoc supraſcriptum exemplum vnà cum infraſcriptis Nicolao, Iacobo, & Antonio Notarijs Tridentinis, hoc authenticum Inſtrumentum integrum, & illæſum ſcriptum manu, & ſub ſigno, & nomine dicti Franciſci Magiſtri Ioſij, coram ipſo Domino Vicario fideliter, & diligenter auſcultaui, & quia vtrunq; in omnibus, & per omnia, vt in ipſo originali continebatur, concordare inueni, de mandato dicti Domini Vicarij ad eiuſdem exempli plenam fidem, & teſtimonium, vt eidem exemplo plena fides adhibeatur, me ſubſcripſi, & ſignum mei tabellionatus in fidem præmiſſorum hic apposui.

¶ Ego Iacobus Fanzini filius quondam Ser Bertholdi à Turre Ciuis Tridenti, publicus Imperiali authoritate Notarius, hoc ſupraſcriptum exemplum vna cum ſupraſcripto Marco, & infraſcriptis Nicolao, & Antonio Notarijs Tridentinis, hoc authenticum Inſtrumentum integrum, & illæſum ſcriptum manu, & ſub ſigno, & nomine dicti Franciſci Magiſtri Ioſij, coram ipſo Domino Vicario fideliter, & diligenter auſcultaui, & quia vtrunq; in omnibus, & per omnia, vt in ipſo originali continebatur, concordare inueni, de mandato dicti Domini Vicarij, ad eiuſdem exempli plenam fidem, & teſtimonium, vt eidem exemplo plena fides adhibeatur, me ſubſcripſi, & ſignum meum tabellionatus in fidem præmiſſorum hic apposui.

¶ Ego Nicolaus filius quondam Magiſtri Ognibeni Sartoris de Burgo nouo de Tridento, publicus Imperiali authoritate Notarius, hoc ſupraſcriptum exemplum vnà cum ſupraſcriptis Marco, & Iacobo, & infraſcripto Antonio Notarijs Tridentinis, hoc authenticum Inſtrumentum integrum, & illæſum ſcriptum manu, & ſub ſigno, & nomine dicti Franciſci Magiſtri Ioſij, coram ipſo Domino Vicario fideliter, & diligenter auſcultaui, & quia vtrunq; in omnibus, & per omnia, vt in ipſo originali continebatur, concordare inueni, de mandato dicti Domini Vicarij, ad eiuſdem exempli plenam fidem, & teſtimonium, & vt eidem exemplo plena fides adhibeatur, me ſubſcripſi, & ſignum mei tabellionatus officij in fidem præmiſſorum hic apposui.

¶ Ego Antonius filius Ser Bertholaſij de Burgo nouo Ciuis Tridẽ. publicus Imperiali authoritate Notarius, hoc ſupraſcriptum exemplum ex dicto authentico originali integro illæſo, & ſine aliqua vituperatione apparente fideliter sūpſi, nil addens, vel minuens, quod ſenſū, vel ſententiã mutet, & poſtmodum in præſẽtia dicti Domini Vicarij, cũ dictis Marco,

Iacobo, & Nicolao Notarijs Tridentinis diligenter cum ipso authentico auscultaui, & quia vtrunq; in omnibus, & per omnia, prout in ipso originali continetur, concordare inueni, de mandato ipsius Domini Vicarij, ad plenam fidem, & testimonium me subscripsi, & signum mei tabellionatus apposui consuetum, ac suprascriptam insinuationis solennitatem, & auctoritatis, & decreti interpositionem ex causa prædicta in publicam formam redegi, anno indictione, die, & loco, & testibus, vt supra.

¶ Ego Gratiadens publicus imperiali authoritate Notarius, Ciuis, & habitator Tridenti filius quondam ser Antonij de Castello de Trilaco Diœcesis Tridenti, Ciuis, & habitator Tridenti, prædictum Instrumentum liuellationum cum insinuatione, & subscriptionibus dictorum Notariorum notatum, & notatis, & scriptum, & scriptis super libro antiquo Syndicorum prædictorum Tridenti, & ad instantiam Procuratoris Tridenti hic transcripsi, & notaui, nil addens, vel minuens, quod sententiam, vel sensum mutet, & in fidem præmissorum hic me subscripsi, & signum mei tabellionatus hic consuetum apposui.

IN Christi nomine Amen. Anno Natiuitatis eiusdem millesimo quadringentesimo duodecimo, Indictione quinta, die Iouis vigesimo quinto mensis Februarij hora vesperarum, Tridenti, in loco, & ad banchum vbi ius coram Dominis Syndicis redditur consuetum, præsentibus prouidis viris ser Antonio ser Bertholasij, Nicolao quondam magistri Onibeni sartoris de Burgo nouo, Notarijs, Ciubus, & habitatoribus Tridenti, Ognibeno dicto Castellano de Cadeno, Antonio de Franzarellis de Supramonte testibus, & alijs pluribus ad hęc vocatis specialiter, & rogatis: Ibidem in Iudicio coram Honorabili, & Circunspecto Viro Domino Ioachino Notario quondam ser Petri Notarij de Mezasomis de Tridento, tanquam Syndico, & ad officium Syndicatiæ Communitatis Ciuitatis Tridenti per homines, Commune, Consilium, & sapientes decuriones in publico, & generali Consilio ad sonum campanæ, vt moris est, congregatos, constituto, & deputato ad suum solitum banchum iuris dicti officij Syndicorum pro iure reddendo, vt moris est, pro tribunali sedente, comparuerunt Bertholdus quondam Nicolai Afologno, Lucas Molędinarius, ser Antonij Notarijs, ser Bertholasij, Balthasar Molendinarius magistri Lucæ Barberij, Martinus Molendinarius, Antonij Bomartini, Dominicus Molendinarius hæredum quondam Domini Francisci Belinæ. Ioannes Bressanus Molendinarius hæredum quondă ser Pauli Notarij de Tridento, Franciscus Molendinarius hæredum quŏdam ser Morzanti de Perzino, Marcus Molendinarius fratrum Alemanorum de Tridento. Coradus Molendinarius hæredum quondam ser

Federici

Federici Notarij de Paho, omnes Molendinarij super canali interiori, & cum graui lamentatione conquesti fuerunt de Cescho quondam Tubai de Tubais de Terlaco, Molendinario Monasterij Sancti Michaelis prope Tridentum, ibidem præsente, & audiente, contra eum dicentes, & proponentes, quòd consuetudo fuit, & est obseruata in Ciuitate Tridenti per molendinarios ipsius Ciuitatis per tantum tempus, cuius initij, vel contrarij memoria non existit, quod aqua Fersinæ partitur, & est consueta partiri, & poni per modum infrascriptum, videlicet, quòd duæ partes ponuntur, & poni debent in canale interius, & vna dictarum partium seruiat Ciuibus, & Ciuitati per rugiolas ipsius Ciuitatis, & altera pars, vt seruiat molendinis, reliqua tertia pars ponitur in canale exterius, vt seruiat postis fabrorum, & molendinis existentibus super dicto canali, & quando ipsa aqua Fersinæ efficitur parua in tantum, quod non potest seruire dictis duobus canalibus, tunc partitur ita, & dantur dies ad seruiendum cum ipsa aqua, quia duobus diebus debet dimitti discurrere, & labi per canale interius, & tertia die debet dimitti discurrere per canale exterius, & sic semper fuit, & est obseruatum per tantum tempus, cuius memoria non existit in contrarium, & quòd quicunq; accipit aquam de altero dictorum canalium sine licentia Domini Vicarij, & Syndicorum Tridenti, & Gastaldi molendinorum Tridenti, cadit in pœnam viginti. quinq; librarum denariorum Tridenti, cuius pœnæ medietas applicetur Communitati Tridenti, & altera medietas damnum patienti. Et cum de presenti propter siccitatem ipsa aqua Fersinæ sit in tanta paucitate, quòd non potest seruire duobus canalibus antedictis, & super canali exteriori non sit de presenti nisi vnum molendinum, in quo moratur ipse Ceschus, qui laboret, & ipse Ceschus occultè, & sine licentia Domini Vicarij Tridenti, & ipsorum Dominorum Syndicorum, & Gastaldi sui ipsorum molendinorum pluries, & pluries, de præsenti mense acceperit ipsam aquam de vase, seu canali interiori, in grande damnum ipsorum molendinorum, & ob hoc ipse Ceschus ceciderit in pœnam prædictam, cum instantia petierunt ipsum Ceschum condemnari in dictam pœnam, & moneri, & mandari eidem, quòd de cætero non audeat, nec præsumat accipere ipsam aquam de dicto canali interiori sine licentia prædicta, & sub pœna prædicta: Quibus respondendo dictus Ceschus dixit, quòd nō debet condemnari ad petita, quia ipsam aquam non accepit, nec mouit, nec accipi fecit, & quòd licet non sit nisi molendinum suum super canali exteriori, tamen sunt quamplures postæ fabrorum, qui libenter vellent cum ipsa aqua laborare, vt ipse, & quòd saltem vna die in septimana deberet sibi dicta aqua dimitti, vt ipse, & alij consocij sui possent laborare. Quibus auditis, & electione sibi Cescho data, qua die in septimana potius voluerit ipsam aquam pro se, & socijs suis habentibus postas, & ædificia

ficia ad laborandum ſuper dicto canali exteriori, & ipſo Ceſcho pro ſe, & conſortibus ſuis eligẽte diem Veneris, videlicet, à Veſperis diei Veneris vsq; ad Veſperas diei Sabbati, ad accipiendam ipſam aquam de canali interiori, ad canale ſuum exterius pro laborando, & cauſa laborandi cũea, donec aqua creuerit: Prefatus Dominus Syndicus ſedens pro tribunali de conſenſu, & voluntate antedictorum molendinariorum conceſſit licentiam, & poteſtatem dicto Ceſcho præſenti, & pro ſe, & ſuis conſortalibus petenti impunè accipiendi ipſam aquam Ferzinæ de canali interiori ad ſuum canale exterius, à dictis Veſperis diei Veneris, & eam tenendi vsq; ad Veſperas diei Sabbati, cum hac conditione, quòd eam aquam in Veſperis diei Sabbati reducat ad canale interius, donec aqua ipſa creuerit, ſaluo, & reſeruato, quòd ſi infortunium ventorum, vel incendij tali die Veneris eſſet in Ciuitate, ipſam aquam ad ipſam Ciuitatem diſcurrere permittere debeat, mandans etiam dictis omnibus molendinarijs præſentibus, & audientibus, quòd ſub dicta pœna vigintiquinq; librarum denariorum committenda, & ſoluenda (vt præmiſſum eſt) non audeat aliquis eorum accipere ipſam aquam de cætero, nec remouere de vaſe, ſeu alueo ſuo dictorum canalium, ſine licentia Domini Vicarij Tridenti, & Syndicorum Tridenti, & requiſitione Gaſtaldi eorum, excepto eo, quòd eidem Ceſcho, & eius conſortalibus indultum, & conceſſum eſt propter paucitatem aquæ de præſenti exiſtentem, propter ſiccitatem vigentem: Alioquin contrafaciens condemnabitur, & pignorabitur iuxta antiquam conſuetudinem de præmiſſis obſeruatam.

¶ Ego Gratiadeus publicus Imperiali authoritate Notarius, filius Ser Antonij de Caſtello de Trilaco Diœceſis Tridentinæ, Ciuis, & habitatoris Tridenti, prædictis omnibus, & ſingulis interfui, & rogatus publicè ſcripſi.

IN Chriſti nomine Amen. Anno Natiuitatis eiuſdem milleſimo quadringenteſimo, indictione quinta, die Sabbati vigeſimonono mẽſis Martij, Tridenti in Caſtro Boni Conſilij, in ſala magna ad feneſtram magnam, preſentibus Venerabilibus viris, Domino Presbytero Nicolao de Venetijs, Beneficiato in Eccleſia magna Tridenti, Domino presbytero Paulo Plebano in Lomaſſo Vallis Iudicariæ, Domino Presbytero Antonio de Tridento, ac Egregio legum Doctore Domino Antonio Cinel de Leudro, Vicario in Spiritualibus Tridenti, Domino Ioanne fratre Domini Petri Magiſtri coquinæ in ipſo Caſtro, teſtibus, & alijs vocatis, & rogatis: Ibidem coram Illuſtriſſimo Principe, ac Reuerendiſſimo Domino, Domino Alexandro Dei gratia Epiſcopo, & Domino Tridentino, ac Duce Mazouiæ, &c. Conſtitutæ fuerunt partes infraſcriptæ, cauſa volendi ad concordium peruenire, ne amplius diſcordia aliqua

oriatur

oriatur inter ipſas partes, &c. Cauſa parcendi expenſis de lite, & cauſa, quæſtione, & controuerſia vertente, & quæ de præſenti vertitur inter diſcretum virum Ser Antonium Notarium, Ser Bertholaſij de Burgo nouo de Tridento, tamquam Syndicum, & Syndicario nomine hominum, & perſonarum Vniuerſitatis Communitatis Tridenti, ex vna agentem, & petentem, & Gaſparinum quondam Bertholdi de Vigo Meani tanquam Syndicum, & Syndicario nomine hominum, & perſonarum Vniuerſitatum, & Communitatum Plebis Meani, & Ciuezani, & Naſſimbenum à Rechalco de Pinedo, vti Syndicum, & Syndicario nomine hominum, & perſonarum totius plebis Pinedi, & Antonium Placeriæ de Vigulo Vattario, tanquam Syndicum, & Syndicario nomine hominum, & perſonarum Vniuerſitatum, Villarum Viguli, Vattarij, Buſentini, & Mugazoni, & Ioannem Chilette de Gabiolo de Paho, vti Syndicum, & Syndicario nomine hominum, perſonarum totius Plebis Pahi: Quæ Communitates, & Vniuerſitates ſupraſcriptarum Villarum ſunt ab vna parte Ciuitatis Tridenti verſus mane, & Leonardum quondam Ser Aldrigetti de Cadeno, vti Syndicum, & Syndicario nomine hominum, & perſonarum totius Plebis Supramontis facientes per ſe omnes ſupraſcriptos Syndicos, & vice, & nomine Syndici Villæ Trilaci, & nomine, & vice Syndici totius Plebis Calauini, & etiam Syndici Plebis Cauedeni, quæ Vniuerſitates, & Communitates ſupraſcriptarum Villarum ſunt ex alia parte dictę Ciuitatis Tridenti verſus ſero. Nam dictus Ser Antonius Notarius, vti Syndicus hominum, & perſonarum Vniuerſitatis Communitatis Ciuitatis prædictæ, petebat atquè petit à prælibato Illuſtriſſimo, ac Reuerendiſſimo Domino Epiſcopo Tridentino, per eum debere condemnari ſententia ſua diffinitiua, & condemnatos compelli, & arctari omnes ſupraſcriptos Syndicos comparentes pro ſe, & pro dictis ſuis vniuerſitatibus, ac comparentes, & facientes pro alijs Syndicis abſentibus, & pro ſuis Vniuerſitatibus, prout ipſe Ser Antonius, vti Syndicus Communitatis Tridenti in ſcriptis produxit, & ſequitur, & incipit, Reuerendiſſime Pater, ac Princeps Sereniſſime. Coram Benigniſſimo Principatu, & Dominatione veſtra gratioſiſſima, cum debita reuerentia comparet Antonius quondam Ser Bertholaſij de Burgo nouo de Tridento, tanquam Syndicus, & Syndicario nomine hominum, & perſonarum Vniuerſitatis Communitatis veſtræ Tridentinæ, & Suburbiorum ipſius Ciuitatis, contra, & aduerſus homines, ac perſonas Vniuerſitatum, & Communitatum Villarum, & Plebiũ Supramontis, Callauini, Caudeni, & Cãpellæ Trilaci, ſitarum ab vna parte dictæ Ciuitatis verſus ſero, & Villarum, ac Plebium Ciuezani, Pinedi, Meani, & Villæ Albiani, & Viguli Vatarij, Buſentini, & Mugazoni, ſitarum ab alia parte verſus mane, & inter earum Communitatum Syndicos, & Procuratores in earum

rum Syndicatibus productis nominatos, non per modum alicuius libelli, sed per modum simplicis petitionis, & facti narrationis, agit, asserit, & proponit, quod Communitates Villarum, Plebium, & Capellarum prædictarum subiectæ sunt Iurisdictioni, & Curiæ Tridenti, & mẽbra sunt ipsius Ciuitatis Tridenti, & quod Vicarius, qui reddit publicè Ius in ciuilibus, & criminalibus causis in Ciuitate, & Curia reddit ius de hominibus, & personis dictarum Communitatum, Plebium, & Capellarum prædictarum, & quod ipsæ Communitates dictarum Plebium, & Capellarum in nundinis Sancti Ioannis Baptistæ de Iunio, Sancti Michaelis de Septembri, Dedicationum Sancti Vigilij, & festi Oliuarum transmittuat, & consueti sunt transmittere homines ad custodiam ipsius Ciuitatis, per tantùm tempus, quod non extat memoria in contrarium, & quòd quandocunq; imponuntur, & mandantur stipendiarij, & armigeri haberi ad ipsa Ciuitate, & eius Curiæ baculo, pro defẽsione, & bono statu ipsius Ciuitatis, & eius Dominij, dicti stipendiarij, & armigeri petiti, & impositi ad satisfaciendum eisdem, diuiduntur in tres partes, & eisdem soluitur, & satisfit per ipsam Communitatem Tridenti pro tertia parte, & per dictas alias duas partes ab extra, pro alijs duabus tertijs, & sic est rei veritas, publica vox, & fama, & per tantum tempus, quòd non extat memoria hominum in contrarium, & quòd ipsæ tres partes dictarum Communitatum ad refectionem, & conseruationem Athesis turris, Busi Vellę, murorum Ciuitatis, ad dictum pontem Athesis, roſtæ de centa, turris, & campanæ palatij, bulphedi Sancti Martini, & aliarum quam plurimarum reparationum factarum in ipsa Ciuitate, & in eius ædificijs factis ad eius Dominij, & ipsius defensionem, & bonum statũ, soluerunt, & contribuerunt quælibet ipsarum partium pro sua tertia parte, & sic ipsæ partes ab extra pluries requisitæ in Iudicio, & extra confessæ fuerunt prędicta omnia, & singula vera esse, & fuisse, & aliquæ Communitates, videlicet Pahi, & Albiani scientes prædicta esse vera, & fuisse, cesserunt liti, & se victas esse voluerunt, causa vitandi expensas, & quòd pro bono statu, & defensione Iuris, honorum, & status ipsius Ciuitatis, & eius Dominij, per Prouisores, & Procuratores, & Consules ipsius Ciuitatis factæ sunt expensæ infrascriptæ nondum totaliter solutæ, propter quas soluendas quęlibet ipsarum trium partium tenetur pro quælibet sua tertia, secundum morem, & consuetudinem antiquam obseruatam, et obtentam in dicta Ciuitate per tantum tempus, quod non extat memoria in contrarium, et semper ipsi Ciues temporibus retroactis fuerunt in ipsa possessione contribuendi, imponendi, exigendi, et satisfaciendi, et quod duæ partes ab extra requisitæ pluries, et pluries, et quam requisitionem etiam facit, de præsenti dictus Syndicus dictæ Ciuitatis Tridenti, vt soluant, et contribuant, et satisfaciant duas partes de tribus

parti-

partibus ipſarum expenſarum,hoc indebitè, & iniuſtè facere recuſarunt, & de præſenti recuſant hæc, quæ dictæ partes ab extra aſtrictæ ſunt de iure ad ſoluendum, & contribuendum cum ipſa Ciuitate Tridenti omnia,& ſingula quæ ſunt neceſſaria,& opportuna ad defenſionem iurium, & ſtatutorum, & honorem ipſius, & eius Dominj, videlicet, quælibet pro ſua tertia: & quòd hæc dum peterentur infra dictæ duæ partes ab extra, ſiue maior pars eorum coram veſtra Maieſtate obtulerunt velle ſtare Sacramẽto diffinitiuo Ciuium Tridenti veſtræ Ciuitatis, expertorum de prædictis,& inferiùs nominatis,videlicet Quare prædictis rationibus, & cauſis ſeu alia,quæ ſufficiat cum inſtantia petit dictus Syndicus veſtræ Ciuitatis Tridenti à veſtra gratioſiſſima Dominatione, & Principatu, quatenus per veſtram ſententiam diffinitiuam, & omnibus iure,via,modo, & forma,quibus melius fieri poteſt,pronuncietis,& declaretis dictas duas partes ab extra teneri, & obligatas eſſe ad ſoluendum, & contribuendum vtramq; earum pro ſua tertia cum dicta Ciuitate Tridenti omnia, & ſingula facta, & geſta de expenſis infraſcriptis, & quæ de cætero occurrerint, & ſuperuenerint facienda ad bonum, & pacificum ſtatum, & defenſionem iurium, ſtatus, & honorem dictæ veſtræ Ciuitatis Tridenti, & eius Dominj, & dicta declaratione facta, condemnetis dictas Communitates ab extra, & dictos eorum Syndicos pro eis, & condemnatas iuris remedijs compellatis ad contribuendum dandum, & ſoluendum, & quod dent, ſoluant, & contribuant duas partes de tribus partibus infraſcriptarum expenſarum factarum, vt infra deſcribitur, & quod dent, ſoluant, & contribuant de cætero, quæ occurrerint facienda, & expedienda ad defenſionem, & pro bono, & pacifico ſtatu Iuris, & hõnoris dictæ veſtræ Ciuitatis, & eius Dominj: & ſi contradictores exiſtant, petit expenſas factas, quæ faciunt ducatos decem, & de faciendis impoſterum proteſtatur: Saluo omni alio ſuo iure, & ſaluo iure addendi, minuendi, declarandi, &c. petens etiam in omnibus,& ſingulis premiſſis iuſtitiam ſummariam, ſecundum formam Iuris, & ſtatutorum Tridenti, & prout Iuris ratio poſtulat, & requirit, ſibi adminiſtrari: non aſtringens ſe dictus Syndicus ad omnia, & ſingula ſupraſcripta probanda, ſed ſolum ea, vel id, quę, vel quod ſufficiat ad victoriam cauſæ. Super qua petitione habita, & data primitùs copia eiuſdem, reſponſum fuit per Syndicos ipſarum Communitatum,& Vniuerſitatum ab extra,quod non volebant compelli ad petita, negando narrata, prout narrantur,vera eſſe, & dicendo petita, prout petuntur,de iure fieri non debere, etiam prout in ſcriptis produxerunt, quorum quidem tenor talis eſt, & incipit.

IN nomine Iesu Amen. Illustrissime princeps, ac Reuerendissime Domine, Domine noster gratiosissime, &c. Coram Serenissima Ducali Dominatione, ac Reuerendissima Paternitate Vestra debita cum reuerentia comparent, & se præsentant personaliter Vestri fideles seruitores Leonardus quondam Magistri Aldrigeti de Cadeno, Adelperius dictus Fantus de Trilaco, Franciscus quondam Ser Iordani de Vezano, Gasparinus quondam Berthoni de Vigo Meani, Nascimbenus filius Ser Nicolai de Recalcho de Pinedo, Antonius dictus Placerra, filius Nicolai Placerræ de Vigulo Vatario, & Ser Odoricus Zambaldus, quondam Ser Donati de la Laguna, omnes de vestra Diœcesi Tridentina, tanquí Syndici, & Syndicarijs nominibus hominum, & personarum Communitatum, Vniuersitatum, & Villarum, Plebium Supramontis, Calauini, Cauedeni, & Capellæ Trilaci ab vna parte Vestræ Ciuitatis Tridentinæ vltra Athesim versus sero sitarum, & Plebium Meani, Ciuezani, & Pinedi, & Villarum Viguli, Vattarij, Busentini, & Mugazoni, ab altera dictæ Ciuitatis parte, citra Athesim orientem versus iacentium, & positarum, omnium, & singularum de vestra prædicta Diœcesi Tridentina communiter, simul, & diuisim, & præsertim eorum vnusquisq; prout in publicis suorum Syndicatuum documentis, coram præfibata Illustrissima Ducali Dominatione Vestra productis euidentissimè continetur, contra, & aduersus Egregios, & Sapientes viros, Ser Antonium Notarium, Ser Bertholasij, Ser Guilielmum Notarium Sarracenum de Tridento, necnon Ser Iacobum de Archo Ciuem Tridentinum, & eorum quemlibet, Syndicos, & Procuratores assertos hominum, & personarum Communitatis, & Vniuersitatis prædictæ Vestræ Ciuitatis Tridentinæ, & eius Suburbiorum, & contra, & aduersus quemlibet pro eis, & dicta Communitate, & Vniuersitate coram præsentia, & Serenitate Vestra in Iudicio legitimè comparentem, & contra, & aduersus quandam assertam petitionem siue libellum, si nomen petitionis, & libelli habere meretur, quod non creditur, corá prælibata Dominatione Vestra per dictos assertos Syndicos Communitatis Tridenti productum, & contra omnia, & singula in dicta asserta petitione contenta, dicentes, & allegantes, quòd dictæ assertæ petitioni, siue libello, suo quidem Iudicio, de iure respondendum non videtur, quinimmò per serenitatem Vestram fuisset, & esset reijciendus, quoniam est vagus, dubius, ineptus, obscurus, & generalis, malè narrans, & peius concludens, & quia caret substantialibus à iure requisitis, & talis, quòd ex eo dictis assertis Syndicis Communitatis, & Vniuersitatis Tridenti nulla competit actio, nec competere potest, maximè eo modo, quo agitur, seu quo agere velle videntur. Verum si, & inquantum de iure respondere teneantur, quod minimè credunt, eo casu, & non aliter, contra prædictum assertum libellum, & omnia, & sin-

& singula in eo contenta, ad elidendam intentionem ipsorum respondendo dicunt, excipiunt, & opponunt, quod ipsi, & homines, & personæ suprascriptarum Communitatum, & Vniuersitatum exteriorum, & vltra, citraq; Athesim non tenentur, nec de iure cogi debent secundum narrata, & petita per dictos assertos Syndicos Communitatis, & Vniuersitatis Tridenti, & maximè causis, exceptionibus, & rationibus infrascriptis, siue ipsarum aliqua, seu aliquibus, quæ plus valeant, obstent, & sufficiant. Et primo, quia nulla vera, & iusta causa in dicto libello asseritur, seu apponitur, propter quam homines, & personæ dictarum Cõmunitatum exteriores soluerint, & soluere consueuerint, aut soluere teneantur, & debeant, aut cogi, & compelli debeant ad soluendum, & contribuendũ de tribus duas partes expensarum, & collectarum impositarum ad instructionem, & refectionem rerum, & ædificiorum in dicto asserto libello nominatorum, & aliarum quamplurimarum reparationum, & expensarum factarum, impositarum, & faciendarum, prout in ipso libello latius continetur &c. Saluo semper, & reseruato, quòd ipsi homines, & personæ dictarum Communitatum exteriorum dicunt, & asserunt, & confitentur, quod ipsi, & suę Communitates tenentur, & obligati sunt ad soluendum, & contribuendum vnam partem de tribus partibus pro refectione, & reparatione turris, & campanę Palatij Tridenti, & murorum vrbis tantum, & non merlorum, neq; mantellorum &c. Item saluo quòd tenentur, & mittere consueuerant ad custodiendum festa siue nundinas in ipsa petitione nominatas, & quod idem Vicarius tam ipsis exterioribus, quam interioribus ius publicè reddit, & administrat. Item dicunt, excipiunt, & opponunt, quod nulla actio, nullum interdictũ, nullum Iudicis officium, nulla æquitas, nulla deniq; Iuris ratio suadet, vt ipsi Syndici, & personæ Cõmunitatis, & Vniuersitatis Tridenti agant seu agere possint eo modo, quo agunt, seu quo agere velle videntur. Item quòd homines, & personę dictarum Communitatum exteriorum vltra citraq; Athesim sua æstima, & rotulos habent, secundum quæ, & quos sua salaria, & collectas Vestræ præclibatæ Illustrissimæ Ducali Dominationi bis in anno soluunt, & præstant, vnusquisq; pro rata sua sibi contingente, & sic etiã soluere consueuerint, & quod Ciues, homines, & personæ Ciuitatis Tridenti nulla Vestræ Ducali Dominationi salaria soluunt, neq; præstant, & certum est, q; qui in vno grauantur, in alio debẽt alleuiari. Item quod homines, & personæ dictarum Cõmunitatum exteriorum, hominibus & personis Communitatis Tridenti sunt triplo, & quadruplo pauperiores, vtriusq; partis facultates, & bona considerando, & æstimando: & certum est, quod qui plus potest, plus etiam facere tenetur. Item quod refectiones, reparationes, & expensæ in dicto libello nominatæ fieri debent, & fieri & solui cõsueuerunt per Ciues, & homines interiores, & exteriores harum Villarum, videlicet, Sardaneæ, Pedecastelli, Pisauacæ, Rauinæ, Medij,

Mattarelli, Gardularum, Cognolæ, & Montagnæ, & Nobiles exteriores, qui omnes simul faciunt, & contribuunt vna cum ipsis Ciuibus, & redditibus ex campo Martio ſtatera communis Syndicaria, & muda minori perceptis, & qui in dies percipiuntur, ſaluo vt ſuprà, &c. ſecundum mores, & conſuetudinem antiquam iam diu obſeruatam. Item quia ſicut homines dictarum Communitatum exteriorum nullum commodum habent, nec honorem, ita nec incommodum, & nec onus debẽt ſẽtire, nec pati. Nam dicti homines, & perſonæ exteriores ſua vina venalia per Ciues, & homines Communitatis Tridenti, ad Vrbem dictæ Ciuitatis Tridenti ad vendendum conducere prohibentur, quod abſurdum, & contra bonos mores, & æquitatem eſt, & eſſe videtur, maximè cùm dicti homines exteriores ſint etiam, ſicut interiores, & Ciues veſtræ Ducali Dominationi ſuppoſiti, & ſubiecti, quod optant, & diutiſſimè, & quaſi immortaliter vellent ſperantes, & pleniſſimè confidentes prudentia, clementia, & ſumma Dominationis, & Serenitatis Veſtrę iuſtitia, quę tanta eſt in Vobis ex innata Ducali virtute, vt non dubitent quin ſint in hac potiſſimum cauſa iuſtiſſimæ Dominationi Veſtræ commendati: quoniam, vt benè. V. Dominatio nouit, ruſtici laboratores, & agricolæ, hi ſunt, quorum laboribus, operibus, vigilijs, & ſudore Princeps, Domini, Ciues, cæteraq; hominum genera vitam præſentem, & ſpiritum ducunt. Item quia expenſæ in dicto aſſerto libello in diuerſis poſtis deſcriptæ, & nominatæ factæ fuerunt per homines Ciues Ciuitatis Tridenti, & ad eorum tantum vtilitatem, dictis hominibus exterioribus inſcijs, & non requiſitis, & præter eorum voluntatem, & conſuetudinem, & maximè illæ, quæ in cauſa contra Nigrũ factæ fuerunt. Et quod ipſi Ciues in dicta cauſa contra Nigrum ſua culpa negligẽtia, & defectu in dictas expenſas inciderunt, & damnum, quod quis ſua culpa ſentit, ſibi imputet, & non alij. Item quia illis decem, & octo ſtipendiarijs, de quibus in. xliij. poſta dicti libelli fit mentio, ab hominibus tantum Cõmunitatis, & Ciuitatis Tridẽti ſatisfieri debet, & debuit: quoniam per Capitaneos Domini ad cuſtodiendum Ciuitatem impoſiti fuerunt ſolummodo propter Ciuium abſentiam, qui propter peſtem de vrbe receſſerant, & quòd tunc temporis multi de exterioribus citra Atheſim ad cuſtodiendum dorſum Tridenti venerunt, & multi etiam de exterioribus vltra Atheſim minis, inſidijs, & metu Pariſij de Lodrono perterriti, ad vrbem confugerunt: Ita quòd tunc temporis erant in maximis anguſtijs, & cuſtodijs faciendis conſtituti. Ité ſpecialiter reſpondendo. xlv. poſtę dicunt excipiunt, & opponunt, quòd ſi Ciues vti liberalitate volunt, de ſuo, & non alieno liberales eſſe debent. Item quia homines exteriores in ſuis Villis, & locis multa onera oportuit pati, & oportet, ſicut multas expenſas ad honorem, defenſionẽ, & ſtatũ Dominij, & Ciuitatis Tridenti fecerunt, pro quibus ipſi ſoli ſoluerunt, &

pro

pro quibus ſoli contenti ſteterunt, et quod ipſi homines Communitatis Tridenti, ipſos homines exteriores contra Pariſium de Lodrono defendere,& iuuare parum ſtuduerunt, eis nec auxilium, nec conſilium, nec fauorem præſtando, & quòd de prædictis omnibus, & ſingulis ita eſt rei veritas, publica vox, & fama, & ſi aliquo modo appareret, aut probari poſſet (quod non creditur) quod ipſi homines exteriores aliqua pro dictis refectionibus, & expenſis ſoluerint, & vna cum hominibus Communitatis, & Vniuerſitatis Tridenti contribuerint, tunc, & eo caſu dicunt, excipiunt, & opponunt, quòd indebitè, & iniuſtè, & contra omnem iuris formam, & tanquam perſonæ rudes, ignaræ, & non obligatæ ſoluerunt, & contribuerunt, negantes ſemper narrata, prout narrantur, & petita prout petuntur, fieri debere. Quare Illuſtriſſime Princeps, ac Reuerendiſſime Domine, his rationibus, & cauſis, quæ multæ allegari, & numerari poſſent, prælibatæ Ducali Dominationi Veſtræ prædicti ſeruitores Syndici,& Syndicarijs nominibus antedictis deuotiſſimè ſupplicant, & cum reuerentia, & inſtantia, quàm debitè fieri poteſt, petunt, vt eos, & dictas ſuas Communitates, & Vniuerſitates prædictas omnibus modo,via, & forma, quibus meliùs de iure poteſt, abſoluatis, & abſoluendas pronuncietis, & pronunciatos abſoluere, & liberare dignemini à petitione dictorum Syndicorum Cõmunitatis Ciuitatis Tridenti,tanquam iniqua,& iniuſta,& ab omnibus,& ſingulis in ea contentis,& connexis,& dependentibus ab eadem, & quod veſtra ſententia pronuncietis, & pronunciare libeat, oblationem ſiue promiſſionem factam de ſtando ſacramento diffinitiuo,vt aſſeritur in libello,ſi quæ facta ſint(q̃ non creditur)& omnia,& ſingula in dicta cauſa agitata,tam coram Serenitate veſtra,quam coram alijs officijs,ante vtriusq; partis Syndicatuum productionem,fuiſſe,& eſſe nullam,nulliusq; valoris, & momenti, tanquam per perſonas minus legitimas, & ad hoc inſufficientes facta,geſta, & actitata,petentes expenſas iam factas, quæ faciunt ducatos quadraginta,& de faciendis in poſterum,& dãnis,& intereſſe ſuis,& ſemper de nullitate proceſſus proteſtantur: ſaluis,& reſeruatis ſibi omnibus alijs ſuis iuribus,exceptionibus perẽptorijs,& denatorijs,& omnibus alijs cuiuſcũq; conditionis,& qualitatis exiſtant,& cenſeantur: non aſtringentes ſe propterea nominibus antedictis ad probandum de prædictis, niſi neceſſaria, & incumbentia ſibi,& quę ſibi ſufficiant ad victoriã præſentis cauſę reportandã,ſuper quibus petitione,& reſponſione dictus Ser Antonius Syndicus hominum,& perſonarũ Cõmunitatis, & Vniuerſitatis Ciuitatis Tridẽti,Gaſparinus de Vigo Meani,Syndicus,& Syndicario nomine hominũ,et pſonarũ Cõmunitatũ,et Vniuerſitatũ Plebiũ Meani, et Ciuezani, Naſcimbenus de Rechalco de Pinedo, Syndicus, et Syndicario nomine hominũ, et pſonarũ totius Plebis Pinedi,et Antonius Placere de Vigulo

Vattario, Syndicus, & Syndicario nomine hominum, & personarum Communitatum, & Vniuersitatum Villarum Viguli Vattarij, Busentini, & Mugazoni, & Ioannes Chylette de Gabiolo de Paho, vti Syndicus, & Syndicario nomine hominum, & personarum totius Plebis Pahi, quæ Communitates sunt ab alia parte dictæ Ciuitatis Tridenti, versus mane: Et Leonardus de Cadeno, vti Syndicus, & Syndicario nomine hominum, & personarum totius Plebis Supramontis, facientes pro se, & dictis nominibus, & vice, & nomine hominum, & personarum Capellæ Trilaci, & vice, & nomine Syndici hominum, & personarum Plebis Calauini, & vice, & nomine Syndici Plebis Cauedeni absentium, quæ Communitates sunt ab alio latere dictæ Ciuitatis versus sero: Dixerunt, quod erant contenti eligere bonos homines, qui liberam habeant potestatem, & baijliam ad videndum, cognoscendum, examinandum super petitione, & responsione, & iura partium audire, diffinire, sententiare, & laudare super dicta petitione, & responsione, & errores, & differentias vertentes inter dictas partes dictis nominibus, occasione, & causis in compromisso descriptis tollere, & remouere super petitione, & responsione, & differentijs omnibus, cum suis connexis, emergentibus, & dependentibus ab eisdem, ipsæ partes dictis nominibus affectantes per viam electionis, & compromissi ad concordium peruenire, causa parcendi laboribus, & expensis, ipsæ partes dictis nominibus simul, & concorditer, & nemine diserepante, bono modo, & dispositione, & animo deliberato elegerunt, assumpterunt, & se compromiserunt in Illustrissimum Principem, & Reuerendissimum Dominum, Dominum Alexandrum Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopum, & Dominum Tridenti dignissimum, ac Ducem Mazoniæ, &c. præsentem, & acceptantem, & in ipsum tanquam in Arbitrum, & Arbitratorem, & amicabile compositorem, & communem amicum, & Dominum gratiosissimum compromiserunt, & se plenarie relaxauerunt, & dimiserunt de lure, & de facto, de alto, & basso, & de omnibus differentijs, & errotibus prædictis, cum suis connexis, emergentibus, & dependentibus ab eisdem, & super omnibus alijs differentijs, quæ verterentur, et quæ oriri possent inter dictas partes dictis nominibus, vsq; in presentem diem; ita quòd possit, et valeat prælibatus Dominus Arbiter, et Arbitrator, et amicabilis compositor, et amicabilis amicus inter dictas partes, dictis nominibus, de, et super litibus, causis, quæstionibus, differentijs, et errotibus prædictis, cũ suis connexis, emergentibus, et dependentibus ab eisdem, et super omnibus alijs differentijs, quæ verterentur, et oriri possent inter dictas partes pro se, et dictis nominibus, vsque in præsentem diem, laudare, præcipere, disponere, arbitrari, sententiare, declarare, finire, et terminare. Promittentes dictę partes pro se, et dictis Syndicarijs nominibus adinuicem, vicissim,

sim, videlicet, vna pars alteri, et altera, alteri solennibus stipulationibus hincinde interuenientibus, prælibato Illustrissimo Principi, & Domino Domino Electo præsenti, & mihi Notario infrascripto, vti publicæ personæ stipulanti nomine, & vice omnium, quorum interest, vel interesse poterit, stare, parere, obedire, & non contrafacere, vel venire de iure, vel de facto, aliqua causa, ratione, vel ingenio, omni laudo, arbitrio, diffinitioni, pronunciationi, & determinationi prælibati Illustrissimi Domini Domini Electi, quæ, vel quas inter dictas partes, dictis nominibus fecerit, dixerit, pronunciauerit, laudauerit, & diffinierit, vel arbitratus fuerit, cum scriptura, vel sine, semel, vel pluries, diebus feriatis, vel non feriatis, sedendo, stando, quandocunque, quomodocunque, & qualitercunque, & vbicunque, & omni iurium solennitate omissa, vel prætermissa, partibus præsentibus, & absentibus, citatis, vel non citatis, nec petere, quòd hæc præsens laudum ferendum per prælibatum Dominum Dominum Electum reducatur ad arbitrium boni viri, sed omnia, & singula præmissa, & laudanda, & sententianda per prælibatum Dominum Electum, perpetuo firma, rata, & grata habere, & tenere, attendere, obseruare, & adimplere, & non contrafacere, vel venire per se, vel alios, aliqua ratione, causa, vel ingenio, de Iure, vel de facto, sub pœna quingentorum ducatorum auri insolidum, in singulis capitulis huius contractus, et compromissi, et laudi ferendi, solennibus stipulationibus inter dictas partes, dictis nominibus, et ab ipsis partibus insolidum promissa, cuius pœnæ medietas applicetur Cameræ Domini, et alia medietas parti attendenti, et quæ pœna toties insolidum committatur, et exigi possit, quoties contrafactum fuerit, cum refectione damnorum omnium, et expensarum, et interesse litis, et extra, et obligatione omnium bonorum dictorum Syndicorum, et suarum Communitatum, et Vniuersitatum præsentium, et futurorum, et qua pœna soluta, vel non, hoc compromissum laudum, et arbitramentum ferendum nihilominus plenam obtineat firmitatem. Item promiserunt solennibus stipulationibus dicti Gasparinus, Nascimbenus, Antonius Placere, Leonardus de Cadeno, Syndici prædicti, pro, et Syndicatus nominibus prædictis, dicto Ser Antonio Notario Syndico Vniuersitatis Communitatis Tridenti stipulanti, et recipienti, siue mihi Notario infrascripto vti publicæ personæ stipulanti nomine, et vice omnium, quorum interest, et in futurum poterit interesse, facturos, et curaturos cum effectu, quòd Adelperius Fant, Syndicus Vniuersitatis, et Communitatis Capellæ Trilaci, Franciscus Iordani de Vezano, Syndicus Vniuersitatis, et Communitatis totius Plebis Calauini, et Ser Odoricus Zambald Syndicus totius Plebis Cauedeni, ratificabunt, approbabunt, et emologabunt hoc præsens compromissum, et omnia, et singula suprascripta, et infrascripta in præsenti compromisso contenta, hinc ad octo dies, à requisitione facta, et se, vti

Syndicos, & Syndicarijs nominibus dictarum suarum Communitatum, & Vniuersitatum obligabunt, & bona sua, & suarum Communitatum, pro omnibus in præsenti compromisso contentis firmis habendis, & manutenendis, & in omnibus, & per omnia prout ipsi Gasparinus, Nascimbenus, Antonius Placere de Vigulo, & Leonardus de Cadeno, vt suprà, sub pœna prædicta. Insuper prædicti Ser Antonius Notarius Syndicus Communitatis, & Vniuersitatis Ciuitatis Tridenti, Gasparinus, Nascimbenus, Antonius Placere, Leonardus de Cadeno per se, & vti Syndici, & Syndicarijs nominibus dictarum suarum Communitatum, & ad maius robur, & firmitatem omnium præmissorum iurauerunt singuli corporaliter manibus tactis scripturis ad Sancta Dei Euangelia, prædicta omnia, & singula in presenti compromisso contenta, firma, rata, & grata habere, tenere, obseruare, attendere in perpetuum, & in aliquo non contrafacere, vel venire per se, vel alium, aliqua ratione, causa, vel ingenio, de iure, vel de facto, sub obligatione, & pœna prædictis, & virtute huius præstiti iuramenti. Item die Martis primo mensis Aprilis anni instantis presentis Tridenti in Castro Boni Consilij, in sluba parua de suprà: Præsentibus Nobilibus Domino Michaele de Coredo, Referendario prælibati Domini Episcopi, Domino Petro Magistro Coquinæ, Ser Petro Notario de Becharijs de Zuzado Plebis Thioni, Vallis Iudicariæ, & Danesio Notario habitatore in Terra Ripæ, testibus, & alijs vocatis, & rogatis: Ibidem ante præsentiam Illustrissimi Principis, & Domini Reuerendissimi Domini Alexandri Dei, & Apostolicæ sedis gratia Episcopi Tridenti, Ducisq; Mazouiæ, &c. Constitutis Adelperio dicto Fant de Trilaco, Syndico Communitatis Capellæ Trilaci, Francisco Iordani de Vezano Syndico totius Plebis Calauini, & Ser Odorico Zambaldi Syndico totius Plebis Cauedeni, & instante Egregio legum Doctore, Domino Antonio de Cindis de Leudro, Vicario Tridenti, pro Communitate Tridenti, siue me Notario infrascripto, vti publica persona instante pro ipsa Cõmunitate Tridenti, & requirente ipsi Adelperius, Franciscus, & Ser Odoricus Zambald per se, & vti Syndici prædicti, & Syndicarijs nominibus dictarum suarum Communitatũ, & Vniuersitatum, hoc presens compromissum, & omnia in ipso contenta, & scripta, vt supra bono modo, & dispositione, & animo deliberato laudauerunt, probauerunt, affirmauerunt, & emologarunt, promittentes pro se principaliter, & pro dictis suis Vniuersitatibus, & Communitatibus, & per solennem stipulationem mihi Notario infrascripto, vti publicæ personæ stipulanti nomine, & vice hominum, & personarum Vniuersitatis Ciuitatis Tridenti, & Suburbiorum ipsius Ciuitatis, prædictum præsens compromissum, & omnia, & singula in eo contenta, & descripta, & laudanda, & sententianda per prælibatum Serenissimum Principem, & Dominum nostrum Dominum Episcopum Tridenti, Arbitrum, Arbitratorem, & amica-

amicabilem compositorem, & communem amicum electum, vt suprà, perpetuò firmum, ratum, & gratum, & firma, rata, & grata perpetuò habere, tenere, attendere, obseruare, adimplere, & in aliquo non contrafacere, vel venire per se, vel per aliquem eorum, seu per aliam aliquam interpositam personam, modo aliquo, ratione, causâ, vel ingenio, de iure, vel de facto, sub pœna quingentorum ducatorum auri insolidum, in singulis capitulis huius contractus compromissi, & laudi ferendi, solemnibus stipulationibus inter ipsos contrahentes dictis nominibus, & ab ipsis contrahentibus insolidum promissa, cuius pœnę medietas applicetur Cameræ Domini prælibati, & alia medietas parti attendenti, & quæ pœna toties insolidum committatur, & exigi possit, quoties fuerit cõtrafactum, cum refectione damnorum omnium, & expensarum, & interesse litis, & extra, & obligatione omnium bonorum dictorum Syndicorum, & cuiuslibet eorum, & suarum Communitatum præsẽtium, & futurorum: & quâ pœna soluta, vel non, hoc compromissum, laudum, & arbitramentum ferendum, nihilominus plenam obtineat firmitatem. Item prædicti Syndici pro se, & Syndicarijs nominibus, quibus suprà, ad maius robur, & firmitatem omnium, & singulariter prędmissorum, iurauerunt singuli corporaliter tactis scripturis ad Sancta Dei Euangelia, prædicta omnia, & singula, firma, rata, & grata perpetuo habere, & tenere, obseruare, & adimplere, & in aliquo non contrafacere, vel venire per se, vel alium, aliqua ratione, causa, vel ingenio, de iure, vel de facto, sub obligatione, & pœna prędictis, & virtute huius præstiti Sacramenti.

¶ Ego Antonius natus quondam Ser Ioannis de Fayo Diœcesis *Tridẽti*, Ciuis, & habitator Tridenti, publicus Apostolica, & Imperiali authoritate Notarius prædictis compromisso, cõfirmationi, ratificationi, approbationi, & Sacramento præstito, & omnibus, & singulis præmissis, dum sic agerẽtur, & fierent, vt prędmissũ est interfui, & rogatus publicè scripsi &c.

IN Christi nomine Amen. Nos Alexander Dei gratia Episcopus Tridenti, ac Dux Mazouię &c. Arbiter, arbitrator, amicabilis compositor, & communis amicus electus, & assumptus compromissarius per Ser Antonium Notarium, Ser Bertholasij de Burgo nouo, de Tridento, vti Syndicum, & Syndicario nomine hominum, & personarum Vniuersitatis, & Communitatis Ciuitatis Tridenti, & Syndicario nomine pro ipsa Communitate ex vnâ: Et Gasparinum quondam Bertholdi de Vigo Meani, vti Syndicum, & Syndicario nomine hominum, & personarum Vniuersitatum, & Cõmunitatũ Plebis Ciuezani, et Plebis Meani, et Nascimbenum de Rechalcho de Pinedo, vt Syndicum, et Syndicario nomine hominum, et personarum totius Plebis Pinedi, et Antoniũ Placete de

Vigulo Vatario, vti Syndicum, & Syndicario nomine hominum, & personarum Vniuersitatum Villarum Viguli, Vatarij, Bosentini, & Mugazoni, & Ioannem Chylette de Gabiolo de Paho, vti Syndicum, & Syndicario nomine hominum, & personarum totius Plebis de Pahò, quæ Communitates sunt ab vna parte Ciuitatis Tridenti versus mane, & Leonardum quondam Ser Aldrigeti de Cadeno, vti Syndicum, & Syndicario nomine hominum, & personarum totius Plebis Supramontis, Adelperium dictum Fant Syndicum, & Syndicario nomine hominum, & personarum totius Capellæ Villæ Trilaci, & Franciscum quondam Iordani de Vezano, vti Syndicum, & Syndicario nomine hominum, & personarum totius Plebis Callauini, & Ser Odoricū Zambaldi, vti Syndicum, & Syndicario nomine hominum, & personarum totius Plebis Cauedeni, quæ Communitates sunt ab alia parte dictæ Communitatis Tridenti versus fero: De, & super causis, controuersijs, differentijs, & erroribus, quæ inter dictas partes, dictis nominibus erant, vt plenius in compromisso, seu in Instrumento electionis, & compromissi in nos facti continetur, scripto, & annotato, manu, & sub signo Antonij de Fayo Notarij Ciuis Tridenti: & demum visis, auditis, & intellectis, & diligenter examinatis petitionibus, & responsionibus, & differentijs, à partibus prædictis dictis nominibus hincinde dictis, & factis, ac allegationibus, præpositionibus, & iuribus expositis oretenus per ipsas ambas partes dictis nominibus, & super omnibus, & singulis, quæ vna pars ab altera, & è conuerso dicere, petere, & ostendere voluerunt, habita matura deliberatione vigore compromissi prædicti, & bayliæ nobis attributæ, vt plenius in compromisso continetur: Christi, & Gloriosissimæ Virginis eiusdemq; Matris nominibus inuocatis, & cordialiter reasſumptis: Nos Alexander Dei gratia Episcopus Tridentinus, Duxque Mazouiæ, &c. electus Compromissarius inter dictas partes, dictis nominibus ad videndum, examinandum, cognoscendum, & terminandum de bono, & æquo, de iure, & de facto causas, lites, quæstiones, differentias, & controuersias motas, & vertentes inter dictas partes dictis nominibus, occasionibus, & causis in compromisso descriptis: Sedentes pro tribunali, dictis partibus dictis nominibus citatis, & peremptorie monitis, & requisitis in præsentem diem, horam, & locum, ad hoc nostrum laudum, siue ad hanc nostram sententiam arbitramentalem proferri audiendum, talem in his scriptis proferimus sententiam, quia per hanc nostram sententiam arbitramentalem sententiamus, & pronunciamus, vt infra: Aduertentes insuper, quòd omne regnum in seipso diuisum desolabitur, & domus supra domum cadet, & quod tales subditorum discordiæ sepè solent dominorum esse causa ruinæ, & è conuerso virtus vnita fortior est seipsa dispersa. Igitur cupientes partes suprascriptas ad pacem, & concordiam

tota-

totaliter pertinere: Christi Virginisque Gloriosæ Mariæ, Beatique Vigilij Ecclesiæ nostræ Tridenti Patroni suffragijs, & nominibus inuocatis pro tribunali sedentes super bancho in capite salæ magnæ nostri Castri Boni Consilij, quem locum ad hunc actum specialiter elegimus pro tribunali inter suprascriptas partes, talem in his scriptis sententiam laudum, & arbitramentum proferimus, atq; damus, videlicet, quia dicimus, & pronunciamus, & sententiamus non per modum, & viam ordinarij Iudicij sed cuiusdam transactionis, & pacti amicabiliter componēdo, sequentes arbitrium suprascripti compromissi, laudamus, & arbitramur in hunc modum, videlicet. Primo quòd omnes suprascripti homines, & vniuersitates Villarum, et Plebium suprascriptarum, siue earum Syndici, et Procuratores sint, et esse debeant perpetuò obligati pro defensione nostri, et Ecclesiæ nostræ Tridentinæ status, ad dandum, præstandum, et contribuendum nobis, et successoribus nostris toties, quoties fuerit opportunum, et expediens de tribus peditibus armatis, siue stipendiarijs duos, et suprascripti homines, et Commune prædictæ nostræ Ciuitatis Tridenti cum adhærentibus suis, siue eorum Syndici, et Procuratores de tribus stipendiarijs vnum tantum dare, et contribuere similiter teneantur, et sic ambas suprascriptas partes ad sic, vt suprascriptum est perpetuò faciendum, dandum, et præstandum, et contribuendum in his scriptis condemnamus sententialiter. Nullus autem miretur, si in hac parte suprascriptos exteriores plus quam Ciues duximus aggrauandos, quia prædictam nostram Ciuitatem, quam totius status nostri, et Ecclesiæ nostræ Tridentinæ principale membrum, et caput esse putamus, nolumus aliquo tempore Ciuibus, et incolis suis depopulari, immo pro ipsius defensione volumus perpetuo remanere plenam, et bene fultam. Item quòd tanquam membra suæ Ciuitatis ad defensionem, et ipsius fortificationem semper sunt obligatæ, et tenentur de iure, et quia homines ipsarum villarum negotia, et laboreria sua vt plurimum expediunt cum personis, et bobus eorum, Ciues autem cum pecunijs, et sic cum grauioribus expensis; Idcirco dicimus, quod quotiescunque opus fuerit extra muros prædictæ nostræ Ciuitatis aliquas foueas, siue valla pro fortificatione eiusdem Ciuitatis, vel aliquas rostas vltra Athesim, pro sustinendo flumine ipsius Athesis in alueum suum antiquum, ne deserat Ciuitatem, vel aliqua alia fortilicia seu opera extra dictos muros pro fortificatione, et defensione ipsius Ciuitatis, tunc, et eo casu adueniente, suprascriptos exteriores de plebibus suprascriptis siue eorum Syndicos, et Procuratores ad dandum præstandum, et contribuendum de prædictis omnibus, et similibus expensis de tribus partibus duas, et Ciues, siue Commune prædictę nostræ Ciuitatis, siue eorum Syndicos, et Procuratores tertiam partem earundem expensarum ad dandum, facien-

ciendum, & contribuendum similiter in his scriptis condemnamus; Item dicimus, & amicabiliter componendo laudamus, & arbitramur, quòd quotiescunque expediret fieri aliquem murum denuo pro fortificatione, & defensione eiusdem Ciuitatis, vel aliquos muros altius eleuare, aut in aliqua ipsorum parte expediret ipsos muros reparare, vel ipsos muros expediret fieri, vel aliquod opus de lapidibus, & cementis, vel lignaminibus pro defensione, & fortificatione ipsius Ciuitatis, & prædictorum murorum, vel si expediret portas antiquas reficere, vel pontes leuatorios de nouo facere, aut veteres reparare, vel rastella intus, & extra portas prædictas ad defensionem ipsarum portarum de nouo fieri, aut reparare siue refici, vel aliquod spaldum ad vadum Athesis versus Ciuitatem pro defensione, & reparatione ipsius Ciuitatis fieri oporteret, vel si expediret pontem Athesis apud Sanctum Laurentium ab vno capite, & turri Vangæ ab alio capite totum de nouo fieri, aut partem ipsius reparare, excepto solo ipsius pontis, ad quod totum tenentur facere, & reparare homines Plebis Supramontis, & Cadeni, vel si oporteret turrim à platea Communis in aliqua sui parte reparare, aut campanas ipsius turris fractas reficere, vel alias nouas facere, vel plateam ipsius Ciuitatis, qua magis gaudent homines exteriores cum suis lignaminibus, plaustris, bobus, quam prædicti Ciues, expediret ampliari, vel generaliter loquendo, si expediret fieri intra muros prædictæ Ciuitatis, vel super ipsos muros aliquod aliud opus, vel fortalitium pro fortificatione, & defensione ipsius Ciuitatis nostræ, quòd in omnibus suprascriptis casibus prædicti nostri Ciues, & Commune prædictæ nostræ Ciuitatis, siue eorum Syndici, & Procuratores medietatem omnium suprà specialiter, & generaliter nominatorum onerum, & fortalitiorum, & expensarum facere, soluere, præstare, & contribuere teneantur, & aliam medietatem similiter facere, soluere, præstare, & contribuere teneantur homines, & Communitates, siue Vniuersitates Plebium suprascriptarum, siue eorum Syndici, & Procuratores: & suprascriptas partes, & vtramque ipsarum ita ad prædicta faciendum, soluendum, & contribuendum per hanc nostram sententiam, laudum, & arbitramentum in his scriptis sententialiter condemnamus, per quam sententiam nostram non intendimus, nec aliqualiter volumus absolutos esse homines de alijs locis totius nostri Episcopatus, & Iurisdictionis Tridentinæ, qui partem suam contribuere consueuerunt pro reparatione dicti pontis, & eius à principio constructione. Item dicimus, volumus, atquè mandamus, quod quotiescunque via publica citra pontem fossatum extra portam Sancti Martini in totum, vel in aliqua sui parte impetu fluminis Athesis, vel alicuius alterius infortunij rueret, vel totaliter destrueretur, ita quòd homines cum personis, equis, & bobus, & plaustris per ipsam viam transire commodè

non

non possent, quòd tunc, & eo casu adueniente (quod absit) Syndici Commune, & homines prædictæ nostræ Ciuitatis Tridenti ad medietatem expensarum, quæ occurrent circa refectionem, & reparationem dictæ viæ, & ad aliam medietatem Communitates, Vniuersitates, & homines Plebium suprascriptarum citra Athesim facere, & contribuere totaliter teneantur. Si autem dicta via in aliqua sui parte modicum destrueretur, quod tamen non fieret impedimentum hominibus cum suis personis, bobus, & equis inde posse transire, sed cum plaustris commodè transire non possent, tunc, & eo casu adueniente, volumus, atq; mandamus, quòd prædicti Ciues de prædicta nostra Ciuitate Tridenti, ad reparationem, & refectionem talis viæ solummodo teneantur, absq; exteriorum subsidio. Item volumus, atquè mandamus, quòd quotiescunq; via de feneſtrellis incepta, & nondum finita, in aliqua sui parte, vel in totum rueret, vel totaliter destrueretur, quòd homines cum personis, bobus, & equis, cum plaustris inde commodè transire non possent, quòd tunc, & eo casu adueniente Syndici, Commune, & homines prædictæ nostræ Ciuitatis Tridenti, ad refectionem, & reparationem ipsius viæ pro vna medietate, & pro alia medietate Vniuersitates, & Communitates, siue eorum Syndici Plebium vltra busum de vella totaliter teneantur: sin autem dicta via in aliqua sui parte modicum destrueretur, tunc, & eo casu adueniente, dicimus, atquè mandamus fieri debere, vt suprà diximus, & mandauimus fieri debere de via citra pontem fossati extra portam Sancti Martini: si autem in futurum contingeret quòd nos, aut successores nostri prædictam viam de feneſtrellis imperfectam totaliter perficere vellemus, & adimplere, aut aliam quamcunque viam nouam fieri facere vellemus, aut successores nostri, tunc, & eo casu adueniente, dicimus, volumus, atquè mandamus, quòd ad perfectionem ipsius, & aliarum quarumcunque viarum publicarum prædicti Syndicis Commune, & homines prædictæ nostræ Ciuitatis Tridenti, pro tertia parte solummodo teneantur, & quod Syndici, Communitates, & Vniuersitates, & homines omnium Plebium suprascriptarum, tam vltra Athesim, quam citra pro alijs duabus partibus facere, & perficere teneantur: & quod diximus, decreuimus, & mandauimus de suprascriptis duabus vijs de ponte fossato, & feneſtrellis in omnibus, & per omnia, idem dicimus, atquè mandamus de omnibus alijs vijs publicis infra terminos antiquos fieri, & totaliter per suprascriptas partes, & quamlibet ipsarum adimpleri, & obseruari debere. Item volumus, atquè mandamus, quòd homines suprascriptarum Plebium, iuxta, & secundum eorum antiquas consuetudines omni anno teneantur, & debeant venire ad dictam nostram Ciuitatem, cum armis ad custodiendas omnes, & singulas nundinas,

dinas, & mercata per ipsos solitas, & solita custodiri: Et similiter quotiescunque aliqua alia extrauaganti necessitate per nos, vel successores nostros requirerentur, venire debeant, & teneantur cum armis ad custodiendum, & defendendum prædictam nostram Ciuitatem, cum Ciuibus prædictæ nostræ Ciuitatis Tridenti: Item volumus, atquè mandamus, quòd prædicti nostri Ciues, siue eorum Syndici, & Procuratores teneantur, & debeant conuocare, & requirere Syndicos, & Procuratores suprascriptarum Plebium, quotiescunque contigerit fieri oportere aliquam expensam, de expensis suprà in hac nostra sententia expressis, & nominatis, vel aliam in Ambasiatoribus, quando communem ambarum partium concerneret honorem, & vtilitatem, & hoc si talis expensa facienda excederet quantitatem, & summam decem ducatorum, sin autem minor esset, & fieret, tunc conuocare teneantur prædictos exteriores: sin autem expensæ fierent, quæ celerem requirerent expeditionem adeò quòd periculum esset in mora, mittendo pro dictis exterioribus, etiam si maiorem decem ducatorum excederet summam, tunc eo casu aduenient̃e, volumus quòd dicta expensa subito deliberetur, & fiat, & postea pro dictis exterioribus mittatur, & eis significetur, & demonstretur taliter quod grauatos se non possint dicere, nec aliqualiter allegare. Item volumus, atquè mandamus, quòd de omnibus expensis paruis, vel magnis hoc est à decem ducatis suprà, vel infra quolibet anno, & tempore, quo mutantur Procuratores prædictæ nostræ Ciuitatis, mittatur pro dictis Syndicis de Plebibus suprascriptis, & quod omnium, & singularum expensarum factarum communem prædictarum partium vtilitatem concernentium & honorem, fiant rationes taliter clarè, quod neutra partium possit merito dicere se aggrauatam, siue deceptam, vel allegare: Item volumus, atquè mandamus, quòd ipsi homines, & Vniuersitates prædictarum Plebium possint, & valeant pro suo libito voluntatis per se vti, frui, & gaudere, vendere, & afficiare pascua, montes, & nemora sua, & alios redditus, & affictus, absquè prædictorum Ciuium conuocatione, & requisitione, saluo semper Iure Ciuitatis Tridenti, quòd habeat ipsa Ciuitas, & homines ipsius Ciuitatis in monte Bondoni tranfuersaria, & alibi, vt descriptum est, & reperitur in libris antiquarum designationum Ciuitatis Tridenti, & saluo etiam Iure, quod habent ipsi Ciues Tridenti ab antiquissimo tempore citra, pro vsu suo valendi tantum incidere quæcunque lignamina ab igne, & pro constructione domorum suarum in Ciuitate, & extra Ciuitatem, & non causa vendendi, nec aliter donandi, vel alienandi, dum tamen possint eadem die ire, & redire ad eorum domos, & dictam Ciuitatem cum talibus lignaminibus incisis, & quod similiter ipsi Ciues possint, & debeant

perse

perſe gaudere, vti, frui, tenere, vendere, & affictare ſua paſcua, ſyluas, & nemora, & afflictus, & alios redditus ipſius Ciuitatis. Item volumus, ac præſenti ſententia noſtra, laudo, & arbitramento laudamus, & ordinamus, quòd ſi quo tempore occurreret in partibus iſtis aliqua ſuſpitio belli, quòd ſupraſcriptis noſtris hominibus, de ſupraſcriptis Plebibus, & quibuſcunque alijs de Epiſcopatu noſtro Tridenti ſit licitum, pro ſuis perſonis, & rerum ſuarum ſecuritate, hoc eſt beſtijs, bladis, vino, & alijs quibuſcunque rebus ſuis, ad prædictam noſtram Ciuitatem Tridentinam impunè, & ſecurè venire, ibiquè ſtare, & habitare, rebus ſuis ibidem conductis vti, & frui, & de ipſis vendere, & alienare, & deinde recedere, & redire cum ipſis rebus, nec venditis, nec alienatis, pro ipſorum libito voluntatis ſtatuto aliquo in contrarium diſponente nequaquam obſtante. Expenſarum autem in præteritis per ſupraſcriptos noſtros Ciues ad vtilitatem vtriuſque partis factarum, & petitarum, quas aſſerebant aſcendere ad ſummam quingentorum ducatorum, & vltra diſpoſitionem, ordinationem, & declarationem nobis in poſterum reſeruamus. Et quia vtraque pars ſupraſcriptarum partium legitimam cauſam habuit litigandi, idcirco ipſas, & vtramque ipſarum ab expenſis præſentis litis abſoluimus, & penitus reddimus abſolutas, & prædicta omnia, & ſingula ſupraſcripta, dicimus, pronuntiamus, ſententiamus, laudamus, & amicabiliter componendo arbitramur omni modo, via, & forma, quibus melius de iure, ac vigore, & authoritate ſupraſcripti compromiſſi in nos poſſumus, atquè debemus, reſeruato nobis ſemper arbitrio, poteſtate, & baijlia interpretandi, & declarandi omnia, & ſingula dubia, & obſcuritates, & ambiguitates, quæ in prædictis, vel aliquo prædictorum inter ſupraſcriptas partes occurrerent, vel apparerent aliqualiter in futurum: quam ſententiam, laudum, & arbitramentum de plenitudine poteſtatis, & arbitrij noſtri ad perpetuam rei memoriam in volumen ſtatutorum prædictæ noſtræ Ciuitatis Tridenti, tanquam perpetuum ſtatutum, & ſynodalem conſtitutionem, volumus, & mandamus inſeri atquè deſcribi: mandantes ipſam ſententiam, laudum, & arbitramentum, ſub pœna in dicto compromiſſo contenta, perpetuo attendi, & inuiolabiliter obſeruari, quæ pœna toties committatur, & exigi poſſit, quoties contrafactum fuerit, ipſa ſententia, laudo, & arbitramento, nihilominus in ſua roboris firmitate remanente. Inſuper volumus, quòd per hanc noſtram ſententiam, vel aliquam eius partem non ſit in aliquo derogatum libertati noſtræ, neque Eccleſiæ noſtræ Tridentinæ, nec ſucceſſorum noſtrorum, & maximè quando partibus, vel alicui ipſarum, pro aliqua noſtra, vel Eccleſiæ noſtræ neceſſitate, aliquam extraordinariam collectam imponere neceſſarium foret, quam volumus poſſe imponere

ponere partibus supraſcriptis, vel alteri ipſarum pro libito voluntatis noſtræ, &c.

¶ Lata, lecta, publicata fuit, & eſt ſupraſcripta ſententia Arbitramentalis per me Antonium Notarium infraſcriptum ex commiſſione mihi facta per prælibatum Sereniſſimum Principem, & Dominum Reuerendiſſimum, Dominum Alexandrum Epiſcopum Tridentinum Ducemq; Mazouiæ, &c. Compromiſſarium electum, vt ſuprà, continuo pro tribunali ſedentem. Quam commiſſionem Ser Gulielmus Notarius Sarracenus Ciuis Tridenti, vti Notarius publicus fuit rogatus ſcribere, præſente continuo Ser Antonio Notario Ser Bertholaſij de Burgo nouo de Tridento, Syndico Communitatis, & Vniuerſitatis Ciuitatis, & continuo approbante, affirmante, & emologante ipſam ſententiam, & dicente eam ſibi bene placere, & abſentibus alijs Syndicis Vniuerſitatum, & Communitatum ab extra, tamen legitimè citatis, peremptoriè monitis ipſis partibus, & requiſitis in præſentes diem, locum, & horam, ad hanc ſententiam Arbitramentalem, & laudum proferri audiendum, die Veneris quinto menſis Septembris, hora tertiarum, vel circa Anno milleſimo quadringenteſimo vigeſimoſeptimo, Indictione quinta, ſuper ſala magna Caſtri Boni Conſilij, ad quoddam banchum penes feneſtram magnam. Præſentibus Nobilibus, & Circunſpectis Viris, Domino Baldeſare de Thono, Domino Michaele Coredo, Domino Magiſtro Coquinæ, Ioanne eius fratre, Egregio Legum Doctore Domino Antonio de Leudro, Vicario Tridenti, Domino Iſidoro factore in ipſo Caſtro, Domino Nicolao Theſaurario, Ioanne Scriba prælibati Domini Epiſcopi, Domino Presbytero Marco, Domino Presbytero Ioanne Domini prælibati Epiſcopi Capellano, Simone Notario de Treſio Vallis Annaniæ, Nicolao quondam Dominici Becharij de Sauono Vallis, Iudiciariæ, Iacobo Becharij de Zuzado, dictæ Vallis Iudiciariæ, Piſone filio Franciſci de Piſonibus de Rippa, Domino Antonio de Rippa, Domino Antonio de Mollis, Domino Nicolao de Mercadentis, Domino Ioachino de Mezaſomis, Ser Ioanne Petro de Feltro, Ser Petro Iacobo Michaele Fe, & Federico Polentono, iſtis Septem Ciuibus Tridenti teſtibus, & alijs vocatis, & rogatis.

¶ Ego Antonius natus quondam Ser Iannis de Fayo, Ciuis & habitator Tridenti, Apoſtolica, & Imperiali authoritate Notarius, lationi & publicationi dictæ Arbitralis ſententiæ, latæ per antedictum Dominum Epiſcopum, & per me Notarium de eius commiſſione lectæ, quam commiſſionem Ser Gulielmus Notarius Sarracenus fuit rogatus ſcribere electio-

electioni loci ferendæ sententiæ, approbationi factæ per dictum Syndicum Communitatis Tridenti, vnà cum dictis testibus interfui, & rogatus, & requisitus, ac de mandato prælibati Reuerendissimi Domini nostri Episcopi Tridentini Compromissarij antedicti prædicta publicè scripsi, & in fidem præmissorum me subscripsi, & signum mei tabellionatus consuetum apposui.

¶ Explicit Liber Secundus Statutorum,
De Syndicis.

BERNARDVS
DEI GRATIA
EPISCOPVS TRIDEN-
TINVS ETC.

TRIDENTI.

Per Ioan. Baptistam Gelminum nouiter impressum. Anno M DC. X I V.

SVPERIORVM PERMISSV.

INCIPIVNT RVBRICAE
TERTII LIBRI STATVTORVM CRIMINALIVM CIVITATIS TRIDENTI.

A

Allapa, siuè smusata illata. cap. 8.
Aliqua persona non debeat transire de nocte flumen athesis. cap. 34.
Alienantibus rem liuellatam pro libera. cap. 48.
Angerijs, & scalis tenendis per contratas. cap. 110.

B

Bannitis à Iurisdictione, vt intelligant etiam banniti ab alijs Iurisdictionibus Episcopatus. cap. 100.
Bonis non confiscandis. cap. 102.

C

Capillatura siue spintura, & si quis fecerit ficas. cap. 9.
Commutatione pœnæ incursæ. cap. 25.
Custodibus nocturnis, & quid facere debeant. cap. 33.
Condemnatus de falso non possit exercere publicum officium. ca. 61.
Condemnationibus corporalibus fiendis in arengis publicè. cap. 93.

D

Defensione danda reo ante condemnationem. cap. 28.
De vno vulnere, de quo quis mortuus fuerit non possit, nisi vnus tantum ad mortem condemnari. cap. 36.
Debentibus currere cum armis pro honore Domini, cùm rumor esset in Ciuitate. cap. 95.

E

Examinationi testium Dominus Potestas debeat interesse. cap 32.
Euntibus sine lumine post tertium tintinabulum. cap. 115.

F

Fure deprehenso in furto, curiæ præsentando. cap. 86.
Furtis. cap. 98.

H

His qui conspirationem coniurationem, aut perpetrationem fecerint in detrimento Domini Episcopi. cap. 2.
His qui receptauerint hæreticos, & similes, & tenuerint scienter in domo. cap 4.
His qui blasphemauerint Deum, & eius Genitricem Gloriosam Virginem Mariam. cap. 5.
His qui fecerint insultum irato animo, vel admenationem contra aliquem. cap 14.

His qui receptauerint, vel celauerint in domibus malefactores. ca.44.
Hominibus tenentibus denunciare syndico suo rixam homicidia, & rumores. cap.63.
His qui cucurrerint ad rumorem causa dandi auxilium parti, vel fauorem. cap. 64.
His qui cognouerint aliquam mulierem virum habentem, & quæ pœna sit, cap. 65.
His qui carnaliter cognouerint aliquam mulierem virum habentem de sua voluntate. cap. 66.
His qui abduxerint vxorem alterius. cap. 67.
His qui cognouerint aliquam virginem coactam carnaliter, & quę pœna sit infligenda. cap. 68.
His qui falsam monetam fecerint. cap. 71.
His qui fieri fecerint falsam monetam. cap. 72.
His qui scienter expendiderint in Ciuitate Tridēn. falsam monetam, vel in eius diœcesi, cap. 73.
His qui totonderint seu rasauerint aliquas monetas seu monetam. ca. 74.
His qui in Iudicio falsum fecerint iuramentum. cap. 76.
His qui vocauerint aliquas honestas dominas meretrices. cap. 78.
His qui aliquas personas bonæ & honestæ famæ mentiti fecerint. ca. 79.
His qui vendiderint aliquam possessionem, vel rem mobilem duobus, cap. 80.
His qui cridauerint heu foras, vel ad arma. cap. 81.
His qui victi fuerint in criminalibus condemnentur soluere impensas legitimas victoribus, cap. 82.
His qui personam aliquam deprædati fuerint. cap. 83.
His qui deprædatorem vel bona deprædati scienter receptauerint. ca. 84.
Hominibus contratarum vbi furtum, vel deprædatio facta fuerit debentibus præstare auxilium læsis. cap 85.
His qui deprædati fuerint in rumore ignis. cap 87.
His qui familiam Domini Episcopi percusserint, seu vulneruerint. cap. 89.
His qui percusserint Officiales Domini Episcopi exercentes sua officia. cap. 90.
His qui furtipuerint, vel deprædati fuerint loca Ecclesiastica. cap. 91.
His qui in aliquo regimine &c. se intromiserint. cap. 94.
His qui contra Communitatem, seu eius Officiales dixerint aliqua verba iniuriosa. cap. 96.
Homicidio. cap. 97.
His qui tenentur currere ad ignem, cap. 108.
His qui non iuerint ad exercitum siue scortam. cap. 113.
Hospitatoribus debentibus denunciare dictam postam hospitibus suis. cap. 116.

Iura-

I

Iuramento fidelitatis Domino Epiſcopo ſeruando, & de pœna infidelitatis. cap. 1.
In cauſis merè criminalibus procedi poſſit diebus feriatis. cap. 19.
In quibus caſibus poſſit procedi ex officio. cap. 21.
In cauſis delictorum in caſibus non declaratis procedatur ſecundum ius commune. cap. 23.
Incarceratus occaſione criminis importantis præcisè pœnam pecuniariam præſtando fideiuſſorem relaxetur. cap. 24.
In dilatione, ſiue termino non computetur dies terminum, & hoc intelligatur tàm in ciuili, quàm in criminali. cap. 26.
Incidentibus, vel deguaſtantibus vineas arbores blada, & ſimilia. ca. 45.
Incendiarijs. cap. 62.
Impegolatura nauium, & collatura ſepi in Ciuitat. non fiendis, & fornace. cap. 112.

L

Leuibus percuſſionibus non procedatur contra impuberes. cap. 10.
Liceat famulum furem capere, & captum tenere. cap. 49.
Lenonibus, ſeu ruffianis puniendis. cap. 70.

M

Malefactores recedant de Ciuitate. cap 3.
Membri debilitatione. cap. 12.
Modo procedendi in delictis contra abſentatos. cap. 16.
Mulieribus, vel earum parentibus tenentibus denunciam violentiarum ſibi factarum infra tempus facere. cap. 69.
Meretrices caſalinæ ducantur cum tamburlo ad lupanar. cap. 105.
Mercede Notarij maleficij. cap. 119.
Mercede viſi, & repertu. cap. 120.

N

Notarius legat, & vulgarizet accuſationem ſeu denunciationem accuſanti, & accuſato denuncianti, & denunciato, & inquiſitionem inquiſito. cap. 18.
Non portandis armis per Ciuitatem. cap. 114.
Non debentibus lauare lanam, pelles in rugijs Ciuitatis. cap. 118.

O

Officialibus in officio fraudem committentibus. cap. 88.

P

Percuſſionibus vacuis manibus illatis abſq; ſanguinis effuſione, vel cùm ſanguinis effuſione. cap. 7.
Pœna imponenda his, qui fecerint aliquem percuti, vel vulnerari. ca. 13.
Pœna Poteſtatis, ſeu alterius Iudicis occident. aliquem in tormentis, vel relinquentis in tormentis aliquem. cap. 30.
Pœna latuati, ſeu maſcharati percutientis aliquem. cap. 31.

Pœna Notarij qui circa diem, menſem, annum, vel inditionem per imprudentiam peccauerit. cap. 41.
Pœna viatoris facientis falſam ambaſciatam vel relationem. cap. 42.
Præmio dando illis, qui ceperint aliquem bannitum pro maleficio. c. 43.
Pœna amouentium terminum. cap. 46.
Pœna ſpoliantis aliquem poſſeſſione ſua. cap. 47.
Pœna ementis, vel vendentis beſtias, quas vendens habebat in ſocida, vel ad partem. cap. 51.
Pœna recedentis à poſſeſſione, vel eam transferentis in alium contra voluntatem eius à quo recognouerat. cap. 52.
Pœna veneficij. cap. 53.
Pœna falſificantis ſigillum Domini Noſtri vel Communis Ciuitatis Trident. ſeu alterius ſingularis perſonæ. cap. 55.
Pœna falſificantis ſcripturas exiſtentes in archiuo communis. cap. 56.
Pœna facientis cartam, vel ſcripturam falſam. cap. 57.
Pœna illius qui falſum teſtimonium dixerit in cauſa criminali. cap. 58.
Pœna illius qui dixerit falſum teſtimonium in cauſa ciuili. cap. 59.
Pœna mutantis ſibi nomen, vel cognomen. cap. 60.
Producentibus falſa inſtrumenta. cap. 75.
Puniendis malefactoribus vbicunq; in Epiſcopatu Tridenti fuerint reperti. cap. 99.
Pœna ementium res furtiuas, vel robatas. cap. 101.
Procuratione ignis, & luminum in domibus alienis per habitantes in eis. cap. 106.
Procuratione ignis in domibus proprijs, & quomodo debeant reſarcire damnum paſſo. cap. 107.
Portatoribus tenentibus currere ad ignem cum brentis ſuis ad extinguẽdum. cap. 109.
Piſtoribus, ſiue fornarijs, & alijs non debentibus portare lumina de nocte, ſi ventus fuerit. cap. 111.

Q.

Qualiter, & quando, & quibus ex cauſis poſſit quis tormẽtis ſubijci. c. 22.
Qui ligna furantur quomodo puniantur. cap. 35.
Qui doloſè ſagittauerit, vel de cuius domo aliquis fuerit ſagittatus quomodo punietur. cap. 37.
Qui binas vxores eodem tempore habuerit quomodo puniatur. cap. 38.
Qui accuſationem de falſo fecerit, & in probatione defecerit quomodo puniatur. cap. 39.
Qui interpellauerit aliquem Notarium de falſo Inſtrumento, vel teſtem de falſo, aut Notarius, vel teſtis interpellatus ſit quomodo puniatur. cap. 40.
Qualiter, & quãdo Procurator iteruenire poſſit ĩ cauſis criminalib⁹. c. 50.

Qui

Qui sint confines plateæ. cap. 77.

R

Remissione pœnæ per confessionem sponte, vel pacem habitam. ca. 15.
Requirantur Gastaldiones ad torturas, cap. 17.
Robatoribus stratarum. cap. 92.

S

Syndicis plebatuum Trident. tenentibus denuntiare rixas, homicidia in suo plebatu factas. cap. 29.
Si furtum factum fuerit patri, marito, vel domino per filium vxorem, vel seruum. cap. 54.

T

Testes diligenter examinentur per Potestatem in criminalibus, & de modo scribendi dicta testium. cap. 27.
Tabernarijs non debentibus filio familias, vel seruo pignora accipere. cap. 103.

V

Verbis iniurioſis. cap. 6.
Vulneribus illatis in facie, vel in capite cum gladio lapide, vel bastono. cap. 11.
Vt contumaces pro maleficio requisiti pro confessis habeantur ratione suæ contumaciæ. cap. 20.
Vt mulieres honestæ cognoscantur ab inhonestis. cap. 104.
Vino non conducendo, ad Ciuitatem ex statuto quondam Episcopi Alexandri, cap. 117.

¶ Explicit tabula Criminalium.

INCIPIT LIBER TERTIVS STATVTORVM TRIDENTINORVM,

De Criminalibus.

¶ De iuramento fidelitatis Domino Episcopo seruando, & de pœna infidelitatis. Cap. 1.

IN primis statuimus, & ordinamus, quòd omnes, & singuli Officiales, Consiliarij, Prouisores, & Procuratores, & cæteri Ciues Ciuitatis Tridenti, omnesq; Syndici, Anciani, Consules, & cæteri Officiales Plebatuum, Villarum, Castrorum, & Burgorum Diœcesis Tridentinę, ac cæteri Iurisdictionis Episcopatus Tridenti, teneantur, & debeant iurare corporaliter ad Sancta Dei Euãgelia se velle iuuare, & manutenere ipsum Dominum Episcopum Tridẽ. in omnibus suis Iuribus, Iurisdictionibus, honoribus, & Consilijs, & sequi suum Capitaneum, & eorum signa, & vexilla cũ personis, equis, & armis, quotiescunq; opus fuerit, & obsequi, parere, & satisfacere omnibus generibus suorũ mandatorum, & pura deuotione, toto posse, subiectiue gerere vices ipsius Domini Episcopi sibi commissas, absq; dolo, & fraude, & sua officia fideliter exercere, & semper iustum, & verum consilium ipsi Domino Episcopo, suoq; Capitaneo præbere, & si ad aures eius peruenerit quicquam, quod posset inferre damnum, iacturam, & detrimentum personæ ipsius Domini Episcopi, vel suæ Vrbi, Burgis, Castris, Villis, & locis, quam citius poterit

per ſe, vel per ſuum ſpecialem nuntium reuelabit, & dicet ipſi Domino Epiſcopo: Et ſi quod ſecretum fuerit ſibi commiſſum, & iniunctum, per ipſum Dominum Epiſcopum, vel per ſuum Capitaneum, vel per alium ſuum Officialem, & nuntium, nemini propalabit, & ſemper contra ſuos hoſtes inimicum ſe conſtituet.

¶ De his qui conſpirationem, coniurationem, aut perpetrationem fecerint in detrimentum Domini Epiſcopi. Cap. 2.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi qua perſona fecerit aliquam conſpirationem, vel coniurationem, ſeu perpetrationem cum aliqua perſona, Communitate, Domino, vel Magnate, in damnum, & detrimẽtum Domini Epiſcopi, vel ſuæ Vrbis Tridentinæ, vel ſuorum Caſtrorum, Burgorum, Villarum, aut locorum, ſi fuerit Nobilis, ſibi debeat caput amputari, taliter quòd moriatur: Et ſi fuerit popularis ſuſpendi debeat ſuper furca, taliter quòd moriatur, ſed ſi fuerit mulier, ignibus concrematur, tanquam ſcelerati, & proditores, reſeruato Domino Epiſcopo, & cuilibet pro eo præſidenti libero arbitrio augendi, vel minuendi pœnas ſupraſcriptas, pro ſuo libito voluntatis, prout loci, perſonarum, ac temporis qualitas exegerit.

¶ Quod malefactores recedant de Ciuitate. Cap. 3.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd omnes aſſaſſini, fures, & latrones, & huiuſmodi ſimiles malefactores à Ciuitate Tridenti, & eius Diſtrictu, & Iuriſdictione recedant, & recedere procurent, & amplius in ea non habitent, nec conſeruentur, & nullo gaudeant, & gaudere poſſint priuilegio habitandi ſibi conceſſo, etiam ſi de aliquo appareret, ſub pœna eos trucidandi, & puniendi ſecundum exigentiam delicti per eos commiſſi, & eorum demerita.

¶ De his qui receptauerint hæreticos, & ſimiles, & tenuerint ſcienter in domo. Cap. 4.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd nulla perſona debeat tenere in domo ſcienter, Gazaros, Patarinos, Copinos, Speronellos, Pauperes bagnolos, Conteritios, Albanenſes, Huſſitas, Dulcinos cum Apoſtolis, & ſocijs ſuis, nec cæteros hæreticos, & contrarios Catholicæ fidei, quocunque nomine nuncupentur, nec eis benefacere, nec auxilium, conſilium, & fauorem dare, & qui contra prædicta, vel aliquod prædictorum fecerit ſcienter pœnas canonicas, & ciuiles incurrat.

¶ De

¶ De his, qui blasphemauerint Deum, & eius Genitricem Gloriosam Virginem Mariam. Cap. 5.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si qua persona blasphemauerit Deum, vel eius Genitricem Virginem Mariam, vel suos Sanctos, & Sanctas, vel aliquem prædictorum, condemnetur, & puniatur in libris decem bonæ monetæ, pro qualibet vice, qua blasphemauerit Deum, vel eius Matrem Virginem Mariam, & in libris septem pro qualibet vice, qua blasphemauerit Sanctos eius, quas libras si non soluerit infra vnam diem, siue soluere non poterit, pro qualibet vice, qua blasphemauerit, ter in flumen Athesis submergatur, siue suffocetur, & quilibet de prædictis sit accusator, & habeat medietatem, si per eius accusationem, vel notificationem veritas fuerit inuenta.

¶ Item si aliquis blasphemando diceret al despecto de Dio, vel de la nostra Donna, aut becho, putana, aut similia verba, quòd tunc, & eo casu, puniatur in libris vigintiquinq; bonæ monetæ: Quarum medietas applicetur Cameræ Episcopali, alia dimidia accusatori, qui in secreto tenebitur.

¶ Item quòd si quis in contemptum Dei, Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum, & Sanctarum curreret contra imagines eorum animo irato, & verberaret, & admenaret contra illas imagines, & ficus faceret, vel exspueret contra tales imagines, vel quid simile turpe faceret, &c. Tunc illi tali amputetur iudicialiter manus dextra, & lingua incidatur, ad exemplum aliorum, vt delicta non remaneant impunita.

¶ De verbis iniuriosis. Cap. 6.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quicunque dixerit verba iniuriosa alicui, condemnetur, & condemnari debeat in libra vna, grossis quatuor, charentanorũ bonæ monetæ: Si verò fuerit coram Domino, puniatur in libris decem: sed si fuerit coram eius Vicario, Prætore, aut in platea, vel in Ecclesia condemnetur in quinque libris bonæ monetæ, & minus, vsquè ad summam duarum librarum, inspecta qualitate personarum, & verborum, in arbitrio Iudicantis, & si pax facta fuerit eodem die, vel sequenti, de iniurijs prolatis. Item, & si reus confessus fuerit se dixisse verba iniuriosa, tunc condemnatio non possit fieri vltra summam duarum librarum, & quæ sint verba iniuriosa, vel non, relinquatur arbitrio Iudicantis, reseruata actione iniuriarum passo.

¶ De percussionibus vacuis manibus illatis absquè sanguinis effusione, vel cum sanguinis effusione. Cap. 7.

ITem statuimus,& ordinamus,quòd si quis percusserit aliquem in qualibet parte corporis, excepta facie, iniuriosè vacuis manibus, & sanguis non exierit, licet tumefactio facta non sit, siquidem fuerit in platea, vel in Palatio, vel coram Prætore, aut ad domum habitationis iniuriati, condemnetur in decem libris bonæ monetæ: si verò sanguis exierit condemnetur in libris tredecim, si verò alibi,quam in prædictis locis,vel aliquo prædictorum, & sanguis non exierit,condemnetur in libris quatuor: si verò sanguis exierit, condemnetur in libris septem: si verò in Ecclesia, in libris vigintiquinq; cõdemnetur,si sine sanguinis effusione: sed si cum sanguinis effusione in libris quinquaginta,reseruata semper actione iniuriarum, contra delinquentem iniuriam passo.

¶ Item statuimus, & ordinamus, quòd in prædictis casibus Iudex possit minuere quartam partem pœnæ prædictæ, inspecta conditione personarum, & qualitate facti, & si reus sponte confessus fuerit, defalcetur sibi quarta pars condemnationis contra eum fiendæ, non facta confessione. Eodem modo, si pax facta fuerit ante condemnationem, defalcetur alia quarta pars condemnationis,vt suprà,& in prædictis casibus,si percussiones essent magnæ, cum effusione magna sanguinis, possit condemnatio fieri vsq; ad summam vigintiquinq; librarum, & minus in arbitrio Domini, vel eius Potestatis, vel Iudicis, secundum conditionem personarum, & facti.

¶ De alapa siue smusata illata. Cap. 8.

ITem statuimus,& ordinamus, quòd si quis dederit alicui alapam, vel smusatam in faciem,siquidem fuerit in Palatio,vel in platea,vel in Ecclesia, vel ad domum iniuriati, aut coram Prætore, & Iudicente, & sanguis exierit, condemnetur in libris triginta bonæ monetæ, & minus ad summam decem librarum, inspecta qualitate personarum, & facti arbitrio Iudicantis; Si verò sanguis non exierit, condemnetur in libris viginti,& minus, vsq; ad summam quinq; librarum, inspecta conditione personarum, & qualitate facti arbitrio Iudicantis. Si verò percussio facta fuerit in alijs locis, quam in prædictis, tunc si sanguis exierit,condemnetur in libris decem bonę monetę,& si sanguis non exierit,in libris quinq;. Et si reus sponte confessus fuerit, remittatur sibi quarta pars: Et eodem modo, si pacem habuerit ab iniuriato ante condemnationem,remittatur sibi alia quarta pars.

¶ De

¶ De capillatura, siue spinctura, & si quis fecerit ficas. Cap. 9.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si aliquis spinxerit leuiter, vel scapillauerit, vel ficas dederit, condemnetur in libris tribus bonæ monetæ, dum tamen in spincta offensus non habuerit læsionem in persona, nec in terram ceciderit: quo casu possit reus in plus condemnari, inspecta læsione interuenta, & inspecta qualitate personæ, non excedendo summam quinq; librarum.

¶ Quod de leuibus percussionibus non procedi debeat contra impuberes. Cap. 10.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd pro leuibus percussionibus, sgraffaturis, aut alijs leuibus delictis, non procedatur, contra impuberes, nec contra gaioffos, inter se rixantes: sed pro sgraffaturis, vel alijs vulneribus paruis, etiam factis cum bastono, vel alijs armis, per alias personas, quam per prædictos, pœna sit arbitraria; ita tamen, quòd Dominus Iudex non excedat in condemnando summam decem librarum denariorum.

¶ De vulneribus illatis in facie, vel in capite cum gladio lapide, vel bastono. Cap. 11.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis vulnerauerit aliquem super facie, capite, vel gula, & sit remansura cicatrix euidens, & deformis, condemnetur in libris quinquaginta. Si verò non sit remansura cicatrix prædicta, tunc condemnetur in minus, arbitrio Iudicantis, inspecta conditione vulnerum, & personarum, & factis; non excedendo tamen summam vigintiquinq; librarum. Si verò in alia parte corporis, licet tumefactio, vel nigredo facta non sit, etiam si requireretur ponere ventosas pro liberando percussum, si sanguis exierit in magna quantitate, soluat libras sexdecim bonæ monetę de Marano: Et si sanguis non exierit, decem libras eiusdem monetę: quæ pœna toties imponatur, quot fuerint vulnera, & si reus sponte confessus fuerit remittatur sibi quarta pars. Eodem modo remittatur sibi alia quarta pars, si pacem habuerit ab iniuriato ante condemnationem, reseruata actione iniuriarum passo in omnibus casibus suprascriptis: si verò percussio facta fuerit in Ecclesia, vel in platea, vel in Palatio, tunc puniatur in duplum: si verò percussiones siue vulnera fuissent plures, vno tamen ictu solo facta, tunc secundum ius commune puniatur pro vna sola percussione, & etiam compellatur per Dominum Potestatem ad satisfaciendum vulnerato omnes

expensas, quas vulneratus fecerit, vel sustinuerit, in Medicis, & medicinis, & aliàs occasione vulneris: de quibus expensis stetur Sacramento vulnerati, præmissa tamen Iudicis taxatione, pro quibus expensis possit realiter, & personaliter pignorari, nisi probauerit illum vulnerasse ad sui defensionem.

¶ De membri debilitatione. Cap. 12.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis aliquem percusserit, & membrum aliquod ei debilitauerit, intelligendo etiam hoc casu, vnum digitum manus fore membrum, condemnetur in duplum eius, in quo puniretur, si membrum non fuisset debilitatum: quam pœnam si soluere non poterit, simili pœna, vt intulit, puniatur, seruata actione iniuriarum passo.

¶ De pœna imponenda his, qui fecerint aliquem percuti, vel vulnerari. Cap. 13.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis ad instantiam alterius aliquem percusserit, vulnerauerit, vel aliter offenderit in casibus statutorum prædictorum, condemnetur tam faciens, quam fieri faciens in duplo pœnarum superiùs expressarum, iuxta distinctionem delictorum prædictorum.

¶ De his, qui fecerint insultum irato animo, vel admenationem contra aliquem. Cap. 14.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis fecerit insultum contra aliquam personam irato animo cum cultello euaginato, vel alijs armis, admenando, & volendo eum percutere, si non percusserit, condemnetur, & puniatur pro qualibet vice, qua cucurrerit, & admenauerit, in decem libris, & minùs arbitrio Iudicantis.

¶ De remissione pœnæ per confessionem sponte, vel pace habita. Cap. 15.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd de qualibet pœna pecuniaria, si inquisitus de plano, sponte, absque probatione, confessus fuerit delictum, remittatur sibi quarta pars pœnæ, & similiter, si habuerit pacem ab offenso ante condemnationem, defalcetur sibi alia quarta pars pœnæ.

¶ De

¶ De modo procedendi in delictit contra absentatos. Cap. 16.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si citatus semel personaliter, vel bis ad domum habitationis suæ, diuersis diebus, vt præsentet se coram Iudice, infra terminos competentes sibi statutos iuxta formam statutorum Communis Tridenti, in casibus, in quibus sit pœna mortis, vel abscissionis membri, non comparuerit infra terminum assignatum, siquidō per testes omni exceptione maiores, vel alias legitimas probationes manifestè, vt suprà, constiterit inquisitum, accusatum, vel denunciatum delictum, pro quo procedebatur, commisisse, tunc possit diffinitiua sententia proferri contra absentem, & poni ad bannum personę, ita vt possit quilibet ipsum offendere in persona, & offendi facere impunè: quæ sententia, si quo tempore reus captus fuerit, executioni mandetur, non obstantibus aliquibus exceptionibus: saluo, quòd si probare voluerit ad sui defensionem fecisse, vel falsitatem testium, vel inimicitiam capitalem ipsorum testium, aut suam innocentiam, loco, & tempore coarctatam per testes idoneos omni exceptione maiores, audiatur; quæ exceptiones, & probationes super eis opponi, & probari debeant infra triginta dies continuos, postquam constitutus fuerit in carceribus Communis Tridenti. Dato illi Procuratore, quem elegerit ad sui defensionem, & quem possit ipse in præsentia Officialium Domini informare, antequam dicti triginta dies incipiant defensionis. Si verò non constiterit de crimine manifestè, & reus in contumacia perstiterit, condemnetur in libris centum, & banniatur: quo banno durante possit impunè offendi, & occidi, & facere offendi, & occidi, quando pœna esset capitalis infligenda, nec ei contra aliquem ius reddatur. Et si quo tempore ipse bannitus captus fuerit, vel se sponte præsentauerit, & se innocentem, vt suprà, non probauerit, vel ad sui defensionem fecisse, vel per testium falsitatem, vel inimicitiam, aut innocentiam, loco, et tēpore coarctatam, vt suprà, aut alio legitimo modo, tunc ponatur ad torturam, requisitis Gastaldionibus (vt moris est) vel duobus de sapientibus ad minus: ita quòd indicium fugæ verisimiliter sit purgatum per tres torturas, siue tres tractus chordæ. Et qui Gastaldiones, vel duo Consules Ciuitatis Tridenti, requiri debeant per Dominum Prætorem, quando vult Prætor aliquem ponere ad torturam. Et si dicti Gastaldiones, et Consules requisiti noluerint interesse dictæ torturæ, &c. puniantur in libris viginti quinque bonæ monetæ, applicandis Cameræ Episcopali, nisi ipsi Gastaldiones, et Consules prædicti causam legitimam, vel iustum impedimentum habuerint, et nihilominus captis pignoribus, et mulcta maiore indicta cogi debeant, vt interfint, ita vt absq; præsentia eorum ad torturam procedi nequeat, et processus alias sit nullus, saluo regressu contra Iudicem, vt in sequenti statuto.

¶ Quod

¶ Quod requirantur Gastaldiones ad torturas. Cap. 17.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quem malefactorem torqueri contigerit, requirantur Gastaldiones, qui pro tempore fuerint, vt interesse debeant torturæ, secundum antiquam consuetudinem in Tridento obseruatam. Qui Gastaldiones, si potestas vellet excedere modum torquendo, refrænare intentionem Potestatis debeant, & quòd Potestas, vel alius Officialis non possit, nec valeat aliquem ad torturam ponere sine præsentia dictorum Gastaldionum, vel duorum Consulum Ciuitatis, sub pœna vigintiquinq; librarum, pro qualibet vice, qua contrafactum fuerit per ipsum Potestatem, vel Officialē, aufferenda de suo salario, & applicāda Camerę Fiscali in totum. Et semper sit saluum ius Communitati Tridenti, agere contra ipsum Potestatem, vel Officialem de periurio, & de iustitia non administrata tempore Syndicatus, & de alijs pœnis Iuris, & q Iudex possit cogere ipsos Gastaldiones, seu Consules mulcta indicta.

¶ Quod Notarius legat, & vulgarizet accusationem, seu denunciationem accusanti & accusato, denunciantí & denunciato, & inquisitionem inquisito. Cap. 18.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd recepta accusatione, seu denunciatione, seu inquisitione formata, Notarius, qui eam recepit teneatur incontinenti legere, & vulgarizare dictam accusationem, seu denunciationem, siue inquisitionem dicto accusatori, seu denunciatori, & similiter legere, & vulgarizare accusato, seu denunciato, vel inquisito defensionem, quam fecerit, & quòd Iudex, cuiuscunq; gradus, & præeminentię sit, teneatur dare Aduocatum, seu Procuratorem incarcerato ex officio suo, vel ad instantiam partis, & illi Procuratori, seu Aduocato dare copiam inquisitionis testium, etiam cum nominibus eorum, si inculpatus sit in carceribus, exceptis casibus criminum infrascriptorum læsæ Maiestatis, hæresis, falsæ monetæ, & veneficij, & alijs, in quibus confiscatio bonorum venit imponenda de Iure, & reliquorum similiter indiciorum factorum, & receptorum contra dictum incarceratum habere volenti, & ei assignare terminum, ad faciendum suas defensiones, antequam ponatur ad torturam: Et ita, vt se possit defendere quòd non ponatur ad torturam: qui Iudex teneatur admittere tales defensiones, si erunt sufficientes, & pro modo defensionum iustitiam administrare, ad hoc, vt non tollantur defensiones incarceratorum, sub pœnis in præcedenti statuto contentis.

¶ Quod

¶ Quod in causis mere criminalibus procedi possit diebus feriatis. Cap. 19.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd in causis merè criminalibus procedi possit quolibet tempore, etiam si dies sint feriati, alias quam in honorem Dei, exceptis casibus supra comprehensis in statuto de Feriis, in quibus etiam in honorem Dei, procedi possit, vt in eo, nec non casibus, in quibus de Iure communi in diebus feriatis in honorem Dei procedi potest: Nec sit opus, quòd aliquis citetur ad videndum iurare testes, vel producere Instrumenta, vel alias probationes fieri: Nec sit opus, quòd publicentur testes, aut alia iuris solennitas obseruetur, sed procedi possit ad cognitionem veritatis, prout melius videbitur Iudici expedire, & ad ferendum sententiam omni exceptione remota: Et hoc statutū vendicet sibi locum in his, in quibus Iudex procedit ex officio suo per inquisitionem, non autem, quando procedit ad instantiam partis per aliquam querelam, quia tunc seruetur Iuris ordo, licet summariè debeat procedi, & causa ipsa finiri, & terminari.

¶ Vt contumaces pro maleficio requisiti pro confessis habeantur ratione suæ contumaciæ. Cap. 20.

ITem statuimus, & ordinamus, ne inobedientes gaudeant de sua contumacia, sed de sua temeritate condigna pœna afficiantur, quòd quicunque fuerit requisitus, seu citatus pro maleficio, seu occasione alicuius maleficij, & infra terminum assignatum non comparuerit, propter suam inobedientiam de dicto maleficio, pro quo fuerit requisitus, vt idem ratione suæ contumaciæ, habeantur pro confesso, & tanquam contra præsentem confessum, possit, & debeat fieri sententia contra ipsum, nisi ante sententiam, venerit pariturus mandatis Domini Potestatis; quo casu eius ratio audiatur, & eius defensiones liberè admittantur. Et hoc statutum locum habeat in criminalibus, in quibus non esset pœna sanguinis, vel personæ.

¶ In quibus casibus possit procedi ex officio. Cap. 21.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd Dominus Potestas Tridenti ex suo mero officio, & nulla præcedente denunciatione, vel accusatione procedere possit in omnibus maleficijs, & delictis, pro quibus pœna corporis, vel sanguinis afflictiua veniret imponenda, & in omnibus alijs criminibus, & delictis commissis, in quibus de iure communi procedi potest, etiam si pœna pecuniaria veniat imponenda in eisdem.

¶ Qua-

¶ Qualiter, & quando, quibus ex causis possit quis tormentis subijci. Cap. 22.

ITem quia, vbi maius periculum imminet, ibi cautius est agendum; Ideo statuimus,& ordinamus,& prohibemus, ne aliquis quouis genere tormentorum pro aliquo crimine,vel delicto, de quo esset inquisitus, denunciatus,vel accusatus,vel contra ipsum procederetur, quouis modo per curiam Domini Potestatis,vel quemuis alium Iudicem,seu Delegatum,torqueri possit,nisi sit famosus latro,vel fur,vel fallator monetarum, vel proditor,vel qui homicidium commiserit, vel prece, seu precibus aliquem vulnerauerit,siue occiderit,vel vulnerari, seu occidi fecerit, vel incendium fecerit,vel fieri mandauerit,vel super strata derobauerit,vel falsitatem aliquam commiserit, & generaliter omni casu,in quo de iure per statuta nostra pœna mortis, vel membri abscisionis,vel corporis afflictiua veniret imponenda, & generaliter in quocunq; delicto, ex quo pœna pecuniaria libras centum bonæ monetæ excedens veniret imponenda: Præcedentibus tamen legitimis indicijs, quæ legitima intelligantur, secundum quòd Iudex arbitratus fuerit, habendo Deum præ oculis, & Iuris, & veritatis fines nequaquam excedat: quorum indiciorum copiam dari reo, aut alteri eius Procuratori legitimo,vel Aduocato,si id postulauerit,cum termino competenti Iudicis arbitrio statuendo, ad ipsa indicia purganda,mandamus,si per viam accusationis,vel aliter,vel alicuius priuati promotionem,& seu per viam inquisitionis, vt suprà,in præcedentibus statutis,procedatur,& super ipsis indicijs,si copia data fuerit, audiantur allegationes Iuris,& defensiones rei,& facta super ipsis disputatione, declaret Iusdicens,absq; consilio alicuius sapientis,concedendo id,quod iustum sibi videbitur nulla appellatione, vel nullitatis dictione admissa: Pœna Iudici contrafacienti librarum vigintiquinq; , & ad omnem aliam pœnam quæ Syndicatoribus videretur, inspecta conditione personæ,& rei qualitate: Et tamen confessio contra prædictam formam extorta sit ipso Iure irrita, nec præiudicium aliquod faciat confitenti. Notarius autem maleficiorum genera tormentorum, & quantitatem scribere tenetur clarè,& apertè,sub eadem pœna: Nec possit aliquis subijci tormentis, nisi in præsentia Notarij,& Gastaldionum,prout suprà in præcedentibus statutis,qui de ipsa tortura, & de eius qualitate, & quantitate rogetur,sub pœna prædicta cuilibet contrafacienti.

¶ Quod

¶ Quod in cauſis delictorum in caſibus non declaratis, procedatur ſecundum ius Commune. Cap. 23.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd in omnibus, & ſingulis caſibus delictorum in ſtatutis non comprehenſis, debeat Iudex procedere, & punire ſecundum ius Commune: Ita tamen, quòd pro minori delicto maior pœna infligatur.

¶ Quod incarceratus occaſione criminis importantis precisè pœnam pecuniariam, præſtando fideiuſſorem relaxetur. Cap. 24.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd pro quolibet crimine, pro quo ſit precisè pœna pecuniaria infligenda, perſona, contra quam proceditur, poſſit incarcerari, ſaluo quòd ſi det bonam fideiuſſionem idoneam de ſe præſentando, & ſoluendo omnem condemnationem in eum ferendam, debeat tunc Iudex eum relaxare, & ſi fuerit iniuſtè captus, expenſæ ſoluantur relaxato à capi faciente, vel à Fiſco, ſi ex officio fuerit proceſſum, captura non iuſtificata.

¶ De commutatione pœnæ incurſæ. Cap. 25.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi caſus euenerit, quod propter paupertatem malefactores non poſſint condemnationes pœcuniarias ſoluere, ſit in arbitrio Iudicis, prout ſibi conuenire videbitur, ipſas pœnas pecuniarias incurſas, in aliam commutare, dum tamen in abſciſſionem membri non tranſmutet, & hoc in caſibus, in quibus non ſit pœna mortis, vel membri abſciſſionis.

¶ Quod in dilatione, ſiue termino non computetur dies termini, & hoc intelligatur tam in ciuili, quam in criminali. Cap. 26.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd in qualibet dilatione, ſiue termino hominis, vel Iuris, in qua, ſeu quo occurrat pluralitas dierum integrorum, vel inceptorum, dies termini, ſeu dilationis, non computetur in termino, ſeu dilatione. Et prædicta locum habeant in cauſis, tam ciuilibus quam criminalibus.

¶ Quod

¶ Quod testes diligenter examinentur per Potestatem in criminalibus, & de modo scribendi dicta testium. Cap. 27.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd teneatur ex vinculo iuramenti, & sub pœna. x. librarum Potestas, & quilibet alius Iudex, cum contigerit ipsos, seu aliquem ipsorum recipere testes aliquos, in aliqua causa criminali, in qua procederent ex inquisitione, vel ex denunciatione Officialis, vel aliter, cuius tamen pœna sit corporalis, vel pecuniaria excedens quantitatem librarum centum, diligenter ipsos testes examinare, & interrogare de veritate negotij, & de loco, & tempore, & quibus præsentibus, & de alijs circunstantijs, ad tale negotium facientibus, cum alijs interrogatorijs necessarijs, omissis superfluis, & captiosis interrogationibus, & teneatur scribere per ordinem, & seriatim dicta testium, & ea quę dixerint se scire, nec sufficiat absolute dicere, vera esse, quæ in prædictis, vel aliquo prædictorum continentur, nec etiam si testis dixerit, dico, vt dixit alius testis, vel si Notarius dicat, dixit, vt alius testis, sed ore proprio dicat ordinem, & exitum ipsius rei gestæ: & si quis contra formam prædictam deposuerit, non valeat dictum eius, nec fidem, vel probationem aliquam, nec indicium faciat, seu inducat: Si tamen Prætor personaliter tali testium examini interuenire non possit, iusta & necessaria causa impeditus, tunc examen committere possit alicui Iurisperito non suspecto, & Notarius aliter recipiens, seu scribens cadat in pœnam librarum quinque: & si inquisitus non confideret de Potestate, vel Iudice examinante, possit ipse inquisitus, si voluerit, in examinatione testium petere quòd vnus adiungatur non suspectus, deputandus per Reuerendissimum Dominum, qui requisitus teneatur adesse ipsi examinationi, sub mercede debita: si verò ex accusatione instituta processum fuerit, idem seruari volumus: & vbi procedetur per viam inquisitionis Iudex inquirens nil possit petere, vel recipere occasione mercedis, pro examinatione testiũ, nisi inquisitus fuerit repertus culpabilis, & de iure condemnandus videatur, ac saluo, quòd si examinaret testes inductos per inquisitum ad eius defensionem; quo casu recipere possit, iuxta formam taxæ de qua in statutis, & non vltra: & si in aliquo prædictorum contrafecerit cadat in pœnam librarum decem, applicandarum Fisco.

¶ De defensione danda reo ante condemnationem. Cap. 28.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd Potestas, nec aliquis exercens aliquam Iurisdictionem non possit, nec debeat aliquem, seu aliquos criminaliter condemnare, aliqua occasione, nisi prius dederint competentem dilationem ad se defendendum, quæ dilatio non possit esse minor

dierum

dierum trium, sed dari possit maior arbitrio Potestatis, inspecta qualitate personæ, & magnitudine negotij: & hæc dilatio scribi debeat in actis, nisi aliter per statuta dispositum reperiatur: & si contrafactum fuerit talis condemnatio non valeat, nec exigi possit, sed ipso iure sit nulla.

¶ De Syndicis Plebatuum Tridenti tenentibus denunciare rixas, & homicidia in suo plebatu factas. Cap. 29.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd Syndici Plebatuum nostri Episcopatus, vinculo Sacramenti teneantur, & debeant per se, vel per legitimum nuntium denuntiare nobis, seu nostro Capitaneo, aut Potestati, & non Notarijs maleficiorum, nisi coram Prætore existant, omnia homicidia, vulnerationes, rixas, insolentias, incendia, latrocinia, violentias, seu quæcunq; alia facta, & commissa in Villis sui Plebatus, & in eius territorio, & districtu, infra tertiam diem, postquam factæ fuerint, & maleficium eisdem notum fuerit, vel fama publica inde erit: & qui contrafecerit, puniatur pro vnoquoque, & vnaquaq; vice, in libris viginti bonæ monetæ de Matano.

¶ De pœna Potestatis, seu alterius Iudicis, occidentis aliquem in tormentis, vel relinquentis in tormentis aliquem. Cap. 30.

ITem statuimus, & ordinamus, & volumus, quòd si Dominus Potestas, aut alius Iudex aliquam personam posuerit, vel poni fecerit ad tormentum propter aliquod maleficium, ex quo poni possit, vel non possit ad torturam, ex forma Iuris, aut præsentium statutorum, adeo modum seruare teneatur, vt non moriatur, sed saluus in tormentis, seu supplicio remaneat: Si verò ita vltra modum, & acriter, ac immoderatè tortus in tormentis moriatur tormentorum occasione; Tunc Potestas, vel alius Iudex contra prædicta faciens, vel fieri faciens, puniatur pœna Iuris communis: Et quilibet possit esse verus, & iustus accusator. Adijcientes, quòd si Potestas, vel alius Iudex, qui aliquem fecerit tormentari, de loco tormentorum recesserint, eum in tormentis relinquentes pro aliquo notabili interuallo; Tunc Potestas, aut alius Iudex puniantur in libris ducentis: Si verò fuerit alius de ipsius familia, tunc in libris quinquaginta pro qualibet vice condemnetur, & salua nihilominus sit actio torto contra Iudicem, vel alium.

¶ De pœna personati seu mascharati percutientis aliquem. Cap. 31.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis personatus, siue mascharatus percusserit aliquem, si cum armis vetitis percusserit, & sanguis exiuerit amputetur ei manus, in qua magis potens est: si verò sanguis non exiuerit, in libris centum bonæ monetæ, si sine armis vetitis percusserit aliquem, & sanguis exiuerit, in libris vigintiquinque: si sanguis non exiuerit, in libris decem: & si os fregerit, in libris centum, & vlterius ad damna, & interesse parti: & in prędictis, & quolibet casuum prędictorum, possit procedi ex officio, & etiam ad instantiam cuiuslibet, vel denuneiam, etiam procedendo ad torturam ex quibuscunq; indicijs arbitrio Iudicis, considerata causæ, & personarum qualitate: & pœnæ prædictæ, in casibus prædictis, vltra alias ex statuto limitatas, imponantur, & impositæ esse intelligantur. Personatus autem esse intelligatur quilibet, qui faciem coopertam habeat, quòd faciliter cognosci non possit in faciem: salua semper in omnibus casibus prædictis actione iniuriarũ passo.

¶ Quod examinationi testium Dòminus Potestas debeat interesse. Cap. 32.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd examinationi testium faciendæ super criminibus homicidij, furti, robariæ, incendij, adulterij, incæstus, stupri, falsitatis Instrumentorum, & testamentorum, & aliorum excessuum, ex quibus alijs excessibus vitam, aut membrum quis perdere deberet, Dominus Potestas debeat esse præsens simul cum Notario maleficiorum: & si occurreret quòd ipse Notarius maleficiorum equitaret extra Ciuitatem pro homicidio in districtu commisso, post acceptas ibi testificationes, admonere debeat ipsos testes, quòd infra tertiam diem Tridentum veniant, vbi coram Domino Potestate dictæ testificationes legi debeant, & ipsi testes etiam ab ipso Domino Potestate examinentur, siue repetantur, delato sibi iterum per Dominum Potestatem sacramento, quòd ita fuerit, & sit rei veritas. Et idem per omnia seruetur in condemnationibus pecuniarijs, vltra libras centum.

¶ De custodibus nocturnis, & quid facere debeant. Cap. 33.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd milites Castri, & Domini Potestatis facere debeant bona fide, & diligentia, custodias noctis per omnes contratas in corpore Ciuitatis, ne furta fiant, vel alia damna dentur, neuè rixę, aut maleficia fiant, qui custodes retinere debeant, quoscunque inuenerint post tertium sonum campanæ, quæ de sero sonatur, ire, aut

stare

ſtare extra domũ ſine lumine, & nõ relaxare eos ſine fideiuſſione de preſentando ſe de mane ſequenti coram Domino Poteſtate Tridenti, qui tales mulctare poſſit ſecundum ordinem, & ſtatuta, exceptis his, quos inuenerint facere rixas, aut aliquod maleficium, quos tales ſtatim debeant præſentare Domino Poteſtati, vel conducere ad carceres Communis Tridenti, prout ſibi videbitur per ipſum Dominum Poteſtatem cũ Curia puniendos: & ſi fuerit homicidium, vel aliud graue delictum, illud ſimiliter in continenti eadem nocte Domino Poteſtati denunciare teneantur, ſub pœna arbitrij ipſius Domini Poteſtatis.

¶ Quod aliqua perſona nõn debeat tranſire de nocte flumen Atheſis. Cap. 34.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd aliqua perſona non debeat trahſire de nocte flumen Atheſis, intrando, vel exeundo Ciuitatem cum burchiellis, ſiue ſuper glacie, vel trabibus, vel lignis, vel alio quocunq; modo, ſub pœna quinquaginta librarum bonæ monetæ applicandarum Cameræ Fiſcali.

¶ Qui ligna furantur, quomodo puniantur. Cap. 35.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quicunq; inuentus fuerit furari ligna à domibus, vel ab igne in ripis, ſeu locis, vbi venduntur, vel alibi, in libris decem bonæ monetæ puniatur pro vna quaq; vicè, & plus, & minùs arbitrio Domini Poteſtatis, inſpecta qualitate facti, & perſonarum, & præterea mulctari debeat in reſtitutione damni.

¶ Quod de vno vulnere, de quo quis mortuus fuerit, non poſſit niſi vnus tantum ad mortem condemnari. Cap. 36.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi acciderit aliquem vulnerari, ſiue percuti vno vulnere, ſeu percuſſione, & ex dicto vulnere, ſeu percuſſione mortuus fuerit, & ob id plures fuerint accuſati, denunciati, vel inquiſiti, Dominus Poteſtas teneatur diligenter inquirere, quis fecerit dictum vulnus, vel percuſſionem, & eum quem magis veriſimile fuerit probationibus, præſumptionibus, & indicijs dictum maleficium commiſiſſe debeat, tanquam vulneratorem, ſeu percuſſorem, de homicidio condemnare, cæteris autem pœna inferatur, prout vnuſquiſq; inuentus fuerit culpabilis: Ita tamen quòd vnus tantum de homicidio, ſiue de morte condemnetur, vbi tantum fuerit vnum vulnus mortale, vel plura ab vno illata; ſaluo, quod hoc ſtatutum nõ habeat locum in homicidijs penſatè, &

premeditatè commissis, quæ tamen non præsumantur pensata, & premeditata, nisi legitimè probentur.

¶ Qui dolosè sagittauerit, vel de cuius domo aliquis fuerit sagittatus, quomodo punietur. Cap. 37.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si aliquis dolo malo aliquem sagittauerit cum balista, vel cum arcu, vel sclopo, condemnetur Cameræ Fisci in libris ducentis bonæ monetæ, & in amputatione manus: Et si de domo alicuius prædicta commissa fuerint, Domino domus sciente, condemnetur Dominus domus sciens, & consentiens eadem pœna saluo Iure mortis, & membri debilitati: sed si prædicta euenerint sine dolo, fiat punitio secundum formam aliorum statutorum.

¶ Qui binas vxores eodem tẽpore habuerit, quomodo puniatur. Ca. 38.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis habens vxorem, & ea viuente cum alia de facto scienter contraxerit matrimonium, puniatur in trecentis libris bonæ monetę, & in restitutione totius eius, quod nomine dotis recepisset: fœmina verò, quæ prædicta committeret, puniatur in amissione dotis, & patrimonij sui, quodcunq; fuerit, applicanda marito suo priori: & si bona non habuerint, tam masculus, quam fœmina, fustigentur per Ciuitatem, & perpetuò banniantur à Ciuitate, ac sint perpetuò infames.

¶ Qui accusationem de falso fecerit, & in probatione defecerit, quomodo puniatur. Cap. 39.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si aliqua persona, voluerit accusationem facere de falso teste, vel Instrumento, aut scriptura publica, vel priuata, vel de producente falsum testem, aut Instrumentum, seu scripturum, vel de vtente eo, vel ea, teneatur prius securitatem facere contra Notarium de quantitate pœnæ, si futura esset pecuniaria, contra accusatum in casu succumbentiæ, & dicere, ac exprimere in accusatione causas omnes falsitati. Et si in probatione defecerit contra Notarium, condemnetur eadem pœna, qua accusatus, si succumberet, veniret puniendus, siue sit pecuniaria, siue corporis afflictiua: quo vltimo casu, teneatur se presentare ad carceres, sicut ipse reus accusatus, nisi Iudex ex aliqua iusta causa viderit accusatorem motum, propter quam Iudex possit eum à tali pœna absoluere, quam causam exprimere teneatur in ipsa sententia, & idem per omnia seruetur, quando accusatio institueretur contra aliam

per

perſonam, quam contra Notarium: Et qui ſecuritatem prædictam contra Notarium, vel non Notarium facere non poterit, vel noluerit, ponatur in carceribus Communis Tridenti, & procedatur, ac ſi facta foret ſecuritas: Ita in caſu imminentis pœnæ pecuniariæ, ſicut ſupra ſtatutum eſt in pœna corporis afflictiua, & quòd pendente accuſatione falſi teſtis, vel Inſtrumenti, vel ſcripturæ priuatæ, ſiue etiam contra producentem falſum teſtem, vel Inſtrumentum, aut ſcripturam priuatam, ſuperſedeatur quæſtioni ciuili, in qua dicta talis productio facta fuerit: Ita quòd inſtantia cauſæ nullatenus currat à tempore accuſationis factæ, donec ipſa cauſa falſitatis fuerit terminata, & quòd de cætero non fiant, nec recipiantur accuſationes de ſuſpecto teſte, vel Inſtrumento, vel ſcriptura priuata, in quibus eſſent euidentes cauſæ falſitatis, niſi ſeruato modo prædicto: Item quòd principalis non poſſit accuſari de productione facta per Procuratorem ſuum, niſi ſi prius ipſe principalis fuerit interrogatus, & reſponderit velle vti, reſeruato ſemper iure agendi iniuriam paſſo.

¶ Qui interpellauerit aliquem Notarium de falſo Inſtrumento, vel teſtem de falſo, aut Notarius, vel teſtis interpellatus, quomodo puniatur. Cap. 40.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi aliqua perſona interpellauerit aliquem Notarium, quòd falſum Inſtrumentum faciat, & factum fuerit, aut teſtem vnum, vel plures, quòd falſum teſtimonium dicant, & ita dixerint, debeat eadem pœna puniri cum Notario, vel teſte, ſecundum formam ſtatutorum prædictorum: ſi autem ſolum interpellauerit, & Inſtrumentum falſum non fuerit confectum per Notarium, vel teſtimonium falſum non fuerit dictum per teſtem, condemnetur interpellans Notarium in trecentis libris, & interpellatus teſtem in centum libris, facta tamen legitima probatione: & hæc omnia ſibi vendicent locum ex ſola interpellatione facta de falſo, non derogando per hoc pœnis in ſuperioribus ſtatutis appoſitis.

¶ De pœna Notarij, qui circa diem, Menſem, Annum, vel Indictionem per imprudentiam peccauerit. Cap. 41.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi aliquis Notarius peccauerit in Inſtrumento conficiendo per imprudentiam, vel errorem circa diem, Menſem, Annum, vel Indictionem, aut locum, puniatur pecuniaria pœna arbitrio Domini Poteſtatis, inſpecta qualitate perſonarum, & facti: Et idem intelligatur ſi circa ſubſtantialia contractus peccauerit per errorem, vel in aduertentiam; dummodo non excedatur ſumma

vigintiquinq; librarum bonæ monetæ, & quòd ipse Notarius compellatur per Iudicem corrigere errorem suum, & teneatur reficere damna, & interesse parti.

¶ De pœna viatoris facientis falsam ambasciatam, vel relationem. Cap. 42.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd viator, qui fecerit falsam ambasciatam, siue relationem, condemnetur in decem libris, & in refectione totius damni, & expensarum sienda damnum passo, & non possit esse amplius viator in Ciuitate Tridenti, nec in eius Districtu, nec Baroerius Domini Potestatis: quas si soluere non poterit, fustigetur, & puniatur minori pœna suprascripta, sed potius maiori inspecta rei qualitate.

¶ De præmio dando illis, qui ceperint aliquem bannitum pro maleficio. Cap. 43.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis ceperit, & in fortiam Communis Tridenti conduxerit aliquem, qui bannitus fuerit pro homicidio, vel robaria, seu pro aliqua causa, ex qua secundum formam statuti mori deberet, Dominus Potestas teneatur, & faciat infra octo dies dare ei, vel eis, qui eum ceperint, libras centum de bonis banniti, si habet vnde: & si non habet, tunc Camera Reuerendissimi Domini Episcopi, & Principis Tridenti, solnat: sed si fuerint Officiales, & Baroerij, qui talem ceperint, vt suprà, habeant medietatem præmij antedicti.

¶ De his, qui receptauerint, vel celauerint in domibus malefactores. Cap. 44.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis scienter receptauerit, vel collocauerit in domibus, vel in quibuscunque alijs locis, aliquem, vel aliquos malefactores, qui aliquem vulneraverint, seu maleficium commiserint, & ipsum continuò Curiæ non præsentauerit, seu notificauerit, soluat Domino libras decem pro quolibet malefactore receptato, siue collocato. Et si ille, qui vulneratus fuerit, morietur, soluat Domino libras sexaginta.

¶ De

¶ De incidentibus, vel deuaſtantibus vineas, arbores, blada, vel ſimilia. Cap. 45.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi qua perſona de cætero ad vindictam aliquam, vel iniuriam inciderit, vel ſquarzauerit, alias ve quomodocunq; deuaſtauerit vites aliquas, vel arbores fructiferas, cuiuſcunque ſortis, vel conditionis, aut blada, ſeu ſegetes, vel aliquod aliud damnum intulerit enorme appenſatè, & ad vindictam, vel iniuriam alicui, primo fuſtigetur per totam Ciuitatem Tridenti, deindè banniatur à Ciuitate, & Diſtrictu, per, & ad tres annos continuos, & tamen reficiat damnum paſſo, ad computum, & rationem librarum vigintiquinq; pro quolibet pede arboris fructiferæ, & librarum decem pro quolibet pede vitium, & ſic, elapſis dictis tribus annis, non poſſit redire, niſi refecerit dictum damnum paſſo, iuxta taxationem ſuprafcriptam: & hæc pœna locum habeat pro prima vice, qua quis prædicta fecerit: pro ſecunda vero vice, uel ulteriori, qua ſic commiſerit, ſit pœna amputationis manus, & perpetui exilij: in quo ſtatuto declaramus non comprehendi, quando quis inciderit aliquam arborem in confinibus, & ex cauſa confinium, & de qua eſſet lis. Quo caſu uolumus, quòd talis incidens, ſi ſuccubuerit in cauſa, puniatur ſolum in libris uigintiquinq; pro quolibet pede, & ad refectionem damni paſſo, & in amiſſiones Iuris.

¶ De pœna amouentium terminum. Cap. 46.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quicunq; dolosè, & ſcienter terminum, ſiue terminos aliquarum poſſeſſionum, & terrarum amouerit, uel amoueri fecerit, condemnetur in R henenſibus quinquaginta auri applicandis Fiſco, quos ſi infra menſem ſoluere non potuerit, tunc manus dextra eidem amputetur, & pœnam exilij perpetui incurrat, & nihilominus teneatur, poſtquam notum fuerit de amotione prædicta, dictum terminum, ſeu terminos reponere in priſtinum ſtatum, & ad hoc compellatur de facto per Poteſtatem, ſeu Iudicem.

¶ De pœna ſpoliantis aliquem poſſeſſione ſua. Cap. 47.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi quis per ſe, uel alium per uim ſpoliauerit aliquem poſſeſſione ſua, uel quaſi, rei immobilis, uel alicuius iuris inhærentis rei immobili, uel fructuum ipſius poſſeſſionis, ſi ſine armis, & abſq; coadunatione gentium, condemnetur in libris quinquaginta: Si uerò cum armis, & coadunatione perſonarum, in libris centum: Si uerò cum armis, & ſine coadunatione, condemnetur in libris ſeptua-

septuaginta quinq;, & coadunatio intelligatur esse, si cum illo spoliante fuerint quatuor personæ, etiam si essent de eadem familia, & abinde suprà: Si verò spoliauerit aliquem per vim possessione alicuius rei mobilis, vel aliter, quam per vim, condemnetur ad dimidiam dictarum pœnarum, & in quolibet casuum prædictorum condemnetur ad restitutionem dictæ possessionis, & rei, & ad fructus, quos percepisset, vel qui percipi potuissent, & ad damna, & interesse, & vlterius ad non molestandum ipsum possessorem: & prædicta habeant locum in qualibet vi expulsiua, siue compulsiua, vel ablatiua, in quibus casibus procedi valeat, & debeat, etiam ex officio pœnæ tamen prædictæ omnes duplicentur, & duplicari debeant, contra Nobiles, vel potentes spoliantes, vt suprà.

¶ De alienantibus rem liuellatam pro libera. Cap. 48.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd aliqua persona non audeat, nec præsumat aliquo modo, vel ingenio rem, de qua soluit afflictum, seu liuellum, in aliam personam, siue Ecclesiasticam, siue secularem transferre pro libera, & franca, sciens eam esse emphyteuticam, vel liuellatam, sub pœna librarum quinquaginta bonæ monetæ, Fisco applicandarum pro dimidia, & pro alia dimidia Domino directi, & talis translatio, & alienatio ipso Iure sit inualida, & non teneat, & puniatur tam alienans, quam recipiens, si conscius fuerit dictæ conditionis, in dictis libris quinquaginta bonæ monetæ, applicandis, vt suprà, & nihilominus ipse emphyteuta cadat à iure suo ipso facto, & possit Dominus directi propria authoritate ingredi ad possessionem rei, sic in alium translatæ.

Quod liceat famulum furem capere, & captum tenere. Cap. 49.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd liceat vnicuiq; sine Potestatis, siue alterius Iudicis licentia seruientem, vel famulum suum cuiusq; sexus, impunè capere, si diceret per eum, vel per eam, sibi furtum commissum esse, & captum, & captam tenere per horas vigintiquatuor, & non vltra, & in arbitrio sit capientis captum tradere Potestati, aut eum liberare, nec Potestas de prædictis, nec alius Iusdicens possit, aut debeat aliquam iniuriam capienti facere, & si vltra dictum tempus tenuerit, cadat in pœnam librarum quinquaginta Cameræ Episcopali applicandarum.

¶ Qui-

¶ Qualiter, & quando Procurator interuenire possit in causis criminalibus. Cap. 50.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd in quibuscunq; inquisitionibus institutis contra aliquem occasione alicuius criminis, aut delicti, ex quo de Iure Communi, aut forma præsentium statutorum posset, vel deberet sequi pœna mortis, abscissio membri, aut corporis afflictiua, aut quæuis alia pœna corporalis, seu capitis, quæ supra relegationem sit, intelligendo, & accipiendo relegatum pro bannito, vel confinato, etiam vbi bona publicanda non venirent, & etiam vbi pœna corporalis in defectum pecuniariæ veniret imponenda, non admittatur Procurator ad defensionem absentis, nec ad aliquas probationes faciendum, siue faciendas super crimine, vel delicto: admitti tamen volumus ad allegandas causas necessarias, vel legitimas absentiæ quo casu Iudex assignet arbitrio suo dicto Procuratori dilationem ad præsentandum dictum reum, qua elapsa procedat ipse Iudex ipso Procuratore vlterius non audito: Si verò reus fuerit in carceribus, ex causis antedictis, volumus tunc Procuratorem pro eo admitti, prout suprà diximus in alijs statutis. In alijs verò criminibus, vel delictis, præstita prius idonea, & sufficienti fideiussione, admittatur Procurator ad plenam defensionem, & probationes inducendas, dummodo reus ipse personaliter, & per se solum sine præsentia Procuratoris, & Aduocati inquisitioni, & capitulis, siue positionibus respondeat solus. Et si reus ipse per contumaciam bannitus, & pro confesso habitus, & condemnatus iuxta formam statutorum nostrorum, aliquando fortè detentus, & incarceratus fuerit, volumus ei licere probando contrarium eius de quo habitus est pro confesso se defendere, etiam per Procuratorem secundum formam prædictam. Declarantes quòd in omni, & quacunq; causa criminali ex parte accusatoris Procurator possit interuenire, similiter Procurator rei in omni casu, quo possit comparere reus, absq; eo, quòd reus intraret carceres, siue de Iure, siue vigore rescripti, possit interuenire, teneatur tamen reus semper personaliter respondere inquisitioni, accusationi, denunciæ, querelæ, & positionibus, vt diximus suprà.

¶ De pœna ementis, vel vendentis bestias, quas vendens habebat in socida, vel ad partem. Cap. 51.

ITem statuimus, & ordinamus, ne quis rusticus, vel alius audeat per se, vel alium, etiam de familia sua, modo aliquo, directè, vel indirectè, bestias cuiuscunq; generis locatas, seu concessas in socidam, aut boaticam, aut depositas, seu in curam designatas, vendere aut alio modo alienare

nare alicui bechario, aut alteri cuiuſcunq; conditionis perſonæ, abſq; licentia, & voluntate Dominorum ſuorum, vel eorum, ad quos dictæ beſtiæ pertinebunt, vel Factorum, ſub pœna librarum vigintiquinq; quarum dimidia ſit Fiſci, & alia dimidia illius, cuius beſtiæ erant, cõtra quem vendentem etiam de furto agi poſſit criminaliter, ſi Domino placuerit. Becharios autem, aut alias quaſlibet perſonas ementes, aut recipiẽtes ſcienter de dictis beſtijs, à prędictis tenentibus, abſq; licentia prædictorum, eadem pœna librarum vigintiquinq;, vt ſuprà applicandarum, puniri iubemus, & teneri ad reſtitutionem dictarum beſtiarum, ſi extabunt: ſi verò non extarent, ad earum æſtimationem iuramento domini declarandam, ad quam reſtitutionem ipſi teneantur, etiam ſi ignoranter emerint, aut receperint per alienationem quamcunq;, reſeruato tamen iure ipſis emptoribus contra venditores. Prædictas autem pœnas remittimus, ſi delinquentes fuerint in concordia cum Dominis beſtiarum, antequam declaratum fuerit per Iudicem, illos in pœnas prædictas incidiſſe.

¶ De pœna recedentis à poſſeſſione, vel eam transferentis in alium contra voluntatem eius, à quo recognouerat. Cap. 52.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, nemini licere rem, vel poſſeſſionem ipſius rei, quam ab alio recognouerit, vel conduxerit ad modicum, vel longum tempus, in alium transferre, vel ab alio recognoſcere directè, vel indirectè, inſcio, & non conſentiente illo, à quo recognouerit, niſi primo eidem facta reſtitutione effectuali, ſub pœna librarum quinquaginta, & plus, arbitrio Domini Poteſtatis, ſeu Iudicis, pro dimidia applicanda Fiſco, & pro alia dimidia parti, & vlteriùs ad damna, & intereſſe ipſi parti, & omnia geſta, & ſecuta exinde etiam ſint ipſo iure nulla: quam pœnam euitare poſſit, ſi cum effectu ante condemnationem de eo fiendam rem liberè reſtituerit cum omni ſua cauſa, & intereſſe.

¶ De pœna veneficij. Cap. 53.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quicunq; alium venenauerit, ex quo veneno, ſiue mors ſequatur, ſiue non, dummodo datum, ſiue propinatum fuerit venenum, igne concrematur, ita quod moriatur, & in eandem pœnam incurrat quicunq; mandauerit, ſiue auxilium, conſilium, vel fauorem præſtiterit in prædictis: ſi verò venenum ipſum parauerit, vel ad alium actum venenandi cauſa deuenerit, licet dictum venenum non dederit, puniatur in Rhenenſibus quinquaginta, & ſibi manus dextra amputetur, & ferro ignito in vtraq; gena faciei buletur, ita quod cicatrix ſit perpetuò remanſura, quæ habeat ipſum huiuſmodi criminis reum

omni-

omnibus manifestum publicare, & nihilominus exilio perpetuo banniatur: Et in aliquo casuum prædictorum pacis beneficium, seu confessionis non admittatur. Et ad compescendam venenandi facultatem, statuimus, quod speciarij, & alij quicunque, nulli vendant speciem veneni, nec ei tradant sine expressa licentia Iudicis, & Potestatis, sub pœna arbitrio Domini Potestatis, & Iudicis imponenda considerata qualitate, & conditione personarum.

¶ Si furtum factum fuerit patri, marito, vel Domino per filium, vxorem, vel seruum. Cap. 54.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si per filium factum fuerit furtum patri, vel matri, vel per nepotem, auo, vel patruo, cum quo erat in communione, vel per vxorem marito, vel per seruum domino, siquidem id leue fuerit, nullo modo procedi volumus per Potestatem, vel Iudicem contra prædictos, etiam ad requisitionem eorum, quibus furtum factum fuerit: sed per eos castigentur arbitrio suo: si verò fuerit graue furtum, tunc per Iudicem, vel Potestatem contra eos non procedatur, nisi ad querelam dumtaxat personarum, quibus commissum fuerit furtum, & puniantur delinquentes realiter, & personaliter arbitrio Domini Potestatis, & Iudicis, habita ratione magnitudinis furti, & qualitatis personarum, dummodo mortem non imponat: Sit tamen in mera voluntate patris, matris, mariti, vel domini, aui, vel patrui, vt suprà, crimen indulgere filio, vxori, seruo, & nepoti, vsq; ad sententiæ publicationem, & etiam, dum publicaretur, & tunc impunè prædictæ personæ relaxentur. Post publicationem autem sententiæ, amplius non liceat prædictis mutare sententiam. Furtum autem, an graue sit, an leue, Potestatis arbitrio committimus personarum, & rerum qualitate, & quantitate pensata existimandum, nulla in prædictis omnibus casibus habita sexus, vel patriæ potestatis differentia, quæ in pronepotibus, & non in alijs descendentibus delinquentibus locum habere fancimus: familiares verò, & seruitores liberos furtum dominis suis committentes ad querelam dominorum puniri mandamus.

¶ De pœna falsificantis sigillum Domini nostri, vel Communis Ciuitatis Tridenti, seu alterius singularis personæ. Cap. 55.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis falsificauerit sigillum Domini nostri, aut falsificari fecerit, amputetur ei manus dextra, & in Rhenensibus quinquaginta condemnetur, & perpetuo exilio mulctetur & si falsificauerit sigillum, uel signum alterius Officialis præfati Domini nostri,

noſtri, vel Communis Tridenti, aut alterius ſingularis perſonæ, ſeu Vniuerſitatis, vel Collegij, aut Communitatis, condemnetur ijſdem pœnis, excepta pœna pecuniaria, quæ eſſe intelligatur de Rhenenſi. viginti. quinque, & hæ pœnæ pecuniariæ in vtroque caſu Cameræ Fiſci applicentur.

¶ De pœna falſificantis ſcripturas exiſtentes in Archiuo Communis. Cap. 56.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi quis de cætero falſificauerit, ſeu falſificari fecerit aliquam ſcripturam publicam, vel priuatam, exiſtentem in Archiuo publico Communis Tridenti, ſiue in Camera, vel in alio loco publico, vbi tenentur libri Communis, vel condemnationes, ſiue banna, aut aliæ ſcripturæ dicti Communis, condemnetur ad amputationem manus dextræ, & in Rhenenſibus vigintiquinq; applicandis Fiſco, & nihilominus teneatur delinquens reſarcire damnum paſſo.

¶ De pœna facientis chartam, vel ſcripturam falſam. Cap. 57.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi quis fecerit, vel fieri fecerit aliquam chartam falſam, vel acta publica falſificauerit, vel falſificari fecerit, aut aliquam condemnationem, aut dicta teſtium, uel quaſuis alias ſcripturas publicas, uel etiam ſcripturam, uel librum priuatum, quibus ex forma Iuris, ſtatutorum, uel priuilegij, plena fides daretur, condemnetur in libris trecentis bonę monetę, & in amputatione manus, & ſi in are non habuerit, ulterius puniatur arbitrio Domini: & ſi fuerit Tabellio, Iudex, Aduocatus, uel Procurator, priuetur officio, & omni commodo, utilitate, honore, & exercitio Societatis, & Collegij, in quo eſſet, & de matriculis eorum cancelletur: Si uerò quis falſificauerit aliquam ſcripturam priuatam, uel librum proprium, uel alterius, cui non daretur plena fides, puniatur in quadruplum eius, quod in ſcriptura prædicta continetur, delendo illud, quod eſt falſum, & liber ſtatim deponatur apud Iudicem, cui proſcribente fidem aliquam non adhibeat, ſed tantum contra ſcribentem, & priuetur credito, ſi quod habebat ſcriptum in dicto libro, uel ſcriptura, & in quolibet caſuum prædictorum teneatur parti, in cuius præiudicium, & damnum prædicta facta fuiſſent, ad damna, & intereſſe, & nihilominus, qui fabricauerit, uel fabricari fecerit Inſtrumentum pecunia corruptus, ad quadruplum dictæ pœcuniæ, applicandum parti læſæ teneatur, pro ſecunda, & ulteriori uice qua reperiatur, & probetur falſificaſſe, ſeu fabricaſſe, aut fabricari feciſſe aliqua Inſtrumenta, uel ſcripturas publicas, ſigillo comburatur.

¶ De

¶ De pœna illius, qui falsum testimonium dixerit in causa criminali. Cap. 58.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis falsum testimonium dixerit in causa criminali, puniatur illa pœna, qua puniendus esset is, contra quem falsum dixerit testimonium, & hoc si corporaliter veniret puniendus, vel condemnandus: si verò veniret condemnandus in pecunia, condemnetur in duplum illius quantitatis, in qua veniret condemnandus ille, contra quem testificatus fuit: & si fuerit testificatus falsum in causa criminali, vt aliquis veniret absoluendus à pœna corporali, puniatur pœna, qua puniendus fuisset ille, in cuius fauorem testificatus fuerit. Si verò veniret absoluendus à pœna pecuniaria, condemnetur in duplum ipsius quantitatis, in qua condemnaretur si processus probatus fuisset contra eum, & etiam in amputationem linguæ. Eadem pœna puniatur ille, qui scienter, & dolosè aliquos falsos testes in causa criminali produxerit, & ipsis vsus fuerit, siue testes ipsos subornauerit, siue magistrauerit, vt falsum deponerent, & amittat causam taliter, quòd ex illa causa amplius nihil valeat, nec possit petere: Et teneatur reficere omnes expensas, & interesse alteri parti, quæ sit passa aliquod damnum occasione dictæ causæ.

¶ De pœna illius, qui dixerit falsum testimonium in causa ciuili. Cap. 59.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quicunq; falsum testimonium dixerit in causa ciuili, ad finem, vt aliquis in aliqua re, vel quantitate condemnetur, condemnari debeat in amputationē linguæ, & in duplum illius quantitatis, vel ęstimationis rei, super qua dixerit testimonium, cum expensis, & interesse: cuius medietas sit fisci, & alia sit illius, contra quem falsum testimonium dixerit: & eodem modo condemnetur, si falsum testimonium dixerit, vt aliquis absoluatur in causa ciuili: producens autem scienter, & dolosè testes falsos in causa ciuili, vel eis vtens, eadem pœna puniatur, & causam amittat, & reficiat damnum passo, vt in præcedenti statuto in fine.

¶ De pœna mutantis sibi nomen, vel cognomen. Cap. 60.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nullus debeat sibi nomen proprium, vel cognomē, quo publicè denominatur mutare, coram Domino Potestate, vel aliquo alio Officiali, siue ludice, vel in aliqua scriptura publica, vel priuata, dolo, vel fraude; qui, & quæ semper præsumatur, nisi

probetur contrariũ, & ſi quis requiſitus fuerit per Dominũ Poteſtatẽ, vel Officialem Communis Tridenti, de nomine & cognomine ſuo, teneatur ſtatim dicere nomen & cognomen, & qui contrafecerit, vel nomen, ſeu cognomen ſibi mutauerit, bulletur, & condemnetur in libris vigintiquinque, & minus, arbitrio Iudicis, inſpecta qualitate facti, & conditione perſonæ, & etiam condemnetur ad damna, & intereſſe ei, quem læſerit ex tali mutatione.

¶ Quod condemnatus de falſo non poſſit exercere publicum officium. Cap. 61.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quicunq; condemnatus fuerit de falſo, non poſſit de cætero habere, nec exercere aliquod officium publicum in Ciuitate, & Diſtrictu Tridenti, nec etiam aduocare, vel procurare.

¶ De incendiarijs. Cap. 62.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi quis incendium dolosè poſuerit, vel poni fecerit in aliqua domo alicuius perſonæ, quę habitetur, vel ſit apta ad habitandum, aut in aliqua alia domo ſacra, vel religioſa, vel in ſegetibus, vel tezijs, aut caſſinis, in quibus habitent aliqui, aut beſtiæ teneantur, & ſecutum fuerit incendium totius, vel partis alicuius rerum prædictarum, vel ſi etiam quis ignem immiſerit in alia re, ex qua incendium ſequatur in rebus prædictis, modo prędicto, igne cremetur, primo laqueo ſuſpenſus, ita quòd moriatur, & in duplum damni damnum paſſo: Et ſi non fuerit captus, perpetuò banniatur in pœnam prædictam de Ciuitate, & diſtrictu, ac Epiſcopatu Tridenti. Qui verò in alijs rebus incendium poſuerit, vel poni fecerit, & damnum ſecutum fuerit à vigintiquinq; libris ſuprà, condemnetur in libris quinquaginta, & ad reſtitutionem damni in duplum damnum paſſo: Si verò damnum fuerit à vigintiquinq; libris infra, condemnetur in libris vigintiquinq;, & in duplũ damnum paſſo: Et hæc locum habeant in commiſſis dolosè. Pro incendio verò commiſſo abſq; dolo, præcedente tamen culpa, teneatur qui fuit in culpa, ad damni emendationem.

¶ De hominibus tenentibus denunciare Syndico ſuo, rixam, homicidia, & rumores. Cap. 63.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd homines Villarum, Plebatuũ extra Ciuitatẽ, qui interfuerint rixis, & rumoribus præmiſſis, teneãtur, & debeãt denunciare, & denũciati facere ſuo Syndico, vel eius domui, vel fami-

familiæ, omnia, & singula prædicta maleficia, eo die, vel sequenti, quo facta fuerint: quod si non fecerint puniantur pro vnaquaq; vice in sexaginta grossis.

¶ De his, qui cucurrerint ad rumorem causa dandi auxilium parti, vel fauorem. Cap. 64.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nulla persona debeat accedere, seu currere ad rumores armata manu, causa dandi auxilium, vel fauorem alicui, & qui contrafecerit, puniatur pro vnoquoq;, & vnaquaq; vice in libris decem: Saluo quòd possit currere post malefactores cum armis ad capiendum eos.

¶ De his, qui cognouerit aliquam mulierem virum habentem, & quæ pœna sit. Cap. 65.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis cognouerit carnaliter, & violenter mulierem virum habentem, si honesta fuerit, sibi caput debeat amputari, taliter quòd moriatur: & hoc si non habuerit pacem à marito violato, & à violata: sed si habuerit pacem ab ipso marito, & violata, tunc pecunialiter condemnetur arbitrio Domini, secundum tamen modum facultatum suarum, & quòd tale arbitrium non excedat summam librarum ducentarum; quæ pax fieri debeat infra mensem à tempore commissi delicti, quo mense elapso, ipsa pax postmodum facta nihil operetur: sed si fuerit inhonesta, & de inhonestate probetur, etiam per vocem, & famam, tunc condemnetur in centum libris: & hoc si non habuerit pacem à marito, & à violata: sed si pacem habuerit infra mensem, tunc condemnetur in libris quinquaginta, quas si soluere non potuerit, stet in carceribus arbitrio Domini.

¶ De his, qui carnaliter cognouerint aliquam mulierem virum habentem de sua voluntate. Cap. 66.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis cognouerit aliquam mulierem virum habentem de sua voluntate, vel non coactè, si mulier extiterit de bona fama, homo in centum libris condemnetur: & hoc si non habuerit pacem: sed si habuerit pacem à marito, condemnetur in vigintiquinq; libris, quam pœnam si soluere non potuerit, stet in carceribus arbitrio Domini, & mulier pœna legali puniatur: Et si mulier extiterit malæ famæ, vel adultera, & hoc probetur per vocem, & famam, tunc homo condemnetur in decem libris: & hoc si nō habuerit pacem à marito,

sed si habuerit pacem à marito, tunc in nihilo condemnetur, & mulier condemnetur in decem libris Maranensibus infra mensem soluendis, vel per Ciuitatem publicè verberetur.

¶ De eodem.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si qua mulier habens virum, ab ipso suo viro aufugerit, vel se abdicauerit, vt seorsum ab eo vitam duxerit inhonestã, alicui alteri inhærendo, talis mulier ipso iure, & ipso facto amittat dotem, & donationem propter nuptias, nec non omnia bona paraphrenalia, & alia quæcunq; bona, quæ habet, & vir suus, vel eius hæredes, ipsa omnia lucrentur, & habeant: & si non habuerit dotem, vel bona, tunc ad requisitionem ipsius mariti, mulier ipsa fustigetur per totam Ciuitatem, deinde banniatur à Ciuitate, & districtu.

¶ De his, qui abduxerint vxorem alterius. Cap. 67.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis modestiæ nescius, & pudoris ignarus, ausus fuerit deuiare, & abducere extra Ciuitatem, vel & districtum vxorem alterius inuito marito, illico carceribus mancipetur, & si talis abducta fuerit Ciuis, & egregiæ parentelæ, capite puniatur: Si verò fuerit popularis, condemnetur in libris ducentis bonæ monetæ Cameræ Episcopali applicandis, & tamen sit perpetuò infamis; quàs si infra dies octo non soluerit, manus dextra sibi amputetur, & perpetuò banniatur à Ciuitate, & Episcopatu, sed si vxorem cum bonis abduxerit, tunc pœna capitis puniatur.

¶ Item quia sicuti contra mulieres adulterantes; ita etiam expedit contra viros vxoratos, extra proprium thorum in legem matrimonij committentes prouidere, Statuimus, & ordinamus, quòd si aliquis vir vxoratus fuerit, qui aliquam mulierem publicè, & palam, vel etiam occultè tenuerit in concubinatu, talis condemnetur in libris centum bonæ monetę Episcopatui applicandis: hoc addito in publicè, & palam tenentibus, vt suprà, quòd si sit in aliquo officio publico, sit suspensus per annum à tali officio, aliàs si officium non habet, per annum exulet à Ciuitate, & districtu: quæ pœna toties aufferatur, & imponatur, quoties in tali malo proposito perseuerauerit: profitentes tamen, quòd per dicta suprascripta statuta, de talibus adulterantibus disponẽtia, vt suprà, non intendimus quicquam parti iniuriatę tollere de eo, quod sibi in eius fauorem, per iura tam ciuilia, quam canonica, vel competit, vel competierit.

¶ De

¶ De his, qui cognouerint aliquam virginem vi coactam carnaliter, & quæ pœna sit infligenda. Cap. 68.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis cognouerit violenter aliquam virginem carnaliter, capite puniatur: Et hoc si non habuerit pacem infra mensem ab ipsa violata, & à tribus eius proximioribus masculis maioribus vigintiquinq; annis: Et si habuerit pacem condemnetur in ducentis libris bonæ monetæ, quas si soluere non poterit, stet in carceribus arbitrio Domini: Sed si virgo non fuerit, nec maritata, & fuerit bonæ famæ; tunc condemnetur in ducentis libris, & hoc si non habuit pacem: sed si habuerit condemnetur in centum libris, quas si soluere non poterit, stet in carceribus arbitrio Domini, & si non fuerit bonæ famæ, vel probetur se carnaliter cum altero commiscuisse per indicia, vel per vocem, & famam, quæ sit de ea, tunc condemnetur vir in vigintiquinque libris bonæ monetæ, & si fuerit publica meretrix, puniatur in libris quinque.

¶ De eodem.

¶ Item, quoniam quandoque expertum est, quòd cum aliqua puella iuuenis reperitur, seu speratur habere aliquod pingue, & bonum patrimonium, sæpenumero talis persona præter, & contra voluntatem attinentium suorum, & etiam ipsiusmet puellæ iuuenis, derobatur per vim, & abducitur ad alienas Iurisdictiones, vel etiam ad eorum proprias ędes, vt deindè cum ea matrimonium contrahant, licet non suæ personæ, neq; parentelæ colore, sed patrimonij sui, in contemptum parentelæ, & etiam superioritatis; Ideo statuimus, & ordinamus, quòd si de cætero aliqua persona cuiuscunq; conditionis existat, abduxerit, aut abduci fecerit aliquã puellam, vel iuuenem, vel fœminam per vim, videlicet præter, & contra voluntatem ipsius puellę, & suorum proximorum attinentium, etiam si fecerit causa fecum contrahendi matrimonium, talis abducens, & violator condemnetur, & puniatur pœna capitis, ita quod moriatur, & etiam in pœna quinquaginta Rhenensium Fisco applicandorum. Et hoc etiam locum habeat in confocijs, seu quolibet eorum, qui ad hæc tam personis, quàm armis dederint, & præstiterint auxilium, & fauorem, qui similiter condemnentur in Rhenensibus quinquaginta pro quolibet, applicandis vt suprà, & nihilominus banniantur extra territorium, & Episcopatum Tridenti, tanquam violatores stratarum, & si in fortias reginminis Tridenti deuenerint, nisi dictam pœnam soluerint intra dies octo, amputetur illis manus dextra, & nihilominus iterato banniantur perpetuò, & non possint banni de banno cancellari, per gratiam, aut alio modo,

niſi infra menſem pacem habuerint à tribus proximioribus maſculis, maioribus vigintiquinq; annis, cum Iudicis authoritate: quo caſu pœnam tantummodo corporalem euitare poſſint, & tamen ſi ſequeretur matrimonium inter præfatos abducentem, & abductam, medietas totius ſui abductæ patrimonij, & bonorum applicetur ipſo facto proximioribus agnatis, vel cognatis in defectu agnatorum.

¶ De mulieribus, vel earum parentibus debentibus denunciam violentiarum ſibi factarum infra tempus facere. Cap. 69.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd mulieres, vel earũ patres, vel matres, auiæ, vel fratres, teneantur, & debeant dictas violentias ſibi factas, vt in ſuperioribus ſtatutis continetur, denunciare Nobis, vel Capitaneo, ſeu Poteſtati noſtro, infra quindecim dies, poſtquam factæ fuerint violentiæ ſibi: Alioquin tranſactis dictis diebus quindecim, non credatur violentias eſſe per vim factas.

¶ De lenonibus, ſeu ruffianis puniendis. Cap. 70.

ITem quoniam ſæpenumero contingit, quòd medio lenarum, & malarum mulierum plerunque & virgines, & etiam maritatæ, vel aliæ, ſeducuntur ad committendum ſtuprum, fornicationem, vel adulterium, in grauem iniuriam, & deflebilem notam ſuæ familiæ, vel parentelæ: Ideo ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi qua mulier, vel etiam vir lenocinium committeret de aliqua virgine, ſeu habita & tenta pro virgine, maritata, vel alia, ſi dicta ruffianata, & ſeducta erit alicuius conditionis, & parentelæ, talis lena, vel leno fuſtigetur per totam Ciuitatem, & etiam ſibi eruatur vnus oculus, & perpetuò banniatur, ac perpetuò ſit infamis, & ſtetur de tali lenocino dicto, ſeu teſtimonio ipſius ruffianatæ, & ſeductæ cum iuramento, concurrentibus aliquibus alijs indicijs.

¶ De his, qui falſam monetam fecerint. Cap. 71.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi quis fecerit falſam monetam in Ciuitate Tridenti, vel in eius Diœceſi ignibus concrematur.

¶ De his, qui fieri fecerint falſam monetam. Cap. 72.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi qua perſona fecerit fieri, ſeu faceret falſam monetam in Ciuitate Tridenti, vel in eius diſtrictu, ſi fuerit Nobilis, ſibi caput, vt falſario, debeat amputari, ita quòd moriatur, &

tur, & si fuerit popularis, ignibus concremetur.

¶ De his, qui scienter expenderint in Ciuitate Tridenti falsam monetam, vel in eius Diœcesi. Cap. 73.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis expenderit in Ciuitate, & Diœcesi Tridenti aliquas fallas monetas scienter, & dolosè, pro qualibet libra falsæ monetæ scienter, & dolosè expensæ, soluat libras vigintiquinq; bonæ monetæ, & si soluere non potuerit, puniatur arbitrio Domini: sed si vltra vigintiquinq; libras denariorum falsæ monetæ scienter, & dolosè expenderit, ignibus concremetur: & si expenderit minus, quam vnam libram puniatur in libris quinque.

¶ De his, qui totonderint, seu rasauerint aliquas monetas, seu monetam. Cap. 74.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si qua persona totonderit, vel rasauerit, siue cum aqua mixticali minuerit aliquam argenteam monetam, quantitatis trium librarum, in quingentis libris bonę monetæ puniatur, & condemnetur, quas si non soluerit infra duos menses à condemnatione facta, stet in carceribus arbitrio Domini: & si totonderit, seu rasauerit, seu diminuerit, vt suprà, vltra quantitatem trium librarum, tunc in mille libris bonæ monetæ condemnetur, quas si soluere non poterit, sibi manus dextra debeat amputari: Si uerò totonderit, uel rasauerit monetam auream, ultra ducatos tres, tunc similiter condemnetur in libris mille, quas si non poterit soluere infra duos menses, sibi manus dextra debeat amputari: Si uerò totonderit, uel rasauerit ducatos tres, uel infra, tunc in libris quingentis condemnetur, quas si non soluerit infra duos menses, similiter stet in carceribus arbitrio Domini.

¶ De producentibus falsa Instrumenta. Cap. 75.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si qua persona produxerit in Iudicio aliquod, uel aliqua falsa Instrumenta, & eis uti uoluerit, scienter in fauorem sui, & in præiudicium alterius personæ, condemnetur, & puniatur pro unoquoq; Instrumento falso sic producto in libris ducentis bonæ monetæ, & perdat causam, quos denarios si soluere non poterit infra mensem, à condemnatione facta, stet in carceribus arbitrio Domini: & si scienter plura falsa Instrumenta produxerit in Iudicio, & eis uti uoluerit, & usus fuerit, tunc pro unoquoq; Instrumento ultra primum falso condemnetur, & puniatur in centum libris, quas si soluere non poterit infra

infra menſem, ſibi manus dextra amputetur, & nihilominus cadat à cauſa, in qua produxit illa falſa Inſtrumenta.

¶ De his, qui in Iudicio falſum fecerint iuramentum. Cap. 76.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi qua perſona falſum fecerit in Iudicio Sacramentum, puniatur, & condemnetur in libris viginti quinq; quas ſi ſoluere non poterit, luat in corpore ad arbitrium Domini Poteſtatis, ſeu Iudicis, inſpecta qualitate perſonæ, & nihilominus incurrat ipſo iure pœnam exilij per triennium: & hoc intelligatur in caſibus, in quibus aliter per ſtatuta Tridenti ſpecialiter non eſt prouiſum, & hoc niſi fuerit Sacramentum deciſorium delatum à parte, & tunc in nihilo puniatur, & de periurio non inquiratur, nec requiratur.

¶ Qui ſint confines plateæ. Cap. 77.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd confines plateæ, intelligantur eſſe, prout in ſtatutis de ſolutionibus præconum fiendis continetur.

¶ De his, qui vocauerint aliquas honeſtas Donnas meretrices. Cap. 78.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi qua perſona vocauerit aliquam honeſtam mulierem meretricem, irato animo, puniatur pro qualibet vice in .x. libris bonæ monetæ, reſeruata actione iniuriarum paſſo.

¶ De his, qui aliquas perſonas bonæ & honeſtæ famæ mentiri fecerint. Cap. 79.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi qua perſona dixerit alicui perſonæ bonæ & honeſtæ famæ, tu mentiris, irato animo, condemnetur, & puniatur pro qualibet vice in centum groſſis, & hoc ſi dixerit iſta verba in Palatio: ſi verò dixerit iſta verba extra Palatium, irato animo, tunc condemnetur in quadraginta groſſis, ſaluo quòd iniuriatus poſſit licitè dicere, tu mentiris.

¶ De his qui vendiderint aliquam poſſeſſionem, vel rem mobilem duobus. Cap. 80.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi qua perſona ſcienter vendiderit aliquam poſſeſſionem ſuam, vel rem mobilem alteri venditam, dua-

duabus personis diuisim, non faciendo mentionem de prima venditione, puniatur de re immobili vendita in vigintiquinq; libris bonæ monetæ, & etiam puniatur pœna fustigationis, & exilij quinquennalis, à qua pœna fustigationis possit liberari, si infra mensem à facta condemnatione priori emptori soluerit: Et si ruperit bannum quinquennij tunc perpetuò intelligatur bannitus, & si bannum perpetuum ruperit, & in fortias peruenerit, tunc sibi caput amputetur: a qua pœna capitis liberetur, soluendo, vt suprà, infra duos menses à die detentionis: & eadem pœna per omnia puniatur, quicunq; rem scienter, & diuisim duobus obligauerit, specialiter de priori speciali obligatione mentione non facta, & eo casu, quo in alijs bonis soluendo non sit creditori: verum si res obligata possit ambobus, vel pluribus sufficere, quibus diuisim fuerit obligata, vel quando alia bona haberet, super quibus possit satisfieri, & quæ ipso iure obligata intelligantur, tunc pœnam prædictam non incurrat. De re autem mobili vendita, in libris decem bonæ monetæ puniatur.

¶ De his qui cridauerint heu foras, vel ad arma. Cap. 81.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si qua persona cridauerit, heu foras, vel ad arma, sine causa legitima, puniatur, & condemnetur in libris vigintiquinq; bonę monetæ, quas si soluere non poterit, stet in carceribus arbitrio Domini Potestatis, siue Iudicis, inspecta qualitate facti & conditione personæ.

¶ De his qui victi fuerint in criminalibus condemnentur soluere impensas legitimas victoribus. Cap. 82.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd in quacunq; causa criminali, tam in denunciationibus, quam in accusationibus victus victori in expensis legitimis in causa factis sententialiter condemnetur verum si aliquis fuerit incarceratus, vel tortus, quomodocunq; sine legitimis indicijs, talis ad solutionem aliquarum expensarum non teneatur, sed expensarum omnium solutio fiat ab eo, qui causam præbuerit carcerationi, & eidem emendare teneatur sua damna.

¶ De his, qui personam aliquam deprædati fuerunt. Cap. 83.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quicunque aliquam personam fuerit deprædatus, puniatur secundum Ius commune, & quòd Capitaneus, & Commune teneantur Sacramento Communitatis procurare, quòd de ea deprædatione fiat ratio, & quòd postquam Capitaneo, vel

Iudici

Iudici denunciatum fuerit furtum esse factum, citari debeat deprædator, & ei locari terminus octo dierum tantummodo, vt compareat, & si comparere recusauerit, debeat banniri, & postea infra decem dies, à banno facto, teneatur Capitaneus, vel Iudex, & Communitas Sacramento prædicto toto posse ire contra malefactorem, & eius bona publicentur in Dominum, & Fiscum eius.

¶ De his, qui deprædatorem, vel bona deprædati scienter receptauerint. Cap 84.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quicunq; deprędatorem, vel bona deprędata, seu robata scienter receptauerint, vel seruauerint in Castro, seu in domo, vel in aliquo loco, & ipsum deprædatorem, & bona robata iuri non præsentauerint infra octo dies, soluant Domino centum libras bonę monetę, & occultata restituant, vel ipsorum bonorum æstimationē. Et si denunciatum fuerit, vt bona, & deprædatorem restituant, seu iuri præsentent infra octo dies à denunciatione facta, & recusauerint, puniantur, prout malefactor puniri deberet: Idem intelligatur de furibus, & qui scienter bona furata, & robata emerint, bona empta perdant, & Domino soluant tantum quantum res emptæ valuerint: & idem intelligatur de rebus furtiuis.

¶ De hominibus contratarum, vbi furtum, vel deprædatio facta fuerit debentibus præstare auxilium læsis. Cap. 85.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd vniuersi, & singuli de qualibet contrata, in qua robum factum fuerit, qui rumorem robi audiuerint, teneantur, & debeant currere ad prohibendum robatori, & ad ipsum capiendum, si homines, qui fuerint ad rumorem erunt tot: & si non erunt tot, cridare debeant, & pro posse prohibere, ne prædicta fiant: quod si facere omiserint, soluat centum charentanos Domino quilibet contrafaciens.

¶ De fure deprehenso in furto, Curiæ præsentando. Cap. 86.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si aliquis deprehensus fuerit in furto, quod illi, qui eum deprehenderint in furto, teneantur eum capere toto posse, & Curię præsentare: & si quis contrafecerit, soluat Domino libras decem denariorum, & credatur illi, qui eum deprehenderit, & ceperit, si est bonæ famæ, & opinionis.

¶ De

¶ De his, qui deprædati fuerint in rumore ignis. Cap. 87.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quicunque deprædatus fuerit, vel aliquid abſtulerit alicui, quando ignis, ſeu rumor incendij, vel aliquis alius tumultus, aut rumor fuerit in Ciuitate Tridenti, puniatur ſecundum leges, & nihilominus locum habeat pœna furti ſecundum ſtatuta.

¶ De Officialibus in officio fraudem committentibus. Cap. 88.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi aliquis Officialis Communitatis Tridenti, in ſuo officio committet fraudem, vel vltra ſalarium ſibi commiſſum, vel promiſſum, ſeu conceſſum, aliquid acceperit, ſeu furripuerit, vel aliquid ex dono acceperit, etiam poculentum, vel eſculentum valens vltra vnum aureum, ſoluat quinquaginta libras Domino, & plus, ſecundum fraudem per eum commiſſam, in arbitrio Domini, vel eius Capitanei, ſecundum moderationem legum loquentium de pœnis arbitrarijs, & ablata reſtituat, & nunquam ad aliquod officiũ Communitatis eligatur: Et idem eſſe volumus in quibuſcunque Iudicibus ordinarijs, & Delegatis, qui ab aliqua partium litigantium, ſub eadem pœna Rhenenſium decem, dona aliqua acceptare non poſſint, nec debeant, quę vel ſemel facta, vel cumulata excedant valorem vnius Rhenenſis, toties aufferenda, quoties contrafactum erit.

¶ De his qui familiam Domini Epiſcopi percuſſerint, ſeu vulnerauerint. Cap. 89.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi qua perſona percuſſerit, ſeu vulnerauerit aliquem de familia Domini Epiſcopi, vel eius Poteſtatis, puniatur & condemnetur ad duplum eius quod ſuprafcriptum eſt in ſtatutis facientibus mentionem de percuſſionibus, & vulnerationibus: Et hoc ſtatutum vendicet ſibi locum, quando dicti Officiales in cauſa Curiæ cum moderamine exercebunt ſuum officium: ſi autem violenter vellent officium ſuum exercere, tunc non habeat locum dictum ſtatutum.

¶ De

¶ De his, qui percusserint Officiales Domini Episcopi exercentes sua officia. Cap. 90.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si qua persona percusserit eum ense, gladio, vel bastono, seu cum aliqua alia re Vice Dominum Potestatem, vel Capitaneum Domini Episcopi exercentem sua officia, vel in officio existentes, si sanguis exiuerit, sibi manus, cum qua percusserit debeat amputari, ita quòd à brachio separetur; eo saluo, quòd Dominus illam pœnam corporalem ad eius arbitrium possit in pœnam pecuniariam commutare: sed si sanguis non exiuerit, condemnetur in ducentis libris bonæ monetæ: & si soluere non poterit, sibi manus, cum qua percusserit, debeat amputari: sed si percussio facta fuerit solum vacuis manibus condemnetur in centum libris bonæ monetæ.

¶ De his qui surripuerint, vel deprædati fuerint loca Ecclesiastica. Cap 91.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis robauerit, seu deprædatus fuerit monasterium, hospitale siue aliquem alium locum Ecclesiasticum, quòd suspendatur per gulam super furcis taliter, quòd moriatur, & emendetur damnum passo.

¶ De robatoribus stratarum. Cap. 92.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si quis robauerit, seu deprædatus fuerit aliquam personam, seu aliquas personas, in stratis, seu super stratas publicas Tridenti, vel in alio loco in Episcopatu Tridenti, in strata publica, similiter super furcis suspendatur per gulam, & damnum passo restituatur.

¶ De condemnationibus corporalibus fiendis in arrengis publicè. Cap. 93.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd omnes condemnationes, & sententiæ corporales, facto processu, sine aliqua citatione in arrengis publicè proferantur, pronuncientur, & terminentur. Quæ quidem sententiæ corporales nullo modo, vel ingenio, dici possint nullæ, nec ab ipsis vllatenus appellari possit.

¶ De

¶ De his qui in aliquo regimine &c. se intromiserint. Cap. 94.

ITem statuimus, & ordinamus, & quòd aliquis de Ciuitate, & Episcopatu Tridenti, non debeat se intromittere de aliquo Capitaneatu, nec Potestaria, nec de aliquo regimine in Ciuitate Tridenti, nec extra Ciuitatem, sine licentia Domini Episcopi, vel sui Capitanei, & qui contrafecerit puniatur arbitrio Domini, exceptis officijs datis, & dandis secundũ vsum, & consuetudinem antiquam, per Dominos Consules Ciuitatis Tridenti, videlicet, quòd Ciuitas, & seu Consules teneantur, & debeant, ac possint facere alios Consules in fine officij sui. Qui tamen in administratione se intromittere non possint, nisi postquam fuerint Domino Reuerendissimo præsentati, & admissi, & iuramentum fecerint, secundum formam statutorum. Item Procuratores, Thesaurarium, Syndicos, & Notarios illorum, Iudices appellationum, Iudices venditionum, Iudices tutellarum, & cum suis Notarijs, ac officium Cameræ pignorum, & aliorum officiorum, quæ sunt solita dari per Dominos Consules Ciuitatis Tridenti, & etiam exceptis alijs officijs, quæ de Iure, & de necessitate in futurum fierent, & darentur per dictos Dominos Consules.

¶ De debentibus currere cum armis pro honore Domini, cum rumor esset in Ciuitate. Cap. 95.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si rumor aliquis fuerit, siue eleuatus fuerit in Ciuitate, quilibet teneatur, & debeat currere cum armis ad Dominum Episcopum, vel in eius auxilium, & ad eius Capitaneum, & eum sequi ad honorem, & statum Domini Episcopi, & eius Communitatis Tridenti, & qui contrafecerit soluat centum grossos pro qualibet vice, & si aliquis ad partem aliquam curreret, soluat libras vigintiquinq; bonæ monetæ, quas si soluere non poterit, teneatur in turri tribus mensibus, & plus soluat, & maiorem sustineat pœnam ad arbitrium Domini, & si aliquis curreret ad aliquam partium, quæ esset contra Dominum Episcopum, uel eius Vice gerentem, seu Rectorem, realiter, & personaliter puniatur arbitrio Domini.

¶ De his, qui contra Communitatem, seu eius Officiales dixerint aliqua uerba iniuriosa. Cap. 96.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quicunq; contra Communitatẽ, uel contra aliquos Officiales de Communitate, siue aliquos Officiales Communitatis occasione officij aliqua verba iniuriosa, seu ignominiosa dixerint soluant libras decem bonæ monetæ, & plus, & minus secundum

qualitatem delicti pro qualibet vice, & si ipsam pœnam soluere nequiuerint. Claudantur in fundo turris, seu carceris, & ibidem per dies quindecim morentur, & plus, & minus, ex arbitrio prædictorum Officialium contra quos dicta fuerint ipsa verba inhonesta.

¶ De homicidio. Cap. 97.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si qua persona gladio, vel quocũque alio modo interfecerit aliquam personam excepto bannito, si occisor infra mensem vnum à die commissi homicicij, vel infra duos menses, si interfectus fuerit forensis, habuerit pacem à duobus proximioribus defuncti, ad minus de maioribus viginti annis, ad quos hæreditas, defuncti de iure spectet, condemnetur, & puniatur in libris ducentis denariorũ Veronensium. Et si proximior, vel proximiores fuerint pupilli, vel minores viginti annis, quòd tutor pupilli, siue pupillorum, & curator adultorum maiorum vigintiquatuor annis de dicta morte possint legitimè pacem facere, de voluntate, & consensu aliorum duorum de proximioribus occisi ætatis viginti annorum, & vltra, infra vnum mensem, & si plures sint in eodem gradu, ad quos hæreditas defuncti spectet, tunc partes duæ ad minus modis prædictis debeant illam pacem facere, & consentire, & si aliter, vel alio modo pax fiat in aliquo prædictorum casuum post mensem talis pax sit in efficax, & nullius momenti, nec proficiat delinquenti, sed eidem debeat caput amputari, taliter quòd moriatur, & hoc nisi probauerit, quòd illum ad sui defensionem occiderit, vel aliam iustam causam excusationis habuerit, iuxta arbitrium Iudicis. Decernentes etiam, quòd pacis beneficium non prosit in homicidio facto per conductum pecunia, vel prẽmio dato, vel promisso, nec in parricidio, nec homicidio commisso contra consanguineos, vel affines, vsq; ad quartum gradum de iure canonico, quibus casibus si pacis beneficiũ prodesse debeat, vel non, stetur arbitrio Reuerendissimi Domini, vel Iusdicentis sui. Et idem in quocunq; homicidio proditorie commisso, dũmodo de tali qualitate disposituè per testes omni exceptione maiores, vel alias legitimas probationes manifestè constiterit, contra inquisitum, accusatum, aut denunciatum, ita vt non sufficiant verba inquisitionis, nec indicia fugæ, vel contumacię, sed si ille, cui imputabitur qualitas proditorij, & vt supra probata, aliquo tempore captus erit, vel se præsentauerit, & probare voluerit falsitatem testium, aut eius innocentiam, à tali qualitate, tempore, & loco coarctatam, audiri debeat iuxta formam statuti de modo procedendi in delictis contra absentatos, & propter pacem factam in casibus omnibus præmissis per aliquem de proximis, non possit eisdem auferri hæreditas, tanquam ab indignis.

¶ De

¶ De furtis. Cap. 98.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd committentes furtum in Ciuitate, vel Diæceſi Tridenti, pro primo furto aſcendente ad ſummam librarum centum bonæ monetæ vel vltra. Si maſculus fuerit, furcis ſuſpendatur: ſi verò fœmina ignibus concremetur, pro primo verò furto non aſcendente ad ſummam prædictam centum librarum excedente tamen ſummam librarum vigintiquinq;, fuſtigetur, & perpetuo banniatur, à vigintiquinq; libris verò infra, puniatur arbitrio Iudicantis. Pro ſecundo verò furto infra dictam quantitatem centum librarum, committens fuſtigetur, & eidem auricula dextra amputetur, & nihilominus perpetuò banniatur. Pro tertio verò furto, vel pro pluribus aſcendente, vel aſcendentibus ad ſummam vigintiquinq; librarum bonæ monetæ vel vltra, etiam connexis primis furtis quantumcunque alibi, quam in Iuriſdictione Tridentina commiſſis ſuſpendatur. Si verò non aſcenderit ad dictam ſummam, & quantitatem vigintiquinq; librarum, & pro primo, & ſecundo furto non ſit punitus, tunc condemnetur pro primo, & ſecundo furto, vt ſuprà dictum eſt. Pro tertio vero furto, vel pluribus, puniatur arbitrio Domini Poteſtatis, vel Iudicis etiam ad diminutionem alicuius membri, iuxta ipſius Domini Poteſtatis, vel Iudicis diſcretionem, Inſpecta qualitate perſonæ, & delicti.

¶ De puniendis malefactoribus, vbicunq; in Epiſcopatu Tridenti fuerint reperti. Cap. 99.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd de prædictis delictis, & alijs quibuſcunq; erroribus enormibus commiſſis in Ciuitate, & Iuriſdictione Tridenti, Vicarius, & Rectores aliarum Iuriſdictionum noſtrarum Epiſcopatus Tridenti, ſi ad eorum manus, & poteſtatem delinquentes peruenire poſſint, & debeant contra delinquentes procedere, & eos punire, quemadmodum ſi in Iuriſdictione eorum prædicta commiſiſſent, & idē ſic habeatur, & intelligatur de delictis commiſſis in aliqua dictarum Iuriſdictionum, quòd Poteſtas Tridenti poſſit, & valeat contra delinquentes procedere, & eos punire, ac ſi deliquiſſent in Iuriſdictione Tridenti, & hoc etiam intelligatur, & fiat de homicidiarijs, & ſi delictum, vel homicidium factum fuerit in Iuriſdictionibus aliorum Dominorum, vel Caſtellanorum Diæceſis Tridenti, tunc procedi non poſſit contra delinquentes. Cùm iuſtum ſit, quòd ex quo delinquentes in Tridento in alienis Iuriſdictionibus ſunt ſecuri, quòd ſimiliter in illis Iuriſdictionibus aliorum Dominorum, vel Caſtellanorum delinquentes, etiam hic in Iuriſdictione Tridenti ſint ſecuri, etiam ſi deliquiſſent in Diæceſi Tridenti, vel extra Diæceſim Tridenti.

¶ De bannitis à Iurisdictione, vt intelligantur etiam banniti ad alijs Iurisdictionibus Episcopatus. Cap. 100.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd banniti quacunque de causa, & quoquomodo per Potestatem Tridenti intelligantur, & esse debeant banniti etiam de alijs Iurisdictionibus Episcopatus Tridenti, & è conuerso banniti de aliqua Iurisdictione Episcopatus Tridēti, supposita Domino Nostro Domino Episcopo Tridentino in temporalibus, intelligantur, & sint banniti, in, & de Iurisdictione Tridenti.

¶ De pœna ementium res furtiuas, vel robatas. Cap. 101.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quicunq; scienter emerit aliquam rem furtiuam, vel robatam ab aliquo, vel aliquibus, puniatur, & condemnetur pro vna quaq; vice, in duplum eius, quod valet res pro vera scientia, pro præsumpta verò scientia, puniatur, & condemnetur in decem libris, & scientia, ac dolus præsumatur in emptore, si res empta valuerit duplum eius, quantum fuerit per ipsum empta.

¶ De bonis non confiscandis. Cap. 102.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd bona aliqua alicuius delinquentis non confiscentur, nec possint confiscari propter aliquod delictum, nisi eo iure, quo secundum Ius Commune, & leges veniunt confiscanda, & in illis casibus, in quibus de pœnis per statuta Tridenti prouisum est, eisdem statutis stetur, prout per eadem prouisum est absq; impositione alterius pœnæ.

¶ De tabernarijs non debentibus à filio familias, vel seruo pignora accipere. Cap. 103.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd aliquis tabernarijs, vel aliqua persona pro ludo, vel occasione ludi non debeat accipere vestimenta, nec aliquod pignus ab aliquo filiofamilias, vel seruo alicuius, & qui contrafecerit, pignus restituat, & pro qualibet vice, qua acceperit, soluat charentanos viginti, & quilibet sit accusator, & credatur vni soli testi bonæ opinionis, & famæ.

¶ Vt

¶ Vt mulieres honeſtæ cognoſcantur ab inhoneſtis. Cap. 104.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd meretrices publicæ portent, & portare debeant ſigna ſua ſibi alias impoſita, videlicet vnam bandam coloris flaui ſiue crocei, latam trium digitorum adminus, ſuper ſpala ſiniſtra ſutam, longam vsq; ad cingulum de ante, & retro, ſub pœna centum charentanorum toties, quoties fuerit contrafactum: & ſi pœnam ſoluere non poterint, ponantur in berlinam per tres dies, & honeſtæ incedant per Ciuitatem, ſub pœna charentanorum vigintiquatuor.

¶ Quod meretrices caſalinæ ducantur cum tympano ad lupanar. Cap. 105.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd ſi de cætero reperiantur aliquæ meretrices extra publicum locum ſeruire, vel fornicari cum pluribus, impunè capiantur, & ad locum publicum meretricum cum tympano publicè ducantur, niſi habuerint maritum in Ciuitate, vel diſtrictu, vel in Iuriſdictionibus Domini Noſtri ſitum in Epiſcopatu Tridenti: quo caſu puniantur, vt ſuprà in ſtatuto faciente mentionem de fœmina adultera.

¶ De procuratione ignis, & luminum in domibus alienis per habitantes in eis. Cap. 106.

ITem ſtatuimus, & ordinamnus, quòd quilibet teneatur procurare ignem, & luminaria in domo aliena, in qua habitat gratis, vel ſub penſione, & cuſtodire ne indè incendium oriatur, & ſi domus in qua habitat incenderetur, ſoluat Domino libras decem bonæ monetę: & ſi ignis vltra tectum domus aſcenderet, quòd ipſe pro negligentia teneatur ſoluere Domino vigintiquinque libras bonæ monetæ, & ſi exinde aliæ domus comburerentur, ſoluat libras quinquaginta, & reficiat damnum paſſo Domino domus combuſtæ, & alijs Dominis aliarum domorum combuſtarum, vel quòd illum, qui ſecum moraretur, cuius negligentia incendium fieret, ſiue ortum eſſet, debeat Curiæ præſentare, & ipſe ſoluere dictas pœnas: & ſi ſoluere non poſſet, debeat pro ipſa pœna decem librarum in turri morari duobus menſibus, & pro pœna vigintiquinque librarum tribus menſibus, & pro pœna quinquaginta librarum medio anno.

¶ De procuratione ignis in domibus proprijs, & quomodo debeant refarcire damnum paſſo. Cap. 107.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quilibet in domo propria, in qua habitat teneatur procurare ignem, & luminaria in domo ſua propria, & ſi domus ſua ſolummodo incenderetur ſine damno aliorum, ſentiat ſolummodo damnum domus ſuæ, ſi autem propter prædictum incendium domus vicini, vel vicinorum combureretur, refarciat damnum paſſo, vel paſſis, dummodo inhabitans per teſtes conuincatur de culpa.

¶ De his, qui tenentur currere ad ignem. Cap. 108.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd de qualibet domo, & de qualibet maſſaria, vnus homo ad minus currere debeat ad ignem cum ſitulis, angerijs, & alijs vtilibus ad extinguendum ignem, & qui contrafecerit, ſoluat Domino charentanos octo, niſi iuſta cauſa remanſerit.

¶ De portatoribus tenentibus currere ad ignem cum brentis ſuis ad extinguendum. Cap 109.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quilibet portitor teneatur currere continuò ad ignem cum ſuis brentis, & aquam portare toto poſſe: & ſi non curreret, vel accederet, & ad extinguendum ignem tardaret, ſoluat Domino centum charentanos pro qualibet vice, & ſi ſoluere non poterit, ſtet in turri per menſem niſi iuſta cauſa remanſerit.

¶ De angerijs, & ſcalis tenendis per contratas. Cap. 110.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd Communitas Tridenti teneatur ſemper habere in quolibet quarterio dictæ Ciuitatis, ubi uſum fuerit prouiſoribus, ſex bonos angerios, & ſex bonas, & longas ſcalas ad minus de quinq; paſſibus pro qualibet.

¶ De Piſtoribus ſiue Fornarijs, & alijs non debentibus portare lumina de nocte, ſi uentus fuerit. Cap. 111.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd aliquis Piſtor, ſeu quælibet alia perſona non debeat ignem, nec faces accenſas, nec aliquod lumen portare de nocte per Ciuitatem, quan do uentus fuerit: ſed bene licitum ſit, portare candelas, & tortia, ſiue dopleria accenſas in lanternis,

ternis, & non aliter: & qui contrafecerit, soluat Domino charentanos octo pro quālibet vice.

¶ De impegolatura nauium, & collatura seui in Ciuitate non fiendis, & fornace. Cap. 112.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd aliqua persona non debeat impegolare nauem, nec seuum collare, nec fornacem facere intra muros Ciuitatis, & qui contrafecerit, soluat pro impegolatura solidos. xl. Pro seuo collato, solidos. xx. pro qualibet vice: Pro fornace lib. x. denariorum Veronen. & perdat fornacem.

¶ De his, qui non iuerint ad exercitum, siue scortam. Cap. 113.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quicunque de Ciuitate, siue miles, siue pedes in decena positus, siue vastator, non equitauerit, siue non iuerit ad exercitum, siue scortam, vel aliquod iter, siue ad aliquem locum, postquam sibi denunciatum fuerit, vel præconizatum per Ciuitatem, vel exercitum, siue de loco recesserit sine licentia Capitanei, soluat miles pro quolibet equo charentanos sexdecim, pedes verò charentanos quatuor, & vastator charentanos duos, & plus arbitrio Domini, seu eius Potestatis, & Consulum, & Prouisorum Tridenti, nisi iustam causam, & excusationem habuerint.

¶ De non portandis armis per Ciuitatem. Cap. 114.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd nullus tam de Ciuitate, quam de Episcopatu, quam aliundè, deinceps audeat, nec præsumat portare de die arma per Ciuitatem Tridēn. videlicet loricam, siue panceriam, lameriam, ceruellariam, chirothecas ferri, rodellam, scutum, nec alia arma tā offensionis, quam defensionis: & qui contrafecerit, soluat pro qualibet vice libras quinque bonæ monetæ, nisi habuerit licentiam à Nobis, vel nostro Capitaneo, seu Potestate: & si portauerit de nocte, soluat duplum dictæ pœnæ, exceptis Ciuibus, quorum quilibet volens portare habeat in possessionibus valorem ducentorum ducatorum auri ad minus, & exceptis familiaribus Ciuium, & Dominorum Canonicorum, qui possint, & valeant ferre dicta arma secundum antiquam consuetudinem, si stant cum ipsis, dolo & fraude remotis pro certo salario: quod tamen de Ciuibus, & Canonicis, ac eorum famulis dictum est, locum non habeat, respectu scloporum, qui per Ciuitatem palam portari nequeant à prædictis, nec à quocunq; alio, impleti puluere, balota, & cum igne, vel qui per se ignem excutiunt, iub pœna R heneñ. decem, si de die contrafecerint, &

duplicetur pœna, si in nocte quis contrafecerit, & vnius tractus chordæ quod si aliquis sclopetum absconsum portauerit in die, vel de nocte per Ciuitatem Tridenti, vel Villas Iurisdictionis, siue cum igne, & oneratum puluere, & balota, aut per se excutientem ignem, talis incidat in pœnam Rhenensium vigintiquinque, & amputationis manus dextræ, sed de nocte soluat duplum pœnæ pecuniariæ Fisco applicandæ in omnibus casibus prædictis.

¶ De euntibus sine lumine post tertium tintinabulum. Cap. 115.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd aliqua persona non audeat ire per Ciuitatem de nocte post tertium tintinabulum, vsquè ad tintinabulum diei, sine lumine, & qui contrafecerit, si iuerit cum armis soluat libras decem bonæ monetæ, pro qualibet vice, & si sine armis iuerit, soluat charentanos viginti, nisi iusta causa iuerit: Si verò iuerit cum armis, etiam cum lumine, soluat libras quinque, pro vt soluere de die, exceptis illis, qui arma ferre possint de die, vt suprà, De non portandis armis, qui sine pœna possunt portare cum lumine magno, videlicet doplerio, vel lumine, & non cum paruo lumine.

¶ De hospitatoribus debentibus denunciare dictam postam hospitibus suis. Cap. 116.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd quilibet hosterius, siue hospitator teneatur denunciare postam proximè dictam hospitibus suis cum applicuerint ad hospitium suum: & si non denunciauerit, & hospes eius arma portaret, soluat hosterius libras tres bonæ monetæ, & credatur sacramento hospitatoris, vel eius familiaris, siue eius vxoris, vtrum denunciauerit hospiti prædicta, nec ne.

¶ De vino non conducendo ad Ciuitatem, ex statuto. q. Episcopi Alexandri. Cap. 117.

ITem attendentes antiquissimam consuetudinem Ciuitatis, & Diœcesis, ac etiam districtus Tridenti longissimo tempore obseruatam pro bono statu Ciuitatis nostræ Tridenti, quia Ciues nostri de alijs redditibus, quam ex vino, viuere non possunt, nec nostræ Ciuitatis onera possunt sustinere, considerantesque statuta Ciuitatis Tridenti facta, ac edita per Illustrissimum Principem Dominum, Dominum Leopoldum Ducem Austriæ, &c. & Patrem Illustrissimi charissimi Sororij nostri

Domini

Domini Friderici Ducis Auſtriæ, &c. Et præcolendæ memoriæ prædeceſſorem noſtrum Dominum Albertum Comitem de Ortemburg, & Epiſcopum Tridentinum, ſuper hac ordinatione vini infraſcripti non conducendi ad Ciuitatem Tridenti, priuilegia conceſſa, de conſenſu totius patriæ, Ciuibus Tridenti per antedictum Dominum Ducem Leopoldum. Nos Alexander Epiſcopus, & Dominus Tridenti volentes, & ipſas conſuetudines, & ſtatuta, & antiqua priuilegia dictæ Ciuitatis Tridenti confirmare, etiam Nos de nouo, iuxta & ſecundum conſuetudines, & ſtatuta, & priuilegia antiqua dictæ Ciuitatis Tridenti, Statuimus, & ordinamus, quòd nulla perſona terrigena, vel forenſis de cætero audeat, & præſumat, nec attentet ducere, portare, vel conducere, ſeu portari, vel conduci facere ad Ciuitatem Tridenti, nec ad eius diſtrictum, nec per eius diſtrictum quoquomodo, aliquod vinum extraneum, & non natum, nec collectum in terris, & in vineis Ciuium, & diſtrictualium Ciuitatis Tridenti, ſitis, & poſitis infra hos confines, videlicet, à Villis Matarelli, & Romagnani, & Vallis Surdæ ſuperius verſus Tridentum, à bocha de Vela, à Gardulo, à Caſtro veteri, & à Caſtilienio interius verſus Tridentum, ſub pœna centum librarum bonæ monetæ, pro quolibet plauſtro, & vigintiquinque librarum pro qualibet ſoma, & quinque librarum pro quolibet ſtario vini, & amiſſione vini, curruum, boum, & aliorum animalium, & rerum, cum quibus portatur, vel portatum fuerit ipſum vinum, cuius pœnæ medietas applicetur Cameræ Epiſcopali, & alia medietas Communitati Tridenti, & inuentoribus, ſiue acculatoribus. Exceptis tamen maluaſia, & vino Cretenſi, quæ impunè conduci poſſint ad dictam Ciuitatem, vt ab antiquo eſt conſuetum, & exceptis vinis partialibus, cenſualibus, & decimalibus noſtrorum Ciuium, Dominorum Canonicorum habitantium in noſtra Ciuitate Tridenti, & non Ruſticorum, nec Nobilium, qui non faciunt cuſtodias portarum, & murorum Ciuitatis Tridenti, natis & collectis extra dictos confines; quæ vina decimalia, & cenſualia ipſi Ciues, & habitatores Ciuitatis Tridenti, ad eorum habitationes, & vbi voluerint, impune, & ſine moleſtia conducere poſſunt, vti antiquitus eſt conſuetum; ita tamen, quod tales debeant licentiam petere à conſulibus, & eos certiorare, quantum, & quando velint tale vinum conducere, & poſtquam conductum fuerit, illud iterum eiſdem notificare, & vini conducti quantitatem manifeſtare, vt fraudibus obuietur: quæ ſi non fecerint, in pœnam præſentis ſtatuti incidant, ſicut ſi vinum prohibitum conduxiſſent: & quod nullus Officialis Ciuitatis Tridenti, ſub pœna prædicta poſſit dare alicui licentiam conducendi dicta vina extranea: & in eiſdem pœnis volumus, & mandamus ſubiacere omnes illos, qui dicta vina extranea

nea extra dictos confines nata in suis domibus, & mansionibus acceptauerint omni excusatione remota.

¶ De eodem constitutio Reuerendissimi Episcopi Ioannis.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd si aliquis Ciuis Tridenti de cætero emeret aliquas possessiones, vel bona, seu affictus, aut decimas, vel alio quocunque titulo etiam lucratiuo acquireret extra dictam Ciuitatem Tridenti, & eius districtum existentia, ex quibus vinum Colligeret, seu haberet, vel perciperet, non possit dictum vinum, vel partem eius ad dictam Ciuitatem, vel eius districtum conducere, vel conduci facere aliquo modo, sub pœna in dicto statuto contenta, cui per hoc non debeat derogari in aliis punctis, & articulis, excepto, & quod confinia vini permissi conduci extendantur, & in futurum esse intelligantur per totum Territorium, siue districtum Potestariæ Tridenti, vltra quæ confinia vina collecta censeantur esse forensia, & vt suprà, conduci prohibita.

NOs. N. Locumtenentes Reuerendissimi Domini Tridenti, In causa, & differentia coram nobis vertente, inter egregium Iuris vtriusq; Doctorem, Dominum Petrum Alexandrinum Ciuem Tridenti parte ex vna, & Guilielmum Gallum Ciuem, & Procuratorem Ciuitatis Tridenti ex altera, causa, & occasione certæ sententiæ latæ per consules dictæ Ciuitatis, super querela contra ipsum Doctorem proposita, occasione vini forensis per ipsum conducti, per quam eundem Doctorem Petrum incidisse in pœnam statuti, De vino extraneo non conducendo, in qua ipsum condemnauerunt etiam in expensis, visa appellatione Doctoris Petri ab ipso interposita, cum insertione causarum, & iurium allegatione, & ipsius reiectione, viso libello appellatorio per dictum Doctorem producto, visa contradictione Procuratoris Ciuitatis, dicentis causam esse inappellabilem, tam ex iuris dispositione, quam de stylo in similibus causis obseruato, peteretis propterea pro ipsa executione ad dictos consules remitti debere: Visis nullitatis suspensionibus per nos in hac causa factis, & auditis, ac benè intellectis his, quæ ambæ partes in contradictorio Iudicio oretenus dicere, proponere, & allegare voluerunt, tam super admissione dictæ appellationis, vel eius non admissione, quam super concernentibus ipsum negotium principale: cæterum visa querela proposita contra ipsum Doctorem ad officium Consulum Ciuitatis, de vegetibus duabus vini forensis, quas ex Villa Droni in Ciuitatem, ad domum ipsius querelati conduci fecit, visa querelati responsione

non

non negantis vegetes duas vini ex dicta Villa feciſſe conduci de affictibus antiquis quondam Nobilis Dominæ Antoniæ de Lizana, quod vinum antiquitus liberè conducere ſolita fuit, & idem pariter fecit ipſe querelatus, tanquam ſibi datum in ſolutum pro mercedibus ſuis, ab hæredibus quondam dictæ Dominæ Antoniæ, prius porrecta ſupplicatione ipſis Conſulibus ſuper dicto vino, & facta ſibi fide per plures de Ciuitate, quod dictum uinum fuit conductum per Dominam Antoniam, & poterat conduci, & latius, vt in ea: Viſis probationibus eiuſdem querelati, viſa fide de donatione in ſolutum facta de dicto vino ipſi querelato, per quondam Comitem Antonium de Archo, & Ioannem Contem de Trilaco, viſis denique omnibus actitatis, & productis coram dictis Conſulibus ſimul cum eorum ſententia, tenoris & continentiæ, vt ſuprà, viſo ſtatuto de vino extraneo non conducendo ad Ciuitatem, uiſo decreto Ciuitatis cum confirmatione piæ memoriæ Epiſcopi Ioannis, uiſis allegationibus Iuris per utranque partem coram Nobis exhibitis, viſis uidendis, & conſideratis conſiderandis, audita relatione nobis facta cum participatione quam plurium Iuris Doctorum, poſtremò citatione pro his die, & hora facta ad hanc noſtram in ſcriptis proferri ſententiam audiendam: Chriſti nomine repetito ſedentes pro tribunali: Nos ijdem Locumtenentes dicimus, & ſententiamus, ut infra, uidelicet, Quoniam per hanc noſtram diffinitiuam ſententiam declaramus benè fuiſſe, & ritè iudicatum contra ipſum Dominum Petrum per præfatos Dominos Conſules, & conſequenter per eum fuiſſe malè appellatum, ab expenſis tamen ex cauſis nos mouentibus ambas partes abſoluimus: Decernentes tamen, quod præſentis ſententiæ executio referetur usq; in reditum Reuerendiſſimi Domini Noſtri, uel ad eius ſuper hoc reſolutionem, non intendentes per hanc noſtram ſentontiam feciſſe præiudicium aliquod ſuper articulo, an ſententiæ huiuſmodi, & ſuper talibus cauſis latę admittant appellationem, uel reijciant, neque circa hoc derogaſſe iuribus Ciuitatis, aut particularium perſonarum: Et ita dicimus &c. In quorum fidem, & teſtimonium præſentes fieri, præcibatiq; Reuerendiſſimi Domini noſtri ſigillo communiri fecimus. Datum Tridenti in Arce Boni Conſilij, die quinta decembris, Anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo primo.

¶ De

¶ De non debentibus lauare lanam, & pelles in rugijs Ciuitatem. Cap. 118.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd nulla perſona audeat, vel præſumat lauare lanam, pelles, vel coramen, cuiuſcunque generis exiſtant, in rugijs diſcurrentibus per Ciuitatem, excepto quàm in rugia foſſati eerdonum, ſub pœna decem librarum denariorum Cameræ Epiſcopali applicanda toties, quoties contrafactum fuerit, & quilibet poſſit accuſare, vt ſuprà.

¶ De mercede Notarij maleficij. Cap. 119.

ITem ſtatuimus, & ordinamus, quòd quilibet Notarius ad maleficium deputatus, qui fuerit rogatus de ſimilibus à quolibet inquiſito ex officio, vel ad denunciam, vel querelam ex delicto importante cauſam pecuniariam, habeat Notarius pro qualibet querela, vel denuncia ſimplici quotcunq; fuerint querelati, vel denunciati charentanos quatuor, ſi talis denuncia, querela, vel inquiſitio non excederet folium: ſi verò excederet, quotcunq; etiam fuerint querelati, vel inquiſiti, vel denunciati, non poſſit recipere vltra charentanos octo.

¶ Pro reſponſione verò, & fideiuſſione ad denunciam, querelam, vel inquiſitionem habeat Notarius charentanos quatuor, quotcunq; fuerint perſonæ, in eadem reſponſione, & cauſa.

¶ Pro examine verò teſtium, pro vna facie medietatis folij, quæ facies conſtituit quartam partem vnius folij integri, habeat Notarius quotcunque ſint querelati, vel producentes, charentanos quatuor, & tantundem habeat examinator: Et idem ſeruetur in capitalibus cauſis, quoad examen teſtium, & Notarius, & examinator non debeant ponere res ſuperfluas, quæ non ſint pertinentes ad cauſam, vel adminiculum præbeant, & alias pro ſuperfluis nihil ſoluatur.

¶ Pro inquiſitione capitali, vel corporali ſimplici, vel continente etiam plura delicta vsq; ad quatuor, & non vltra, habeat Notarius libras duas, charentanos ſex: abindè verò ſupra merces non excedat libras quinque quotcunq; etiam fuerint inquiſiti.

¶ Pro conſtituto quolibet extra torturam, & in Palatio in cauſa criminali, habeat Notarius charentanos octo pro qualibet charta, quæ facit medium folium.

¶ Pro conſtituto quolibet in tormentis in Palatio habeat Notarius libras duas bonæ monetæ: ſi verò fuerit in Caſtro extra tormenta habeat libras duas bonæ monetæ, in tormentis verò habeat libras tres bonæ monetæ.

¶ Item

¶ Item si aliquis inquisitus, querelatus, vel denunciatus comparuerit ad defensam per se, vel alium in casibus à iure permissis, & fecerit aliquas defensiones tunc pro eo satisfiat Notario, vt suprà dictum est quoad acta de quibus suprà, de alijs verò scripturis, processibus, & actis, copijs indiciorum, & quibuscunq; actitatis, habeat Notarius quantum solet habere iuxta taxam in causa ciuili, & quartum plus.

¶ De mercede visi, & reperti. Cap. 120.

ITem statuimus, & ordinamus, quòd pro aliquo vulnere, nisi morte secuta, non possit procedi ad faciendum visum, & repertum, & similiter, quando Iudici per notorium potest liquere, aliquem fuisse absque dolo, & culpa, & per casum fortuitum occisum.

¶ Item statuimus, & ordinamus, quòd ad quolibet visum, & repertum faciendum, & scribendum vltra Notarium maleficiorum non possint ire vltra duos Officiales, computato Cauallerio, nisi necessitas maiorem numerum postularet, & eis fiat solutio, prout taxatum est in faciendis capturis, quòd duo Officiales computato Cauallerio eligantur per Notarium inspectura, & solutio fiat tam Notario, quam Officialibus de, & super bonis offendentis si bona reliquerit, & alioquin ex Camera Episcopali.

¶ Initium Sancti Euangelij secundum Ioannem.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est, in ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, vt testimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit, In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum dedit eis potestatem filios dei fieri, his, qui credunt in nomine eius, qui non ex sanguinibus, neq; ex voluntate carnis, neq; ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Et vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis.

¶ Laus tibi Christe.

¶ Im-

LIBER TERTIVS DE CRIMINALIBVS.

¶ Impressum Tridenti, Sub Bernardo Clesio, Dei gratia, Episcopo Tridentino, Sereniſſimi, ac Potentiſſimi Ferdinandi, Hungariæ, & Bohemiæ Regis, &c. Archiducis Auſtriæ, & Locumtenente Imperij per Germaniam. Conſilij ſecreti Præſidente, eiuſdemquè Supremo Cancellario. Anno Domini M. D. xxviij. x. Decembris. Maphæo Fracacino Chalcographo ſolertiſſ. curante.

✠

Et nouiter impreſſum per Ioannem Baptiſtam Gelminum.

Anno. M DC. X I V.

INDEX

LOCVPLETISSIMVS

OMNIVM CONTENTORVM IN LIBRO PRIMO CIVILIVM

STATVTORVM.

A

Absentes quomodo, & qualiter citandi sint. cap. 7

Ab intestato, quis succedat filio, mater, an verò frater ipsius filij defuncti. cap 110

Ab intestato decedente Patre; Filiæ, quomodo, & qualiter succedant, filijs masculis existentibus. cap. 109

Actor infra quatuor dies a lite contestata, computandos debet producere positiones, & capitula, si quæ vult &c. cap. 29

Actor non prosequens causam inceptam librarum quinq, infra tres dies, instantia spirat. cap. 32

Actor non prosequens causam inceptam librarum quinquaginta intra tempus statutum condemnari debet in expensis, &c. cap. 32

Acta scripta à Notario non collegiato non valent. cap. 146. & 142

Acta scribenda sunt à Not. coram Iudice. Domi tñ extendi poterunt. c. 147

Actiones cedi non possunt in potentiores. cap. 91

Acta debent per Notarium ad referendum assumptum die sequenti referri sub pœna nullitatis in fin. cap. 32

Actiones quælibet intentandæ infra viginti annos. cap. 90

Ab intestato decedentibus tranuersalibus, quomodo ipsi sibi inuicem succedant. cap. 111

Adire vellẽs hæreditatẽ alicuius, pbare quomodo debeat se propinquũ. c. 17

Ad Papam, Imperatorem, vel Patriarcham, quando appelletur. cap. 54

Æstimatoribus iuramentũ deferẽdũ, & de bene & iuste æstimãdo. c. 79. & 78

Afflictum causa decidenda est, sine aliquo libello summarie. cap. 33

Afflictus rei emphiteoticè diuidi non potest, licet res ipsa diuidatur. cap. 102

Afflictus Dominum, quo tempore solui debeat. cap. 98

Afflictalini, quomodo soluere cogantur, si solutionem recusant. cap. 56

Afflictalini Clericorum tenentur ad ea omnia, & quæcunq; onera ad quæ tenẽtur etiam afflictalini laicorũ, ipsiq; Clerici propter prata, & agros. c. 126

Afflictalini tenentur bona Dominus demonstrare. cap. 103

Afflictalini nõ soluẽtes pẽsiones afflict⁹, & debita Dñõ, carcerari possũt. c.165
Agens hypothecaria contra tertium possessorem sufficit ad hoc vt obtinere possit, probare debitorẽ possedisse tempore obligationis contractæ. ca.74
Alienationes rerum Minorum, ac Pupilorum, quomodo sint faciendæ. cap.5
Alienatio facta à Minore cum Iuramento, & absq; solemnitatibus statutarijs nullo modo valet. cap. 5
Alienationes non possunt fieri à Mulieribus constante matrimonio absque præsentia trium Agnatorum, aut cognatorum. cap.85
Alienatio à Muliere facta constante matrimonio, & Iuramento firmata non valet absentibus proximioribus. cap.85
Alienatio præsumitur fraudulenta, quoties Alienans remanet in possessione rei alienatæ. cap.119
Alienationes qualiter publicari debeant. cap.119
Alter alteri requirere potest stipulatione mediante. cap. 117
Alienatio rei litigosæ non est permissa. cap. 123
Alienationes factæ ratione ludi, vel in ipso ludo non valent. cap.141
Alimenta quando filius teneatur præstare patri, aut matri. cap. 121
Alimenta quando sint præstanda filijs à Parentibus, vel non. cap. 121
Allegans statutum qualiter probare, & illud allegare debeat. cap. 2
Ammissione Instrumentorum suarum possessionum, cap.93
Annuo legato vxori. cap.86
Appellatio non admittitur à sententijs contra confitentes. cap. 48
Appellatio non admittitur ab executione Iuris, & facti. cap.48
Appellatio non admittitur à sententia interlocutoria, nisi haberet vim diffinitiuæ. cap.52
Appellatio non admittitur à sententijs à vigintiquinq; lib. infra. c.30 32 33
Appellatio non admittitur à sententia expensarum, nisi à xxv. lib. sup. ca.39
Appellans tenetur præsentare acta primæ instantiæ. cap.54
Appellationis instantia, quanto tempore durit. cap.52
Appellatio quando admittatur ad Papam, & Imp. cap. 54
Appellatio non admittitur à sententia lata a Compromissarijs electis à propinquis. cap. 6
Appellatio non admittitur contra præceptum Iudicis volentis Instrumentum publicum exequi elapso termino ad opponendum. cap.59
Appellatio quo in loco sit interponenda. cap.55
Appellatio apud quos debeat interponi. cap.54
Appellatio quæ præualeat viua voce, vel in scriptis facta. cap. 55
Appellatio, quando dicatur deserta. cap.54
Appellationem tàm potest instituere Procurator, quàm principalis. cap. 51
Appellatio in causis à vigintiquinq; libris vsq; ad quinquaginta, quando dicatur deserta. cap.30
Appellatione plurium, tres ad minus veniunt. cap. 150
Appellatione masculi, venit etiam fœmina. cap. 6. 7. 87
Acquisitio Iuriũ, & actionũ potest fieri alteri p Alterũ licet sint priuati. c.117

Aqui-

Aquisitum ex ludo detineri non potest, nec debet. cap. 141
Arbitri electi à propinquis si intra spatium quatuor mensium sententiam suam non tulerint incidunt in pœnam. cap. 6
Ascendentes vsque ad quartum gradum possunt defendere in Iuditio, absq; mandato. cap. 17
A Sententia Potestatis ad quem appelletur. cap. 54
A Sententia Consulum ad quem Instituenda sit appellatio. cap. 54
A Sententijs Syndicorum ad quem appelletur. cap. 54
A Sententijs Iudicum appellationum, ad quem instituatur appellatio. ca. 54
A Sententijs latis per Vicarium, ad quem appelletur. cap. 54
Authoritas Iudicis interponi potest etiam diebus feriatis, exceptis in honorem Dei, &c. cap. 41

B

BEllum, quò tempore sit obtentum à Nostris contra venetos, & quomodo, vbi multa de hoc siru digna. cap. 107
Bella tempore si Rustici confugerint ad Ciuitatē, quid facere debeant. c. 134
Bona Patrimonialia Clericorum sunt subiecta tacitonibus realibus. cap. 125
Bona Clericorum, quæ ipsi Clerici emerunt à laicis sunt subiecta oneribus realibus, cap. 122
Bona semel Ecclesiæ acquisita nunquàm amplius ad laicos reuerti possunt. cap. 127
Bona, & fructus existentes in agro, vel domo sunt obligata Domino Domus & campi & deinde alijs ita, vt ipsi præferantur. cap. 96
Bona mobilia data in dotem, debent à Notario in Instrumento dotis specificè, & singulariter nominari. cap. 58
Bona mobilia, quæ mulier marito in dotem dedit & ipsa in dotem recipere debet, casu veniente restitutionis ipsius iuxta tamen æstimationē. cap. 79
Bona acquisita per mulierē constante matrimonio, præsummuntur acquisita de bonis ipsius mariti. cap. 77
Bonus vir, quis dicatur. cap. 6
Bona per affictalinos Dominis demonstranda sunt. cap. 103

C

CAmpana Turris per quem, & quando pulsanda sit. cap. 2
Cautæ summariæ, quæ dicantur. cap. 30
Cautæ viduarum Pupillorum Forensium non excedentes summam librarum quinquaginta sunt summariæ. cap. 30
Causa Domini petentis partem sui affictus ab affictalino summariè decidenda. cap 30
Causa emptionis, & venditionis à quinquaginta libris infra est summaria. cap. 30
Causa quælibet vigintiquinq; librarum dicitur summaria. cap. 30

Causa dotis cuiuslibet summæ dicitur sumaria. cap. 30
Causæ incarceratorum dicuntur, & determinari debent summarie, cap. 30
Causa alimentorum debet decidi summarie sine aliqua scriptura. cap. 121
Causa summarie decidenda est, causa fideiussoris, contra Principalem, qui soluit fideiussionem. cap. 71
Causa si fuerit sumaria, Dies dati ad probandum præsummuntur continui, & non vtiles. cap. 26
Causa si fuerit summaria, & quidam citatus fuerit pro vna hora, & Iudex illa hora non sederit præsummitur tamen citatus illa hora, qua Iudex sederit. cap. 25
Causæ summariæ, quanto tempore finiri debeant. cap. 32
Causæ Episcopalis decidi debent summariè. cap. 34
Causæ Communitatis deciduntur summariè. cap. 34
Causæ committi debent collegiatis tantum. cap. 42
Causæ appellationum quomodo terminandæ. cap. 54
Causæ appellationum à vigintiquinq; libris vsque ad quinquaginta decidi debent infra sex menses ab interposita appellatione. cap. 30
Causæ maleficiorum, & criminales determinari possunt diebus feriatis. c. 31
Causæ librarum quinq; vsq; ad quinquaginta quomodo terminandæ. ca. 32
Causæ librarum 5. 25. 50. intelligi debent, quòd illa summa sit in forten, & non computatis expensis, ad hoc, vt terminari valeant secundum statutum, cap. 32
Causa librarum 25. vel infra non habet opus libello. cap. 33
Causæ Collegiatorum à decem libris infra debent decidi à Rectore, & consulibus collegij. cap. 146
Causa Episcopalis, vel Communitatis carens Procuratore dandus erit illi idoneus à Iudice, cap. 35
Causæ sunt omnes agitandæ, & decidēdæ in Episcopali Palatio Triden. c. 38
Causæ Arduæ, quæ dicantur. cap. 146
Causæ quomodo agitandæ, & terminandæ si sententia dicitur ipso Iure nulla. cap. 54
Carcerari quando aliquis possit pro debito. cap. 105
Causa propinquitatis videtur an quis sit propinquus quomodo determinanda. cap. 17
Causa non decisa à statuto debet decidi, & agitari secundum loci consuetudinem. cap. 33.
Causa si fuerit ordinaria, & dies dati fuerint ad probandum præsumuntur dies vtiles, & non continui. cap 26
Carcerari non potest forensis ad instantiam forensis pro debito, cap. 105
Carcerari non potest Ciuis ad instantiam forensium. cap. 105
Carcerari aliquis non potest pro minori summa. cap. 106
Carcerari quibus diebus, & locis aliquis non possit pro debitis. cap. 107
Carcerari non potest Christianus ad instantiam non Christiani. cap. 108
Carcerari nemo potest tempore Nundinarum pro debitis. cap. 136

Cau-

Cauſæ quæ nam poſſunt decidi diebus feriatis. cap.31.
Cauſæ Eccleſiæ Tridentinæ poſſunt decidi diebus feriatis. cap.31.
Cauſæ Communitatis agitari poſſunt diebus feriatis. cap.31.
Cauſæ librarum 50 quomodo determinañ. cap.32.
Carcerari pro debito quis non poteſt nec debet ſi habet in bonis ſtabilibus vnde ſoluat. cap.73.
Capitula admittũtur in cauſa principali,& appellationis ſint duplicia. c.21.
Carcerum magiſter,quid habere debet pro ibi detẽtis pro ſalario ſuo. c.105.
Capitaneus ad contrabanna à quo ſit eligendus,& de eius officio. cap.135.
Calumniæ Iuramentum ſi probatum non fuerit datur contra iurantem tenuta. cap.37.
Ceſſio actionum facta in potentiorem, non valet licet Iuramento firmetur. cap.91.
Chriſtianus non poteſt capi carcerari,nec agrauari ad inſtantiam non Chriſtiani. cap.108.
Ciuis quomodo quis efficiatur iſtius Ciuitatis Tridenti. cap.129.
Ciuis qui fieri vult debet poſſidere in bonis ſtabilibus vsq; ad ſummam centum ducatorum. cap.129.
Ciues citati extra Ciuitatem Trideñ. comparere non tenentur. cap.89.
Ciues onera tenentur ſubire æqualiter. cap.130.
Ciuis, vt quis dici poſſit quid obſeruare debeat, & teneatur. cap.129.
Ciues poſſunt facere teſtamentum abs q; aliquo impedimento. cap.113.
Citationes quomodo fieri debeant. cap.7.
Citationes quando alta voce fieri debeant. & quo in loco. cap.7.
Citatio poteſt fieri die feriato in honorem Dei pro non feriato. cap.7.
Citati, & non requiſiti ratione citationis,quid agere debeant. cap.8.
Citationes ad reſpondendum in Iure fiunt viua voce, & non in ſcriptis.ca.9.
Citatus ad audiendam ſententiam vna hora, ſi illa lata non fuerit, poterit Iudex illam ferre alia hora ſequenti niſi,&c. cap.50.
Citatio fieri debet,perſonaliter ſemel,aut ad domũ bis diuerſis diebus.ca.51.
Citari debet pars cum proceſſus præſentatur. cap.29.
Citari qualiter debeant habitãtes in Ciuitate,& qualiter nõ habitantes. c.7.
Citari non debet pars cum producitur libellus appellationis. cap.54.
Citationem ſi fecerit Officialis quid pro ea habere debeat. cap.143.
Citatio in cauſis quinque librarum vſque ad quinquaginta ſemel fit in tota cauſa, ita vt opus non ſit aliqua alia citatione. cap.32.
Citatus pro vna die ſi fuerit feriata, præſumitur citatus pro proxima non feriata. cap.25.
Citatus pro hora matutina in cauſis ſummarijs, ſi Iudex non ſederit præſumitur citatus ipſo Iure pro hora veſperina, aut pro die immediate ſequenti, cap.25.
Citatus ad teſtificandum ſi non comparuerit puniri debet. cap.27.
Citatio interrumpit præſcriptionem viginti annorum. cap.90.
Citatio ad hoc vt interrumpat præſcriptionem fieri debet in ſcriptis. ca.90.

Circuli, & vegetes non possunt conduci extra Districtum. cap. 135.
Clerici sunt subiecti oneribus, & factionibus realibus, quo ad bona patrimonialia. cap. 125.
Clerici ad quæ onera sunt obligati, si habent bona stabilia. cap. 126. & 127.
Clericus in quibus sit subiectus Iurisdictionis Potestatis. cap. 126.
Clerici ementes bona stabilia à Laicis, sunt subiecti oneribus realibus, quo ad illa bona. cap. 127.
Clerici tenentur soluere steuras, quo ad bona aquisita à Laicis. cap. 127.
Compromissarij electi à propinquis tenentur causam, & laudum ferre infra tres menses continuos a die accepti compromissi. cap. 6.
Compromissarij electi à propinquis tenentur causas finire summarie, & sine strepitu Iuditij. cap. 6.
Compromissa fieri non debent extra Ciuitatem. cap. 145.
Communitas habet medietatem pœnæ, qua punitur Capitaneus Turris. c. 2.
Communitas habet medietatē pœnæ, quę puniuntur iudices Tutel. ca. 110.
Communitatis bona summariè vendicanda. cap. 36.
Communitatis reditus qualiter dispensandi. cap. 128.
Communitatis Reditus, quomodo expendendi. cap. 128.
Compromissum fieri non potest in Iudicem ordinarium. cap. 145.
Compromissa fieri quando, & in quos possint. cap. 145.
Commissio causarum, quomodo fieri debeat. cap. 44.
Conuentus ab aliquo, actione reali, tenetur nominare Dominum ante cōtestationem, litis aliàs proceditur contra ipsum. cap. 16.
Consanguinitas quomodo probanda. cap. 17.
Consuetudo statuto contraria non seruanda. cap. 2.
Contestata lite Reus conuentus, actione reali non potest nominare Dominum, sed ipse condemnandus, quod secus est ante contestationem. ca. 16.
Contestata debet pronuntiari lis parte non comparente. cap. 19.
Contumax præsumitur negare. cap. 19.
Contumax debet condemnari ad tenutam, vel contra ipsum pronuntiare litem pro contestata parte contraria instante. cap. 19.
Confessi non appellant. cap. 48.
Conuentus tenetur nominare Dominum in iuditio, & quando. cap. 16.
Coniunctus vt pro coniuncto admittatur in iuditio, quid agendum sit. c. 17.
Conueniri nemo potest nundinarum tempore. cap. 136.
Conductor non soluens afflictum, qualiter conueniri, & contra ipsum procedi debeat. cap. 100.
Conductor locatione finita debet possessioni relinquere stramina, & paleas, quas illo anno fecit. cap. 101.
Conductor tenetur certiorare locatorem per mensem priusquam tempus conductionis sit elapsum, quod sibi prouideat de alio conductore. ca. 97.
Conductores ad perpetuum tenentur dare Locatori Instrumentum locationis suis sumptibus. cap. 99.
Contradotē quando lucretur mulier, vel Donationē propter Nuptias. c. 81.

Contrabannum committens, vel faciens qua pœna puniatur. cap. 135.
Contestatio litem, quando facta dicatur. cap. 19.
Consules tenentur deputare Officialem ad vendenda pignora. cap. 143.
Collaterales possunt defendere, & agere in Iuditio absque mandato procuræ. cap. 17.
Colonus in perpetuum qua pœna puniatur non demonstrans possessiones Domino. cap. 103.
Collegij Tridentini statuta. cap. 146.
Collegiati quas Ecclesias & Festas dies celebrare, ac visitare teneãtur. c. 146.
Collegiatus Nemo esse potest nisi examinatus sit. cap. 146.
Collegiati in casu necessitatis tenentur subuenire Collegio. cap. 146.
Collegiati blasphemantes qualiter puniantur. cap. 146.
Collegiati tenentur Iurare se obseruaturos esse statuta. cap. 146.
Collegiati solum decidere debent causas delegatas, cap. 42.
Confirmatio Potestatis spectat ad Principem. cap. 1.
Cõclusio in causa debet fieri post quatuor dies à publicatione processus. 29.
Confessus habet terminum dierum decem, si summa fuerit à quinq; libris supra ad soluendum ipsum debitum confessum. cap. 37.
Consilium sapientis à partibus assumptum quale, & quanto tempore durare debeat. 42. 44.
Consilium super aliqua quæstione non potest peti à non Ciue. cap. 43.
Consilia committi non debent alicui Iudici hic Tridenti. cap. 43.
Consiliarij Reuerendissimi Episcopi sunt Ciues Tridẽti. cap. 43.
Confidentes à partibus dandi à Vesperis vsq; ad tertiam, vel è contra. 42.
Confidentes tres dandi sunt à qualibet parte. cap. 44.
Consultoris salarium quale sit. cap. 45.
Consultor debet de expensis consulere, sub pœna refectionis. cap. 47.
Condemnatus à Iudice, quia noluit testificari potest compelli realiter, & personaliter. cap. 27.
Conuentus atq; Vocatus in Iuditio, si nõ comparet, in electione actoris est accipere tenutam, vel instare pro contestatione litis. cap. 19.
Condemnatus in iuditio nulla facta mentione expensarum censetur etiam condemnatus in expensis. cap. 39.
Consules faciunt, & reformant statuta vt notatur in principio statuti in præfatione.
Consules qualiter eligere debeant Potestatem, siue nouum Prætorem. ca. 1.
Consules prouidere debent de Officialibus. cap. 2.
Consules debent videre vtrum forenses habitare vellint in Ciuitate. ca. 129.
Consules eligunt Capitaneum ad contrabanna. cap. 135.
Contumaces expensas reficere debent, & damna. cap. 8.
Copia scripturarum cuius expensis sit danda producentis, aut petentis. c. 23.
Copia Instrumenti, loco libelli producti, est danda parti sumptibus producentis. cap. 33.
Copia scripturarum, quid solui debeat Notario. cap. 149.

Copiæ

Copiæ scripturarum, quid solui debeat Notario. cap. 149.
Copiæ Instrumentorum,& Actuum danda est vtriq; parti. cap.147.
Crimen læsæ Maestatis adimit facultatem testandi. cap. 113.
Creditor exigens debitum sibi iam solutum punitur in quartam partem eius debiti. cap. 59. 67.
Creditor cui à debitore non est satisfactum qualiter debeat procedere contra alios creditores, qui aliqua bona iam in solutum acceperint. cap.75.
Creditorum vnus vsq; ad quod tempus habeat regressum contra alios, qui à debitore bona insolutum acceperunt. cap. 75.
Creditores mariti bona aquisita ab vxore constante matrimonio possunt accipere in solutum, quia præsummuntur ipsius mariti. cap. 77.
Creditores mariti possunt soluere dotem mulieri,& accipere sibi insolutum bona ipsius dotis & de bonis ipsius mariti. cap. 79.
Creditores mariti habent regressum contra vxorem, quæ bona ipsius mariti in dotē accepit,si quæ ipse maritus melioramenta fecit in illis bonis. c.79.
Creditores possunt cedere Iura sua quæcunque fideiussoribus non obstante hoc statuto. cap. 91.
Creditores non possunt pignòra exportare extra Ciuitatem. cap. 62.
Creditum si constat per Instrumentum, non est offerrendus libellus in Iuditio. cap. 33.
Curator asserens se curatorem ei incumbit onus probandi, aliàs punitur de expensis factis. cap.13.

D

Damnatus ad mortem testari potest. cap. 113.
Damnum illatū domui denunciare tenetur habitator Domino. c.140.
Debitor non soluens debitum quando carcerari possit à creditore. cap.105.
Debitor possidens bona stabilia in Districtu Tridenti carcerari non potest. cap.73.105.
Debitor existens in domo suæ habitationis carcerari non potest. cap.107.
Debitores, qui & quomodo pignorandi cap. 56.
Debitor debitum confitens habet decem dies ad soluendum, si summa fuerit a decem libris supra. cap.37.
Debitor an carcerari possit Nundinarum tempore. cap. 136.
Debitor obligans soluere sub pœna famigliæ &c. si non soluit quomodo contra ipsum procedatur. cap. 56.
Debitum causa dotis quomodo exigeñ. cap. 57.
Debitor tenetur creditori dare omnia sua bona in scriptis, ad hoc vt soluatur, si debitum est ex causa lucratiua,aliàs secus. cap. 57.
Debitores quot tempus habeant ad exigenda pignora conuentionalia.c.63.
Debitores prius conueniendi, mox possessores & quomodo,& quãdo. c.74.
Debitum librarum decem quomodo exigendum, vel supra vsq; ad quinquaginta. cap. 56.
Debitum ex quacunq; causa lucratiua quomodo exigendum. cap. 57.
Debitum si constat per Instrumentū publicum quomodo exigatur, c.33.59.

Debitum si apparet ex testamento, codicillo, vel donatione causa mortis qualiter exigi debeat. cap. 59.
Debitum semel solutum exigi amplius non debet. cap. 67.
Debita vsuraria exigi non debent quę autē dicatur vsuraria hic Not. cap. 68.
Debitum contractum à filio ratione marcimoniæ gestæ cum consensu patris soluere tenetur ipse pater. cap. 76.
Debitum si constat per Instrumentū publicū non est offerrēdus libellus. c. 33
Debitum si fuerit minoris summæ decem lib. quis carcerari nō possit. c. 106.
Decimani debent ter vocari à laboratoribus ad decimas accipiendas, ca. 138.
Descendentes vsq; ad quartum gradum possunt defendere, & agere in iuditio absq; mandato. cap. 17.
Decedentibus ab intestato, quis eis succedat. cap. 109.
Decima non soluta per quadraginta annos amplius solui non debet. cap. 95
Decreta possunt interponi diebus feriatis, sed non in honorem Dei. cap. 41
Debitum ex causa afflictuum, quomodo exigendum, vel carentan. 24. ca. 56
Dies continui, qui dicantur. cap. 29
Dies S. Laurentij quare habeatur in Venitatione. cap. 107
Dies feriati qui dicantur. cap. 31
Diebus feriatis quando procedi possit. cap. 31
Dies feriati qui sint. cap 40
Diebus feriatis potest procedi in criminalibus. cap. 40
Dies Festus S. Laurentij quari hinc habeatur in veneratione. cap. 107
Dies dati ad probandum censetur dati vtiles. cap. 26
Die vtiles dicuntur illi, in quibus de Iure municipali Ius reddi potest. cap. 29
Dilationes vni parti datæ ad probandum, censentur etiam alteri datæ. ca. 29
Districtuales capi non possunt pro debito infra libras decem. cap. 106
Diæcæsis tota seruare debet hæc statuta. cap 144
Diebus Sabbatis fit mercatum Tridēt. cap. 136
Donationū Instrumenta, quid soluere debeant Not. pro mercedibus, ca. 148
Donatio pēn nittur ficta, si donatari⁹ remanet in possessione rei donatę. c. 119
Donationes qualiter publicari debeant. cap. 119
Donationē propter Nuptias non lucratur mulier, stantibus filijs cōibus. c. 81
Donationes qualiter exigendæ. cap. 57.
Dotis causa, & lis summariæ decidenda. cap. 30
Dos debita, quomodo exigenda. cap 57
Dotis interesse tenetur mulier imputare in alimentis sibi à marito relictis sub illa clausula, quòd sit Domina, & Massaria, &c. cap. 86
Dotis interesse taxandum est in ratione sex pro centenario, cap. 85
Dotis dimidia lucratur vir, muliere decedente absq; filijs. cap. 80
Dote constituta à patre, vel à descendentibus ex recta linea, filia debet esse contenta. cap. 109
Dotis Instrumentum, quid Notario soluat. cap. 148
Doctores legū gaudent priuilegij sibi aliàs in statuto veteri concessis. ca. 133
Doctorum fratres tenentur soluere custodias pro rata bonorum suorū. c. 133

Dominus Domus, & campi præfertur cæteris omnibus creditoribus in affictu domus & campi, aut prati. cap. 139

E

Emancipationes qualiter fieri debent. cap. 120
Emancipationes, quando præiudicent Communitati, atq; priuatis. c. 120
Ecclesias visitare tenetur Collegiati bini, quãdo eis hoc indictũ fuerit. c. 146
Ecclesia liberat aliquem quo minus carcerari possit pro debito. cap. 107
Eligi qualiter debeat Potestas. cap. 1
Electio Prætores ad quem spectat. cap. 1
Emptionum instrumenta, quid soluant Notario. cap. 148
Empliamenta dotalia quæ sint. cap. 89
Emphiteuta tenetur accipere renouationem suę locationis in fine vniusq; iusque decimi nonni Anni. cap. 102
Emphiteuta tenetur Domino terras demonstrare requisitus. cap. 103
Emphiteuta abscondens Domino aliquã suarum possessionũ punitur. c. 103
Episcopus tenetur salarium dare potestati. cap. 1
Extranei quomodo citandi. &c. cap. 7
Expensas citati, & non requisiti occasione ipsius citationis quis soluere debeat. cap. 8
Expensas funeris tenetur facere vir pro vxore decedente sine filijs. cap. 80
Expensas scripturarum productarum in Iuditio si copiam petierit pars, quis soluere eam debeat. cap. 23
Exactores factionum qui nam sint. cap. 132
Examinatio testium soli Notario causæ, demandari non potest sub pœna libri. 10. cap. 28
Examinatio testium quid Notario soluat. cap. 151
Executiones quomodo faciendæ. cap. 56
Exceptio nullitatis potest proponi semper. cap 54
Exceptiones infra quot tempus produci debeant ab ipso Reo. cap. 29
Exceptiones Instrumentorum quomodo faciendæ contra fideiussores. c. 59
Executiones tenutæ super quibus bonis fieri debeat, & possit. cap. 61
Examinatio testium fieri debet à Iudice, aut alteri demandari cum consensu partium. cap. 28
Expensas necessarias agro, tenetur facere Clericus. cap. 126
Exigendum pignus infra quot dies sit. cap. 143
Excussiones qualiter fieri debeant. cap. 74
Expensas carcerato, quis facere debeat. cap. 105

F

Fauorem mercatoribus præstando. cap. 137
Fœmina nubenti ex arbitrio suo priuanda hereditate. cap. 82
Filia dotata à patre, vel ab ascendente per rectam lineam, vel a fratre qualitercunq; debet esse contenta. cap. 109
Filio decedente ab intestato relicta matre, & fratribus quis ei succedere debeat. cap. 110

Filijs omnibus decedentibus ab inteſtato relicta ſola matre, quid habere poſſit in bonis filiorum. cap. 110
Factiones ſunt ſubeundæ ab omnibus. cap. 132
Factiones ſunt ſubeundæ ab omnibus, ijs in locis, in quibus bona reperiuntur. cap. 132
Factiones tempore belli, quomodo ſint à Ruſticis ſubeundæ. cap. 134
Feriæ, quæ dicantur. cap. 40
Feuda concedi poſſunt maſculis, & fœminis. cap. 118
Feudatarij ſi à patre fuerint relicti minores habent diem mẽſem, & Annum ad petendam Inueſtituram. cap. 94
Feudatarij tenentur dare Inſtrumentum Feudi Domino ſuis sũptibus. ca. 99
Filijs maſculis morientibus relicta matre, & ſorore æqualiter ſuccedunt illis. cap. 110
Filia ſi aliquid habuerit à patre in teſtamento debet eſſe contenta. cap. 112
Filia non poteſt agere ad ſuplementum legitimæ ſi aliquid illi fuerit relictũ à patre filijs maſculis extantibus. cap. 112
Filia non poteſt dicere teſtamentum nullum, licet nihil habeat Iure Inſtitutionis. cap. 112
Filijs communibus non extantibus, vir lucratur dimidiam dotis. cap. 80
Filia nubens ex arbitrio ſuo, quando ſit dote priuanda. cap. 81
Filijs communibus non extantibus mulier lucratur contradotem, & donationem propter nuptias. cap. 81
Filiatio quomodo probanda ſit. cap. 88
Filij vaſallorum intra quot tempus Inueſtituram petere teneantur. cap. 94
Filij qualiter emancipari debeant. cap. 120
Filius, quando teneatur ſequi parentes. cap. 121
Filius familias qualiter obligetur. cap. 76
Filius familias ſi exercet aliquam marcantiam, vel artem obligatur, tanquã paterfamilias. cap. 76
Fideiuſſor dandus in cauſa appellationis ab Actore de ſoluendis expenſis, &c. cap. 54
Fideiuſſor debet à ſuo principali liberari infra mẽsẽ à die Denunciat. c. 69
Fideiuſſores tutorum infra Annum liberari debent à die lapſi termini, & finitæ tutelæ. cap. 69
Fideiuſſores indemnes à ſuis principalibus conſeruari debent, ſi habent Ius ceſſum. cap. 70
Fideiuſſores non poſſunt pignorari abſq; licentia Iudicis. cap. 72
Fideiuſſores quomodo debeant procedere contra principales ad exigenda debita, ſi habent Ius ceſſum à creditoribus. cap. 70
Fideiuſſores ſoluentes debita pro principali, debent inſtare pro Iurium ceſſione, ad hoc, vt poſſint procedere contra ſuos principales. cap. 70
Fideiuſſores quomodo conueniri debeant, & contra illos procedi. cap. 72
Fideiuſſores qualiter procedere debeant contra ſuos principales hæredes, & bona. cap. 73

Forenſes venientes ad Ciuitatem, quibus priuilegijs gaudent. cap. 129
Forenſes, qui volunt hic habitare debent ſe præſentare conſulibus. cap. 129
Forenſes ſunt exempti ab omnibus oneribus realibus, poſtq; fuerint deſcripti in matricula. cap. 129
Forenſium lites vsq; ad ſummam quinquaginta librarum debent ſummariè decidi. cap. 30
Forenſes, qui dicantur, cap. 30. 105
Forenſis non poteſt capi facere forenſem hic. cap. 105
Forenſes non poſſunt facere Ciues incarcerari, etiam ſi inter eos conuentum ſit. cap. 105
Forenſes tenentur ſe infra octo dies conſulibus præſentare. cap. 129
Fœmina quid habere debeat obeunte Patre ab inteſtato, aut maritus. c. 109
Fœmina licet minor viginti quinq; annis poterit facere pacem, & finem abſque aliqua ſolemnitate. cap. 5
Fratres Doctorum tenentur ſoluere cuſtodias ſecundum ratã bonorũ. c. 133
Frater qualiter ſuccedat ſoroti. cap. 111

G

Aſtaldiones à quibus ſint deputandi. cap 86
Grauare ſe poteſt Reus à ſententia contra ſe lata de libris viginti quinque, ſed tunc cauſa erit ſummariè decidenda. cap. 30
Gradus computandi ſunt ſecundum Ius Commune, cap. 44

H

Habendo conſilio in qualibet quæſtione. cap. 44
Habitantes Tridẽ. quomodo citandi. cap. 7
Habitatores tenentur denuntiare Domino domus innouationes, & damna, ſi quæ facta fuerint. cap. 140
Hæredes emphiteotæ tenentur, & ſunt obligati locatori, & Domino pro ſolutione ipſius affictus inſolidum, ita vt ipſe poſſit totum à quocunque exigere, cap. 102
Hæredes vniuerſales tenentur oſtendere teſtamentum legatarijs. cap. 114
Hæres continuat poſſeſſionem defuncti. cap. 124
Hominibus capiendis, & carcerands. cap. 105 106

I

INſtrumẽta produci poſſunt à partibus vsq; ad cõcluſionẽ excluſiuè. c. 29
Inſtrumẽtũ, ſi quis habet crediti in Iuditio, libellũ offerre non tenetur. c. 33
Inſtrumenta dotalia, quomodo conficienda à Notarijs. cap. 58
Inſtrumentum confeſſum à parte aduerſa, ſtatim debet executioni demandari. cap. 59
Inſtrumentum emptionis, ſi fecerit Notarius quid habere debeat. cap. 148
Inſtrumentum continens pactum de retrouendendo pro mercede Notario, quid ſoluat. cap. 148
Inſtrumenta ceſſionum, diuiſionum, & alia huiuſmodi, quid Notario ſoluantur. cap. 148
Inſtrumenta locationũ perpetualium, & tẽporalium, quid ſoluat. Not. c. 148

Instrumenta dotis, & contradotis quid. cap.148
Instrumenta, quæ cogãtur contrahentes à Not. excipere, quid soluant c.148
Instrumenti copia danda est partibus expensis petentis illam. cap.23
Instrumenta amittens suarum possessionum, quid agere debeat. cap.93
Instrumenta locationum perpetualium conductor soluere debet. cap.99
Immunitates, quæ nam concesse sint parentibus habentibus duodecim filios vivos. cap.131
Immunitatibus concessis forensibus venientibus ad habitandum in Ciuitatem. cap.129
Interlocutoria infrà quod tempus fieri debeant. cap.129
Intimatio sententiæ fieri debet principali. cap.51
Instrumenta dotalia debent continere valorem mobilium in dotem datorum. cap.58
Iniuriam inferens mercatori, vel eius rebus, qualiter puniri debeat cap.137
Instantia causæ compromissæ inter propinquos durat per tres menses. cap.6
Instantia causæ expensarum durat decem diebus. cap.39
Instantia causæ, si perit defectu Iudicis punitur vt hic. cap.46
Instantia sententiæ interlocutoriæ durat per quindecim dies. cap.52
Instantia causæ appellationis, quanto tempore durat. cap.54
Instantia causæ summariæ, quanto tempore duret. cap.32
Instantia causa librarum viginti quinq; vel infrà, vel suprà vsq; ad quinquaginta, quanto tempore duret. cap.32
Incarceratorum causæ decidendæ summariè. cap.30
Interrogatoria partis potẽs Iudex corrigere anteq̃ ad examẽ veniatur ca.22
Inuestitura, quando accipitur, quid soluendum sit pro honorantia. cap.99
Inuestitura peti potest à minore post annum, mensem, atq; diem, & hoc speciali priuilegio. cap.94
Inuestitura à quolibet debet accipi finito decimo nonno Anno. cap.102
Interesse dotis est ad rationem sex pro quolibet centenario. cap.83
Intestatus decedens, quos habere debeat hæredes. cap.109
Iuramentũ est deferendũ æstimatoribus de bene, ac ritè æstimando. c.78.79
Iuramentum appositum Donationibus propter nuptias, quid operetur. c.81
Iuramentum alienationi, vel donationi à muliere factis, appositum non valet. cap.85
Iuramentum cui deferendum conductori an locatori, si lis fuerit de afflictibus solutis, vel non solutis. cap.100
Iuramentum appositum super deuolutione Emphitheusis non valet. c.102
Iuramentum fidelitatis tenetur præstare vir pro vxore Dño Feudi. cap.118
Iuramentum decidit causas librarum quinque. cap.32
Iurare volens de calumnia habet terminum octo dierum. cap.37
Iuramentum calumniæ non excusat ab expeñ. cap.38
Iuramentum appositum super compromisso facto in extraneum, vel in ordinarium, vel aliter, quando illud valeat, & quando non. cap.145

Iuramentum est præstandum intrantibus Collegium Tridenti. cap 146
Iuramentum est præstandum Potestati, sed qualiter hic notatur. cap.1
Iuramentum minoris alienationi, aut liberationi tutoris appositum, an valeat. cap.5
Iuramentum est præstandum forensibus habitandi per sex annos Tridenti, ad hoc, vt gaudent priuilegijs forensium. cap.129
Iuramentum fidelitatis est præstandum ijs, qui Ciues effici volunt. cap.129
Iuramentum est dandum Capitaneo ad contrabanna. cap.135
Ius reddere quibus diebus teneatur, & debeat potestas. cap.2
Iudex ordinarius non potest esse compromissarius. cap.145
Iudex potest Notario statuere tempus ad dandam copiam Instrumẽtorum, & elapso termino incidit in pœnam de qua hic. cap.24
Iudex debet ipsemet testes productos examinare, nisi fuerit impeditus. c.28
Iudex, si causa fuerit summaria, & non sederit de mane, & aliquis illa hora citatus fuisset, præsumitur citatus, quando sederit Iudex. cap.23
Iudex, quomodo debent condemnare testem, qui noluit comparere ad testificandum. cap.27
Iudex examinationẽ testiũ alteri potest demandare de consensu partiũ. c.28
Iudex non debet alicui manifestare dicta testium, pœna librarum decẽ. c.28
Iudex interponens Decretum super alienatione minoris, quid habere debeat. cap.5
Iudex propinquos litigantes debet compellere ad compromittendũ. cap.6
Iudex Tutelarum tenetur infrà octo dies tutorem pupillo dare, sub pœna librarum decem. cap.10
Iudex tenetur causas committere collegiatis. cap.42.44
Iudex, quis non potest esse electus à Communitate, nisi sit de Collegio Tridenti. cap.45
Iudex pro sententia interlocutoria pro salario nil habere debet. cap.46
Iudex de consensu partium, non potest plus accipere pro salario, quàm taxatum est. cap.45
Iudices non tenentur committere causas ad consilium sapientis, si ipsi, vel vnus eorum Doctor esset, aliàs sic. cap.44
Iudex commissarius tenetur consulere de expensis, sub pœna refectionis. c.47
Iudex quacunq; hora potest ferre sententiam suam, parte semel citata ad illam audiendi. cap.50
Iudex ad quem, tenetur ferre sententiam suam infrà quindecim dies computandi à die perfecti processus. cap.54
Iudex venditionum, quid facere debeat, si aliquis rerum stabilium venditionem facere tentauerit. cap.65
Iudex debet ferre sententiam post mensem à præsentatione processus. ca.29
